This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CORNELII PAULI HOYNCK VAN PAPENDRECHT,

ARCHIPRESBYTERI MECHLINIENSIS

ANALECTA BELGICA.

IN SEX PARTES DIVISA.

Digitized by Google

Digitized by Google

VITA
VIGLII AB AYTTA ZUICHEMI
Ab ipso Viglio scripta, Ejusque, nec non
JOACHIMI HOPPERI
E T
JOANNIS BAPTISTÆ TASSII
OPERA HISTORICA
ALIAQUE ANALECTA AD HISTORIAM SCISSI BELGII POTISSIMUM ATTINENTIA
IN SEX PARTES DIVISA.
Collegit, Digessit, Notisque Illustravit
C. P. HOYNCK VAN PAPENDRECHT
ARCHIPRESBYTER MECHLINIENSIS.
TOMUS PRIMUS. PARS SECUNDA.



HAGÆ COMITUM,
Apud GERARDUM BLOCK.
M. D. C C. XLIII.

Digitized by Google

LENOX LIBRARY
NEW YORK

Digitized by Google

VIGLII AB AYTTA ZUICHEMI

EPISTOLÆ POLITICÆ ET HISTORICÆ

AD

JOACHIMUM HOPPERUM

Equitem, Dominum de Dalem, rerum Status Germaniæ inferioris apud Philippum II. Hiſpaniarum Regem, Conſiliarium, & magni ejus ſigilli præfectum.

EDITIO NOVA

Ex codice MS. Collegii Vigliani Lovanii, additis ex eodem triginta tribus epiſtolis ac plurium aliarum fragmentis.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIUNCULA.

EPiſtolæ Viglii politicæ & hiſtoricæ ad Hopperum, a Simone Abbeſio Gabbema Leovardiæ ſunt editæ anno 1661. Hæ recudendæ viſæ ſunt, quod ſcateant mendis, erratisque innumeris juxta & craſſiſſimis, & illas inter deſiderentur epiſtolæ omnino tres ac triginta, nec non plurium aliarum fragmenta. Quas edimus nos, ad codicem Collegii Vigliani Lovanii diligenter contulimus. Quem laborem hanc præcipuè ob cauſam ſuſcepimus, quod hæ epiſtolæ, Viglii res geſtas tempore tumultuum Belgicorum, ejuſque ſenſus, conſilia, labores ac pericula complectantur tanto certius, quanto ſecurius ab eo in amici ſinum ſunt conſignata.

Porro codex ille MS. continet *originales minutas*, ut loquimur hodie, harum epiſtolarum; id eſt, primam ſcriptionem dictante Viglio factam, quarum aliquæ manu Viglii ſignatæ, aliquæ eadem manu correctrice interpolatæ ſunt.

Gabbema ſecutus eſt exemplar deſcriptum (*Copiam* vulgo dicimus) vitioſum & imperfectum. Primam quam ille exhibet epiſtolam, in codice noſtro non

Digitized by Google

invenias, ſed in epiſtolarum ad diverſos tomo IV. pag. 570. quæ non pertinet ad epiſtolas *politicas & hiſtoricas*, quæ omnes ſcriptæ ſunt poſt Hopperi profectionem in Hiſpanias, ut notatur in ipſo codice. Hanc igitur reſecavimus, inter *Selectas* Viglii *epiſtolas* a nobis collocandam, quod ad res publicas nihil faciat, ſed ad Hopperum data ſit, cum in Senatu Mechlinienſi reſideret, decennio antequam in Hiſpanias iret: in qua Viglius ad animi remiſſionem calamo luſit ſuper Hopperi libello *de Magiſtratibus*, ad ſe miſſo.

Proinde exordium facimus a ſecunda apud Gabbema epiſtola, quæ eſt prima in codice noſtro. Adjecimus ſingulis epiſtolis ſingula argumenta ſeu ſummaria, ac res geſtas, a Viglio relatas, ſubinde illuſtravimus. Præcipue verò curavimus, ut cognoſceret lector, homines ſeu togatos ſeu literatos; aulicos quoque & eccleſiaſticos, de quibus meminit. Quæ omnia Gabbema neglexit, qui lectori ſuo nullum genus hominum pinxit. Res hiſtoricas tumultûs Belgici non illuſtravimus, ob eam, quam in præfatione ad Vitam Viglii diximus, rationem.

Viglius ad Hopperum ſcribens, hac uſus videtur literarum inſcriptione, quod eam in codice noſtro pluri-

Digitized by Google

pluribus epiſtolis adjectam cernere eſt: *Magnifico ac Clariſſimo Viro, Domino Joachimo Hoppero, Equiti, Regiæ Catholicæ Majeſtatis Conſiliario & Sigillorum cuſtodi, domino ac confratri ſuo honorando.*

Dicendum ſupereſt unum hoc. Hæ epiſtolæ, cum in Gabbemana editione, tum in MS. codice noſtro, turbato ſunt ordine diſpoſitæ, uti lector advertet. Data eſt a nobis opera, ut reſtitueretur ordo. Sed cùm hinc inde epiſtolis pluribus nunc annus, nunc menſis, & ſubinde dies, deſint, divinando potius, quàm manifeſtis ex ſignis ordo conſiſteret, & turbatus turbatior redderetur. Proinde judicavimus præſtare, ſequi eum, quem codex tenet, quamvis evidentiſſime male ſervatum. Accedit, quod adſcripti dies & anni ſæpe ſunt vitioſi, librarii ſeu amanuenſis incuriâ. Exemplum e multis unum. Trigeſima quinta, & trigeſima ſexta ordine epiſtolæ, non tantum iiſdem diebus ac menſibus, ſed quinimò eodem anno notantur; nempe: v. Junii CIↃ. IↃ. LXVII. In priore ſermo eſt de obitu Comitis Arembergenſis, qui cecidit in pugna contra Ludovicum Naſſavium in Friſia, ac de Comitibus Egmundano ac Hornenſi, deque aliis nobilibus capite plexis. Nemo ignorat, hæc ſupplicia ſumpta

Digitized by Google

ab Duce Albano. Et tamen in altera epiſtola, ſeu trigeſima ſexta, quæ ejuſdem eſt diei, ut dixi, menſis, & anni, ſermo eſt de Duce Albano ex Hiſpania Genuam appulſo, & in Belgium properante. Hoc volui lectorem non neſcire.

Digitized by Google

VIGLII AB AYTTA ZUICHEMI

EPISTOLÆ

AD

JOACHIMUM HOPPERUM.

EPISTOLA I.

De Comitis Arembergenſis apud Friſios & Groningenſes conatibus. Brederodii jactantia. Regis in Belgium adventus quàm neceſſarius. Interitus Domini de Rye. Viglii manus ſcribere recuſat. Dictat amanuenſi epiſtolas.

LIteras hiſce junctas, CL. D. HOPPERE, jam pridem in abitum alicujus veredarii pararam, verùm hactenus non data fuit occaſio, de die in diem, pro veteri conſuetudine, ejus dimiſſionem Duciſſa differente.

Arembergenſis, convocatis apud Leovardiam Statibus Friſiæ, nondum ſatis ipſis perſuadere potuit, ut juſſa capeſſerent, Leovardienſiumque exemplum cæteri ſequerentur, quibusdam ex nobilitate res turbantibus, qui a Sectis recedere detrectant. Cumque apud ipſos Ilpendamium quendam Brederodii Secretarium agere animadvertiſſet, qui oleum camino infunderet, comprehenſum in carcerem conjecit: que res alios nonnihil exterruit. Spero tamen illum ad quietem tandem omnia reducturum. Sed de Groningenſibus multum adhuc dubitamus, quod, ut noſti, populus ille ſit præfractior, ac in viribus ſuis, urbisque munimine multum confidat.

Digitized by Google

Brederodius Antverpiam rursus advenit comitatus nonnullis Geusianis, atque huc se novæ supplicationis porrigendæ gratia cum illis adventurum jactitat, verùm insolens spectaculum mense Aprili exhibitum nos commonefacit, ut id, quoad licet, impediamus. Sunt quoque nonnulli ex proceribus nostris, qui non satis ferre videntur Noircarmii, (1) Ressegemiique (2) succesſum, culpantque passim militem populo gravem fieri. Et profectò nihil nobis contingere posset optatius, quam ab illo penitus nos posse esse immunes, si res modo id quoque ferre posset, seditiosorumque ac hæreticorum hominum audacia permitteret. At nisi Regia Majestas militis colligendi facultatem dedisset, vereor ne jam conclamatum cum nobis esset. Excitant tamen illi adhuc aliquam suis spem, quòd de Regis adventu inanes esse rumores dicant, & ducis Albani authoritatem non magni faciant. Verùm persuadere mihi non possum, Regem ullo pacto in animum suum inducere posse, ut adventus sui deliberationem in dubium vocet, cùm ab eo non nostra tantum salus dependeat, sed omnium suorum pene Regnorum, quæ in hujus tragœdiæ exitum intentos habent oculos.

Dominus de Rye, qui nuper ex Burgundia advenerat, non magni, quod equidem intelligere potuerim, negotii causa, hodie, ex vulnere sibi imprudenter inflicto, diem extremum clausit, dum pugionem, qui exciderat, sublevare cum impetu cupiens, seipsum circa pectus lethaliter pupugit. Accidit hic miserandus casus in ædibus Domini Egmondani in gynæceo Commitissæ, ac eodem die reversus huc Egmondanus animam agentem repperit.

Dum has literas concludere paro, adferuntur mihi abs D. T. literæ XXVI. proximi mensis die scriptæ, ad quas alias prolixius respondebo. Nunc illud solum addam, injeciſſe te mihi non parvam solicitudinem quod de Ducis Albani desiderio scribis. Etsi enim illi lubentissime obsequium meum in omnibus exhibere cupio, puto te tamen illius meminisse, quod

(1) *Noircarmius*] Philippus a Sancta Aldegunde, qui pro Marchione Bergensi in Hispaniam misso, Hannoniæ præfectum agebat.

(2) *Reſſegemius*] imò Rassinghemius, Flandriæ Gallicanæ præfectus, cui nomen *Maximilianus*; cognomen, *Vilain de Gand.*

Digitized by Google

quod de cane venationis ſene Æſopus fabulatur. Cùm jam dudum ſcribendi officium, quod olim amicis impigre præſtabam, intermiſerim, ac ad te aliosque paucos amicos forte ſemel in menſe, amanuenſi aliquid dicto, dum propria manus ſolitam operam recuſat.: ideoque in negotiis publicis hunc laborem mihi jam pridem Duciſſa remiſit, nec poſſum animum meum inducere, ut antiquo me patiar includi ludo. Verùm quatenus vires ferre poterunt, ac mihi conſilia rerum agendarum communicabuntur, lubenter unà adjuvabo, ut Illuſtriſſimo Duci pleniſſime in iis, quæ occurrent, per ipſius Duciſſæ literas ſatisfiat. Quod ideo ad te, HOPPERE, ſcribo, primum, ut promptam meam voluntatem Excellentiæ ſuæ declares, deinde, ne de me plus promittas, quàm præſtare poſſem, tum etiam ut cogites ſic officia præſtanda eſſe, ut, quoad licet, invidiam calumniamque declinemus. Bene vale HOPPERE CL. Bruxellæ IX. Febr. CIↃ IↃ. LXVI. (3)

EPISTOLA II.

De initiis tumultuum in Belgio. De rebus Friſiæ a Comite Arembergenſi compoſitis. De libello Lutheranorum Antverpienſium per Lindanum refutando.

DIu multumque CL. D. HOPPERE, literas à Regia Curia expectavimus, quas tandem XVI. hujus menſis die accepimus, ſatisque futurum judicabam, ut ad noſtras non tam literas quàm Commentarios, eo modo quo factum eſt, reſponderetur. Arbitror autem D. T. hoc minus prolixitatem illam eſſe moleſtam, quod jam ad hujusmodi phaleras aſſueveris, & generum à ſoceri conſuetudine non diſcedere æquus feres. Quod autem Rex in ſuum adventum omnia rejicit, equidem non improbo, modo adventum ſuum maturet, ut quotidianas flagitationes eorum, qui ad Statuum deliberationem omnia redigi expoſtulant, ſuſtinere excuſatius va-

(3) Sic reſtitui ex MS. noſtro. Gabbema legit: CIↃ. IↃ. LVI. Et ut id ſemel dicam, is expreſſit dies & annos literis numericis Romanis, cùm in codice noſtro ſint literæ Arabicæ. Illæ tamen retinendæ viſæ ſunt tamquam ſecuriores.

Digitized by Google

valeamus. Quanquam enim ſynceritatem quidam ſuam profiteantur, verendum eſt tamen ne idem accidat, quod circa inquiſitionem, & edictorum moderationem, quam ſi obtinere poſſent, ſummum in religione Catholica tuenda ſtudium pollicebantur: ſed quò jam res ſub eo velamento evaſerit, tragœdia iſta longe triſtiſſima demonſtrat, ut nonnulli jam agnoſcant, longe fuiſſe ſatius, & inquiſitionem retinere, & edictis veteribus inhærere, quam in tantam rerum confuſionem perturbationemque incidere. Meminiſti autem quantum nobis (4) bene conſulentibus obſtrepuerint etiam ii, quos & profeſſio & ſacramentum admonebat, non ſolùm ut ſaniora ſyncerioraque conſilia requiſiti darent, ſed hæc mala quà nobiscum avertere ſtuderent. Quibus conniventibus, ne dicam applaudentibus, in majorem populus audaciam inſolentiamque evaſit. In Flandria, Inſulenſi, Tornacenſique dominio res pacatiores fore ſperamus, poſtquam ſedicioſorum colluvies apud Watrelos & (5) Lannoy à noſtris cæſa, Tornacumque ab Noircarmio occupatum fuit. Et Egmondanus quoque animum adjeciſſe videtur, ad reprimendam eorum inſolentiam, qui in Flandria ad arma populum incitant.

Magno autem affectus ſum gaudio quod Leovardiæ reſiſta fæliciter per Arembergenſem compoſita fuit. Legati Docko à Martena, ac Doctor Barta, (6) qui ſe Deputatos Statuum vocant, quid hîc ſupplicarint, quidve reſponſi à Curia retulerint, ex adjuncta ſcheda videbis. Interea, hoc eſt, ad ſextum diem Januarii, Arembergenſis ad unum miliare ab Leovardia prope Bergumenſe Monaſterium militem dum colligit, exterriti cives legatos ad eum mittunt, interceſſoresque ſecum adducunt Riardum Rorda, Watziam à Kamminga, ac alios nonnullos, qui primo quidem deprecati

(4) Quos hic notatos velit Viglius, intellige ex *Vita* N LXXXVII. & duobus ſeqq.

(5) *Lannoy*] Oppidum in Tornaceſio, altero ab Inſula milliari, tribus Tornaco, diſtans. Eſt exiguum. Olim gentis Lanoyæ fuit peculium ac cognomentum. Porro quæ hic indicantur acta apud pagum *Watreloſium*, oppidumque *Lanoium*, ea narrat *Pontus Heut. lib. 16. cap. 4. in fin.*

(6) *Doctor Barta*] Gabbema apponit cognomen *Idzarda*. Ita quoque legit Winſemius Hiſt. lib. 1.

Digitized by Google

ti fuerunt, ut rem in eo ſtatu ad adventum Regis relinquere vellet, ex cujus voluntate tunc ſe omnia facturos offerebant; quorum poſtulata Arembergenſis abſolute rejecit, conditionesque præſcripſit, ſub quibus, ſi vellent, malum, quod illis oſtentabat, evitare poſſent. Inter has erat, ut concionatores, paſtoresque novam ſequuti religionem, confeſtim urbe provinciaque excederent, in templis imagines ornamentaque omnia reſtituerentur, altaria repararentur, divinumque officium, uti ſolet, celebraretur. Quibus aliisque conditionibus nonnullis, tandem acquieverunt, ac hoc nunc agit ut apud Snecam, ceteraque loca, in quibus aliquid innovatum fuit, omnia in priſtinum ſtatum reſtituantur. Admonueram Dockonem ut aliquid ad te ſcriberet, quod facturum ſe receperat, verùm abiens mihi dixit, ſæpius id ſe tentaſſe, ſed ſemper abductum longius in materiam, quàm tibi putabat non fore gratam, eſt enim totus, ut audio, fermento hoc conſperſus, prout alii, proh dolor! multi noſtræ patriæ nobiles, malumque hoc tantopere invaluit, ut difficile ex animis hominum eradicari poſſit. Quamobrem exquiſitis opus eſt remediis, ut ad unitatem concordiamque tandem (7) diſſidentium atque in diverſos errores prolapſorum animi reducantur.

Ad Hachicurtium & Cobelium literas remitto, quos ex vivis exceſſiſſe ſuperioribus literis perſcripſi.

Juvenalis quid mihi reſponderit, ex ipſius literis cognoſces, ſed ſic eſt ingenium hominis, ut ſuſurris, ſuſpicionibusque ſuis, omnibus negotium faceſſat.

Prodiit hic nuper Libellus confeſſionis Antverpienſium, qui Lutheranum ſequuntur dogma, in quo multa diſputantur contra Catholicos, Calvinianos, ac Anabaptiſtas, quem mox curavi mittendum ad Epiſcopum (8) Lindanum, qui ex Haga-comitis exulat, & Lovanii delitescit; arbitror autem,

(7) *Tandem diſſidentium*] Hic retinuimus lectionem Simonis Gabbema, quòd in codice noſtro male legatur, *tanta*.

(8) *Wilhelmus Lindanus* Epiſcopus Ruræmundenſis, & Decanus Hagæ-comitanus. De hoc libello a ſe confutato, & unde Hagâ exularet, narrat *Havenſius de Erect. navor. Epiſc. lib. 2. a pag.* 103.

Digitized by Google

tem, quem ſcribendi prurigo tenet, non omiſſurum, quin authores ejus egregie defricet.

Frater meus ante triduum primùm in Friſiam reverſus eſt, ex cujus literis aveo intelligere, quonam pactò Snecenſes ſeſe in hujus fabulæ cataſtrophe geſſerint. Stephanus Nicolai Secretarius Leovardienſis diem clauſit extremum, multique mox accurrêre officii competitores. Verùm arbitror Grapheariumobtenturum, ut ſuo reuniatur. Frater autem meus valde interceſſit pro M. Saca, Cypriani noſtri fratre, qui tuam antea, nunc meam, in uxorem habet cognatam, filiam Siccii Eſghis Albadæ, qui certe dignus eſt ut ad majora commendetur, & ſpero aliquando obventuram occaſionem ut ad Conſiliarii dignitatem promoveatur. Bene vale CL. D. HOPPERE. Bruxellæ ult. Januarii. CIↃ IↃ LXVI. T. D. *deditiſſimus ſervitor ac confrater* VIGLIUS ZUICHEMUS.

EPISTOLA III.

Contentiones quas Reip. cauſa ſuſtinere cogitur, conſtanter ſe velle perferre, declarat. Ut Præſidatûs functione liberetur, orat, & obiter de rebus Friſiæ turbatis meminit. Regis adventum expetit.

PRoximis literis meis ſignificavi D. T. CL. D. HOPPERE, me illas quas poſtremo, hoc eſt XXVI. Januarii ad me dederas accepiſſe, heſterno autem die aliæ abs te mihi redditæ ſunt per Anglum nobilem; cui lubenter omnia humanitatis officia, uti T. D. petiit, exhibebo, ſi quando ejus occaſio dabitur. Quod Regem ſcribis pſalmum completorii & cygneam orationem ad matutinas remittere, id etſi mihi de clementiſſimo Principe audire volupe fueric, tu tamen, mi HOPPERE, meminiſſe potes illius Horatiani;

(9) *Non eadem eſt ætas, non mens, Veianius, armis*
Herculis ad poſtem fixis, latet abditus agro.

(10) Et

(9) Epiſt. lib. I. vers. 4.

Digitized by Google

(10) Et quanquam negotia Reip. periculaque quibus hîc undique implicamur, paulo me vegetiorem, quàm vires ferunt, monſtrare compulerint, metuo tamen, ne ad valetudinem corporis confirmandam multum ſit profuturum, quòd animum perpetua ſolicitudine ac moleſtia affliget. Etenim hîc contentio nobis ſuſtinenda eſt, non tantum cum iis, qui aperte ſe adverſarios profitentur, ſed etiam cum nonnullis authoritate pollentibus, quibus nec Regis conſilia ſatis placent, omnesque pene actiones noſtras culpant, & uti ſucceſſus non ſatis ferunt, ita parum opis aut auxilii ab illis in rebus difficilibus expectare poſſumus. Ego autem dum mecum conſidero, quæ inter os & offam accidere poſſunt, cuperem quidem pleraque in Regis adventum differri: ſed non hoc ſinit adverſariorum protervitas, & quorundam impatientia, qui tam impotenter illos graſſari, & hac licentia ad confuſionem Reip. uti, ægre ferunt. Verùm ut ut res eſt, cùm in hac arena me fortuna comprehenderit, ad extremum in ea conſtanter ſubſiſtere decrevi, & conſilia, quæ mihi videntur publicæ utilitati convenire, ſuggerere non deſinam. Oro autem DEUM, ut eum diem cernam, quo juxta cantionem Zachariæ ſine timore de manu inimicorum liberatus, reliquum dierum illi in ſanctitate & juſticia ſervire valeam; Deſiderabam autem, mi HOPPERE, ut aliquid reſcripſiſſes ad ea, quæ antea à te explicari petivi, de obſcuro literarum Regiæ Majeſtatis ſenſu, & te iterum per noſtram amicitiam obteſtor, atque hanc gratiam abs te poſtulo, quò efficias, ut quemadmodum petii, Regia Majeſtas hactenus præſtitum à me obſequium in bonam partem accipens, adveniente Tiſenacio, me ab Præſidatus functione omnino liberet, & ut ille ſucceſſor, uti valde deſidero, ſive quis alius ſuæ Majeſtati gratus, mihi obtingere poſſit, cùm nulla ratione animum inducere poſſum, neque vel ætas vel valetudo ferat, ut eos labores, quibus pene omnes anteactæ vitæ annos impendi, longius perferam.

Comes

(10) *Et quamquam*] Quæ hoc paragrapho prodit Viglius, reſpicere arbitror ea quæ in *Vita* ſua adnotavit N. LXXXIV. LXXXV. LXXXVII. & ſeqq.

Digitized by Google

Comes Arenbergensis Consiliarium Igramum (11) affinem meum huc misit, ut rerum ab eo gestarum pleniorem Ducissæ relationem faceret. Et videtur quidem Frisia nostra quieti se accommodatura, si per nonnullos nobiles, (quibus Geusiano fœderi imprudenter obstrictis jusjurandum, scilicet violare religio est) liceret, qui Frisia excesserunt, Brederodiique partes sequuntur. Is autem apud Vianam (12) copias colligit, extremaque tentare instituit. Faxit DEUS ut eandem experiatur fortunam, quam apud Lannoiam Flandri aliique vicini rebelles. Et in summa, mi HOPPERE, jam res hic exardescere videntur, ut, nisi Rex nos pecuniis adjuvet, & præsentia sua brevi corroboret, magnum discrimen subituri videamur. Bene vale HOPPERE CL. Bruxellæ XXV. Feb. CIↃ IↃ LXVI.

EPISTOLA IV.

Pro cognoscendo rerum Statu remittit ad literas Ducissæ Parmensis. Rebus bene gerendis impedimentum præstat opinio de Rege non venturo, cujus præsentia 50000. armatorum valeret. Quid Albano obstabit. De rebus privatis pauca.

Octo sunt dies, CL. D. HOPPERE, quod arbitratus veredarium hinc decessurum, literas meas ad te scriptas jam tradideram, quas unà cum hisce accipies, neque enim mutare volui, quæ tunc scripsi. Interea vero singulis diebus nova materia literarum Illustrissimæ Ducissæ sese obtulit, verùm finem semel eis imponere, & de præsenti rerum statu Regem actutum certiorem faciendum, Yuasi. Cùm, si ea quæ

(11) *Igramum affinem*] Vide not. ad *Vitam* N. LXXII.

(12) *Viana*] oppidum Hollandiæ ad Leccam fluvium, cujus ripæ sinistræ adjacet, distans ab Iselsteinio medio miliari, a Schoonhovia duobus. Ad Brederodios devenit an. 1418. per nuptias Walravii Brederodii cum Leonora filia unica atque hærede Henrici, Vianæ & Ameidæ Domini. *Val. Andr. in topograph. Belg.* Extinctis Brederodiis varios habuit Dominos, hodie Nob. & Præpot. Ordines Provinciæ Hollandiæ.

Digitized by Google

quæ ſuccedunt, expectare voluit, nunquam ſcribendi finem inveniet: & ego quoque ad te de nonnullis, quæ ad patriam noſtram (13), vicinamque Hollandiam ac Trajectenſem diœceſin, Zelandiamque pertinent, explicatius ſcribere cupiebam. Verùm ad cognoſcendam ſummam rerum, quæ ibi geruntur, ea ſufficere arbitror, quæ ex Celſitud. ſuæ literis cognoſcere poteris, reſervans reliqua in illud tempus, quo aliquando coram de rebus iſtis colloqui, ac de remedio laboranti patriæ convenienti, conſulere poterimus. Multum autem impedimenti rebus bene gerendis præbet, quod quidam Regem omnino non venturum perſuaſum habent, alii ſerius ſequuturum, ſi fortuna affulſerit. Et quanquam Illuſt. Ducis Albani cognita eſt prudentia, ac magnanimitas in rerum bellicarum adminiſtratione, attamen & apud Germanos eos, (14) qui colla aliquando ei ſubmittere coacti fuerunt, non ſatis grata ejus remanet memoria, & hîc per eum quoque, quos noſti, (15) luminibus ſuis obſtrui quidam non ſatis æque ferent, ac ut alia taceantur, altercationis quæ inter Florentinum & Parmenſem Principem in Hiſpania interceſſit, memoriam hærere vereor. Quæ quidem & multa eis ſimilia mirabiles rebus gerundis difficultates injicient, niſi Rex omnibus remoris præciſis ipſemet ſeſe nobis ſiſtat, ac præſentia authoritateque ſua, quæ plusquam quinquaginta millia armatorum valebit, tempeſtatem hanc componere ſedareque allaboret. Noſti enim populi noſtri ingenium, quod ad principis ſui conſpectum quidvis facere paratum, promtumque ſe exhibere ſolet. Quamobrem, mi HOPPERE, illud quantum potes unà cura, ut Regem præſentem videamus: quò adventum ſuum, ſeu excuſante, ſeu longius differente, omnium bonorum animi ſpeſque concident.

Quæ

(13) *Ad patriam.* Sic legit Gabbema rectè. *Tò ad* deeſt in MS.

(14) *Apud Germanos eos, qui colla &c.* Saxones arbitror, & Haſſos intelligit. Dux Albanus namque anno 1547. Electorem Saxoniæ victum captumque ad Cæſarem adduxit. *V. Pont. Heut. lib. 12. cap. 13. & hiſtoricos paſſim.*

(15) *Luminibus obſtrui*] De hac phraſi V. notas noſtras ad *Vitam* N. LXXIII.

Digitized by Google

Quæ ad conjugem familiamque tuam pertinent, ea recte ſe habere intelligo ; & ègo quoque melius valerem; ſi mihi pituita moleſta non eſſet, & malum quod jam diu pedi inſedit, inceſſum impedit. Vale, mi HOPPERE, ac (16) Tyſenacio, Cortewillio, ac Dennetesio multam a me ſalutem impartire. Bruxellæ IV. Martii. CIↃ IↃ LXVI.

EPISTOŁA V.

De rebus Leovardienſibus & Trajectenſibus De periculo Inſulæ Walachriæ. Adventus Regis unicum motibus ſedandis remedium. De nonnullis interea ſucceſſibus ad Duciſſæ rurſus literas remittit.

NOſtrarum rerum ſtatum, CL. D. HOPPERE, ex Illuſtriſſimæ Duciſſæ literis D. V. plenius percipere poterit. Friſia vero noſtra ob præſentiam Arenbergenſis & militum metum adhuc conquieſcit, multorum tamen adhuc ibi animi æſtuant, & pluſquam centum familiæ ex Leovardia emigraſſe feruntur. Qua ratione motus Arenbergenſis duo vexilla peditum urbi ei impoſuit, videturque Snecæ idem facturus; niſi obſequio ſuo indignationem ejus avertant; etenim quantum audio, plebeorum quorundam hominum propenſum in novas ſectas ſtudium, eam urbem in magnum trahit periculum.

Trajectenſes gaudent & civitatem & arcem in tuto conſtitutam per Comitem Meganum, qui militem, quem Brederodius

(16) *Tyſenacium* pinxi in not. ad *Vitam* N. XCIV. *Cortewillium* N. LXXVI. *Dennetierius*, de quo hîc prima fit mentio, fuit Secretarius Hopperi in Hiſpania; ad quem cùm Viglius ſcriberet, hac utebatur inſcriptione: *a Monſieur le Secretaire du Roy Arnouldt Dennetiéres aupres le Garde des Seaulx & Conſeiller de ſa Majeſté Meſſire Joachim Hopperus.* Ita in cod. noſtro. Apud Butkens: *Seigneur de la Plaigne pourvu de l'Etat de Secretaire du Roy en ſes Conſeils d'Etat & Privé par lettres patentes depechées le premier de Janvier* 1576. V. Suppl. tom. I. p. ** 191.

Digitized by Google

rodius ex Brabantia acciverat, decem vexillis insecutus, conatum ejus prævertit, Trajectique receptus est non citra Auraicensis aliquam offensam; verùm ita Ducissæ visum fuit, quòd ille videretur, aut non satis rem pro magnitudine periculi cordi habere, aut Brederodii conatibus occulte favere. Verùm quidnam rei sit tempus aliquando docebit. Magni (17) certe momenti erit securitas Trajecti ad vicinos omnes in officio retinendos. De Walacria quoque insula magnum conceperamus metum, quem Tolosanus, ac Petrus Hacius, bailivus quondam Middelburgensis, instructa apud Antverpiam satis leviter classe, occupare se posse sperabant. Verùm ab Insulanis repulsam passi sunt, præsidiumque nostrum Vlissingenses receperunt. Quotidie autem nobis novi motus nunciantur, & nisi Rex adventum suum acceleret, neque boni amplius in spe contineri, & ipsi vix longius subsistere poterimus. Clamant interea nonnulli, qui ipsi forte non omni culpa carent, nullam rationem has turbas componendi esse, nisi aut Statuum convocatione, aut generali venia abolitioneque præteritorum. De illa tamen multis literis Regis ora jam obturavimus, at alterum vehementer urgent. Verùm de eo Ducissa se per Regis prohibitionem excusat, & certe timendum esset, ne id exemplum futuris temporibus pernitiosum sit, impunitasque potius concedi videatur, nisi culpam agnoscant, & deinceps Regiæ Majestatis mandatis se parituros promittant, damnaque reparent, eaque offerant, quo Regis animum juste offensum placare queant. Verùm interea dum Rex nimium moratur, plane consumimur, &, nisi ipse advenerit, perimus. Crede enim mihi, mi HOPPERE, res eo loco sunt, ut Ducis Albani alteriusque vicarii operâ, remedium incassum tentabitur, nisi Rex unà adsit. Et me sane perplexum habet, id quod nuper D. T. scribebat de ipsius Albani desiderio, cui implendo, etiamsi vires sufficerent, magnam tamen inde à nostris hominibus indignationem calumniamque vereor, cùm scias, quo illi erga Hispanos sint animo. Ego tamen in quantum licebit; & ipsi, & àliis Regiis ministris nullum officium

(17) *Magni.* in Edit. Gabbemæ. In Cod. nostro vitiosè *magna.*

Digitized by Google

ficium deesse sinam. Adderem hic de conflictu apud Antverpiam habito, Hasseleto per Episcopum Leodiensem obsesso, Megani contra Vianenses velitationibus, deque iis quæ apud Valencenas aguntur, nisi eadem ex Ducissæ literis plenius D. T. intelligere posset. Interea verò de Germanorum copiis, quos Ludovicus Nassovienſis, cæterique conjurati, contra hanc Provinciam excitare dicuntur, magnus populo metus injicitur, quem deponere paulatim incipierent, si Regem adventare audirent. Vale HOPPERE CL. Bruxellæ XIV. Martii CIↃ ↃLXVI.

EPISTOLA VI.

De summo suo periculo ac universæ rei publicæ expostulat. De Antverpia perdita, Amsterodamo occupato, Secretario Torrio, Cancellario Brabantiæ ac Merodio detentis queritur. Quantum interfit Valencenas expugnari. De rebus Frisicis.

Credo equidem, mi HOPPERE, vos istic putare, jam conclamatum de nobis esse, ac inter mortuos recensere, adeo ut nulla vobis videtur nostri esse aut memoria aut cura; aliàs enim in quotidianis sollicitudinibus angustiisque hærentes, consolatione saltem dignos putaretis, quos adventu vestro frustrantes, in summo certe periculo versari non ignoratis; neque enim ab decimo Martii usque in hunc diem literas ullas accepimus, incertique rerum ac consiliorum interea fluctuamus, & quantumcumque laboravimus, ut Regia Majestas adveniens non omnino perditas has Provincias reperiret, tamen quotidie crescit & perfidorum insolentia, & insolentium perfidia. Ex his enim quæ Illustrissima Ducissa de Antverpia ad Regem scribit, facile colligere potes, quæ spes ejus reliqua sit, quam omnes jam mercatores bonique viri deserunt; ut sectarii illic, quasi in suo Regno, imperent. Quod autem mihi non minus dolet, Amsterodamum Brederodius occupavit,

Digitized by Google

vit, ac Secretarium noſtrum (18) La Torre cum mandatis illuc miſſum in vincula conjecit. Cancellarius (19) item Brabantiæ, ac Merodius (20) Buscoducis adhuc ditinentur, ac haec factio omnia omnibus locis occupare ſtudet, ac duobus opulentiſſimis urbibus in poteſtatem redactis, facile ſperant Germano militi ſe perſuaſuros, ut in prædæ ſocietatem accurrat; nos interim facimus, quod poſſumus, ſed bonis ægre perſuademus, Regem, niſi omnibus amiſſis, huc adventurum. Interea robur militum noſtrorum in oppugnatione Valencenarum detinetur, &, niſi ſuccedat id, cujus ſpem nobis fecerunt il, qui exercitui præſunt, brevique ea urbs, ſeu deditione, ſeu expugnatione in noſtram poteſtatem veniat, impune hoſtibus ubique graſſari licebit. Arembergenſis impoſito Leovardiæ ac Snecæ præſidio, hoc tempore, ut mihi videtur, haud ſatis oportune excurrit, cùm nobiles reliquique exules ex Friſia omnes Amſterodamum ad Brederodium confluant, & ad res in Friſia turbandas excitent. Hæc quidem ſcio D. T. non valde grata fore, ſed cogor tamen oſtendere, quantum iſta veſtra mora exitium patriæ noſtræ adferat. Bene vale, CL. HOPPERE, ac, ſi iſta non placent, tu nobis meliora quæſo, impartire. Bruxellæ XV. Martii CIↃ IↃ LXVI.

Poſt has literas ſcriptas accepimus. La Torrium cuſtodiam, ignari tamen qua ratione, evaſiſſe; Valencenenſesque conſpicientes ſerio oppugnationem inſtitui, denuo colloquium expetere videntur, & ſane præſtaret, vel iniquis conditionibus deditionem admittere, quam urbem limitrophan excidere, aliaque expectare, quæ Martis dubia alea adferre ſolet.

(18) *Secretarius La Torre*] Jacobus, natione Hiſpanus, patria Burgenſis in Caſtilia veteri. *V. Suppl. Butkens tom.* I. ** *p.* 190.

(19) *Cancellarius*) Joannes Scheyffve. V. Notam ad *Vitam* N. LXXXVIII.

(20) *Merodius*) Peterſomii Dominus. *V. Hauter. lib.* 17. *cap.* 6.

Digitized by Google

EPISTOLA. VII.

Significat Supplicationem Nob. Confœderatorum, Brederodio præeunte, Ducissæ exhibitam: contra Inquisitionem conspiratum esse, ac posci moderationem Edictorum; judicans Regem consensum suum accommodare debere, quod ipsum illi rogat indicari. De abalienatione Orangii, & Hornensis obiter. De Richardoti & Alani Copi libellis contra sacrarum imaginum violatores.

BInas accepi literas, CL. D. CONSILIARIE, ex Cameraco & Lutecia scriptas; ex quibus gavisus fui prosperum itineris vestri successum intelligere. De rebus nostræ Reip. Galli suo more nugantur, & quanquam non is est status, quem boni desiderant, major tamen adhuc quies & tranquilitas est, quàm Galli spargunt, prout ex literis Ducissæ ad Regem plenius percipies. Confœderatorum capitaneus Brederodius, III. die hujus mensis, cum CL. equitibus hanc urbem ingressus fuit, aliique ejusdem farinæ, sive fœderis, alliunde affluxerunt. V. die processionaliter & quaternis ex ordine dispositis in Curia comparuerunt, supplicationemque eorum nomine Brederodius exhibuit, ex scripto pauca præfatus. Auctusque est eorum numerus sequentibus diebus, cùm in Curiam responsi accipiendi, seu alia de causa venirent, primum inter eos tenentibus locum cum Brederodio, Bergensi, (21) Culenburgio, (22) Ludovico fratre Principis Orangii, & filio comitis de Mansvelt. (23)

Sunt autem à nostris familiariter excepti, & Brederodius apud Principem Orangii hospitatus. Quod Brabantini ex pri-

(21) *Bergensis*] Non is Marchio qui in Hispaniam missus, sed Guilielmus comes Bergensis.

(22) *Culemburgius*] Florentius de Pallant comes.

(23) *Mansfelt*] Carolus, Petri Ernesti comitis filius, qui a confœderatis discessit statim post conventum Trudonopolitanum.

Digitized by Google

privilegio petiverunt, hi totum ac ubique abolitum voluerunt, ſucceſſereque Flandrenſes Deputati, nolentes plus gravari quàm alii: renovatæque ſunt Bergumenſis contra Titelmannum (24) & Epiſcopum ſuper Inquiſitione querelæ. Ut dicam ſemel, Sanctus Paulus nequiret perſuadere his hominibus, imo ne viris piis & Catholicis: ex Inquiſitione amplius religioni ullum acceſſurum fructum, ſed omnes contra eam conſpiraſſe videntur; idemque clamant, quod coram ab Comite Egmondano & Megano audiviſti. Super moderatione Edictorum, cùm deliberatum fuit preſentibus equitibus XIII. & toto privato Conſilio, magnam quiritandi materiam habuit Cobelius, cui nihil pene placuit, quod antea ſtatutum fuit: Bruſelius (25) quoque ſuo modo philoſophatus eſt; ſed tandem non ſine magna difficultate in unam ſententiam conventum eſt, & formula ad Regem mittitur per Marchionem Bergenſem, & Dominum de Montigny, à quibus

(24] TITELMANNUS] Petrus, Haſſelenſis, venerabilis viri *Franciſci Titelmanni* frater fuit, de cujus virtutibus & ſcriptis tam præclara mentio fit in *Biblioth. Belg. novæ edit. J. F. Foppens pag.* 314. ubi ſimul de *Petro*, qui fuit Primus in ſcholis artium Lovanii, Decanus Rothnacenſis, Inquiſitor (ut hic vides) per Friſiam, dein per Flandriam: quo in officio quàm odioſè ſe geſſerit, teſtatur epiſtola *Margaretæ Parmenſis* ad *Philippum II.* anno 1566. quam lege in Supplemento Stradæ to. 2. p. 313 Poſtremo fuit Canonicus apud S. Mariam Cortraci, ibique Archipresbyter Diſtrictus Cortracenſis. Obiit anno 1572. die 7. Sept. fundatis duabus burſis in Pædagogio Porci Lovanii. Vide *Faſtos Academicos pag.* 259.

(25) BRUSELIUS] Arbitror ſermonem eſſe de *Philiberto Bruxellio*, qui primum in Mechlinienſi, dein in Privato, ac tandem in Conſilio Status ſenator extitit. Erat Mechlinienſis, *Rodolphi* Equitis & *Margaretæ de Longueville* filius, toparcha in Heysbroeck, Grand-Grain &c. In ſolemniis abdicationis *Caroli V.* orationem habuit. Obiit Antverpiæ an. 1570. 20. Octob. poſtquam ad *Annam, Maximiliani II.* Imp. filiam, & *Philippi II.* ſponſam in navi & ſub dio verba feciſſet, unde contracto morbo intra XIV. diem deceſſit. Uxorem habuit *Joannam de Locquengien* ex qua reliquit *Gaſparem de Bruxella* Curiæ Ultrajectinæ Senatorem, & vicepræſidem, defunctum anno 1595.

Digitized by Google

bus plenius percipies, quid hactenus in eo negotio gestum fuit. Interea quoque eadem moderatio, & Consiliis Provincialibus, & Statibus communicatur. Et profecto hoc rerum statu non aliam video rationem componendi hos tumultus, quam ut Regia Majestas consensum suum accommodet, præsertim cùm, id quod potissimum est in toto hoc negotio, Religionem nostram salvam videat, & si quid ad eam melius assecurandam, atque conservandam convenire comperierit, id præsens plenius de omnibus instructus providere poterit. Idque paucis meo nomine Majestati indicare poteris, excusareque si non id præstare in præsenti rerum statu potui, quod Majestas sua forsitan desideravit, cùm scias, neque veterem mihi manere authoritatem, neque ad res hujusmodi animi corporisque vigorem, quem olim habui, esse: interea in omnibus exacerbati animi non levia indicia significant Orangius & Hornensis, & Regem à se alienatum querentur. Sed nimis ego multa de his, & tu ipse melius ex ipsis Oratoribus cognosces.

Uxor T. D. cum tota familia Gaudam abiit sub id tempus, quo hîc omnia confœderatorum adventu in trepidatione essent.

Luchtmaker noster ex vulnere inflicto die Paschæ mortem obiit; commendavit tamen uxori diligenter causæ prosecutionem, neque deërit illi favor, quem D. T. non obscure in nonnullis Consilii Brabantini animadvertit.

Cobelius Augustam paulo ante Pascha abiit. Mansfeldius quoque instat, ut & ipse mittatur. Et Imperatorem obtentis satis magnis auxiliis ab Statibus Imperii, ajunt, ad defensionem Hungariæ festinare, ad quam cum numerosissimo exercitu Turca quoque properare dicitur.

Anglici Commissarii jam rediere Brugas, & cùm Dominus à Montigny in Hispaniam iter paret de alio in ejus locum surrogando agitur. Cætera omnia hîc in antiquo suæ statu; in quo DEUS nos conservet, Dominationique V. optata tribuat. Bruxellæ XX. Aprilis. CIↃ IↃ LXVI. Junii libellum seu concionem Richardoti Episcopi Atrebatensis, qua docte admodum ostendit populi nostri insaniam contra imagines, quam & Copus eo libro quem tibi abeunti dedi, egregie

sane

ſane & doctè confutat. Sed apud furioſos iſtos rabidosque homines nihil ratio, nihil veritas Hiſtoriarum, nihil venerandæ antiquitatis valet authoritas.. (26)

EPISTOLA VIII.

Remp. perturbatiſſimam eſſe, judicia non timeri, ipſos judices formidare, & nihil auxilii ſive a præfectis Provinciarum, ſive a tribunalibus juſticiæ, niſi Inquiſitione abolitâ, & Edictis mitigatis, eſſe expectandum, aperte ſcribit. Regem annuere debere repetit, & niſi annuat, perditam fore cenſet Remp. antequam adveniat. De Marchione Bergenſi reluctante itineri Hiſpanico. De paſquillis contra Cardinalitios. De rebus privatis nonnulla, & de Tyſenachii aut alterius ſucceſſoris expectato adventu.

Literas tuas, Cl. D. Hopperi, XIII. Maii datas primum VI. Junii accepi, quæ, uti mihi fuere expectatiſſimæ, ita quoque gratiſſimæ, quòd in curiam Regiam proſperum adventum nuntiarent. Gaudeo quoque te tam benigne ab Rege exceptam atque auditum, ac ſpem eſſe, ut te brevi cum eo reducem videamus. Verùm illud nos anxios habet, quonam pacto interea Reſp. noſtra in quiete ac tranquillitate reti-

(26) Hæc poſt datam addidit *Viglius*, *Gabbema* aut non habuit, aut omiſit. *Richardoti* concio de illarum eſt numero quas in aula habuit Gallico ſermone, & hunc præfert titulum: *De ſacris Divorum imaginibus Sermo I. V. Val. Andr. in Biblioth.* Quod apponit *Viglius* de *Alani Copi* Londinenſis libro, is non ejus, ſed *Nicolai Harpsfeldii* eſt, Archidiaconi Cantuarienſis, quem edidit *Alanus* typis Plantinianis. *V. Miræum in Script. Sec. XVI. p.* 206. *in edit. Fabricii.* Porro laudatus liber conſtat *Dialogis ſex* contra ſummi Pontificatus, monaſticæ vitæ, ſanctorum, ſacrarumque imaginum oppugnatores & pſeudomartyres.

Digitized by Google

retineri queat, tot ubique conventiculis increbrescentibus, ac increſcente licentia omnia dicendi faciendique, ut qui judicia timere ſoleant, nunc ipſis judicibus formidinem incutiant, gladiosque ac cædem minari audeant; & interea non eſt unus ex iis, qui Provinciis, Conſiliis, rebuſque præſunt, à quo vel minimum ſit expectandum auxilium vel præſidium, quamdiu Rex Inquiſitionem non aboleverit, & moderationem approbarit. Tolerarique verò alii omnimodam libertatem volunt, & in ſuas partes trahunt eos, qui cuicumque Sectæ adhærent, & ſcis non deeſſe qui aliò quoque ſpectent: ut, quanquam non ignorent, quanta cum difficultate his duobus articulis Rex ſit aſſenſurus, ego tamen, ne religionem omnem cum Repub. amittamus, non potui diſſuadere, quò Rex hæc concederet, quò ſaltem aliquos hac via in ſua parte retineret, illisque obſiſti poſſit, qui ad confuſionem & interitum anhelant, de quo antea ad te ſcripſi & ad ipſum itidem Regem, inductus cùm rei neceſſitate, tum compulſus authoritate Egmondani & quorumdam aliorum, quibus vix eximi poteſt ſcrupulus, me videlicet contraria moliri. Tu autem teſtis ipſe eſſe potes, me immerito hac ſuſpicione laborare, &, ut paucis dicam, perimus antequam Rex veniat, niſi his rebus prudenter provideat, & ſi in adventum ſuum ea reſervat, mirabiles ſibi difficultates inveniet. Cùm autem fuerit præſens, ſi quid minus recte conceſſum fuerit, licebit emendare, & in melius corrigere. Rogo autem D. V. ut ſignificet quas meas literas acceperit; nam in iis intercipiendis non parvum periculum verſatur. Idem egò in veſtris faciam cùm par ratio ſit. Nondum potuimus efficere, ut Marchio Bergenſis iſthuc eat, ſed tamen omnem operam Duciſſa in eo perſuadendo ac urgendo impendere non ceſſat. Et cùm rebus noſtris, tum Regiæ Majeſtatis reputationi & ſecuritati ejusdem convenire mihi videtur, ut hos ante alios hujus Provinciæ proceres Rex itineris ſui ſocios adhibeat. Libelli, paſquillique hîc adhuc impune perſtrepunt & in Cardinalitios (27) omne odium effunditur, & quanquam boni

(27) CARDINALITII dicti, qui Cardinali Granvellano aut adhæſerunt, aut faverunt. Inter præcipuos habebantur Dux Arſchotanus, Comes Berlaymontius, præſes Viglius, teſte Strada lib. 4. decad. 1.

Digitized by Google

boni omnes abhorrent ab his convitiis, mirum tamen est, quantum vulgus istiusmodi ineptiis incitetur.

Uxor familiaque tua Goudæ hæret; literas meo fasciculo inclusas, & ad illam missi, & cæteris amicis reddidi. Licentiati mei sat bene suo actu defuncti fuerunt, & ad eam præter cæteros propinquos advenit cum uxore ac liberis, Aggæus (28) noster, quos hîc amanter per aliquot dies tractavi, earumque rerum, quas nosti, nullam significationem dare volui, ne in hospitalitatis jura peccarem; diverterunt autem ad ædes tuas, quæ mihi, dum uxor abest, pro succursu serviunt. Hinc heri ad Takonis à Montzima (29) nuptias Trajectum profecti sunt, atque inde in Frisiam. Spiram ita ipsis allubescere ajunt, ut mutare conditionem se non petere dicant. Defuit autem nobis unus Tzommo Rollema; (30) sed huic cum Episcopo, ac Strio (31) ejus vicario, negotium quoddam est, quod illum magis quam Snec-

(28) AGGÆUS] Albada. Quare *noster*? Quia Frisius, & affinis tum Viglio, tum Hoppero. Erat Cameræ Imperialis Spirensis assessor, ubi novis opinionibus imbutus tandem a Catholica fide defecit, & dignitate consulari exutus, Coloniam Agrippinæ secessit ac privatus ibi vixit magno Viglii mœrore. † Hanc defectionem præsenserat Viglius, sed de ea nihil significandum duxit ut hospitalitatis jura custodiret. V. Epist. CIX. CX. CXIII. & CXIV.

† Apud Episcopum Herbipolensem consiliarii conditionem obtinuit. V. Epist. CLI.

(29) TAKO A MONTZIMA] Viglii ex sorore Rintzia nepos, duxit filiam Graphiarii Ultrajectini *Gisleni Scribæ* (ut est in Geneal. Viglii) id est, *Schryvers*. V. Edict. Ultraj. nov. edit. to. 2. p. 1060. Post fuit Consiliarius extraordinarius consilii provincialis Ultrajectini. Obiit 1574. *Tako* autem a Geusiis olim captivus abductus, a *Viglio* redemptus est florenis 2400. *V. Test. n.* 31. & Epist. CCIV. & CCXIII.

(30) *Tzommo Rollema*] cognatus Hopperi, Ballivus Snecanus, postea a Consilio turbarum carceri mancipatus, ut est inf. in ep. LIV. LV. Is libertati restitutus, Regias subinde partes deseruit. V. Epist. CCXXII. CLXXXI. & CLXXXVIII.

(31) *Strius*] Joannes Streyenus, Zelandus, Nicolai de Castro, primi Middelburgensis Episcopi Vicarius, ac dein successor. *V. Heiff. in Hist. Episc. Middelb. p.* 21. & inf. in ep. LV. ubi dicitur, *queruli, acerbique ingenii*. V. *Petri de la Rue Zelandiam literatam*, patrio sermone vulgatam an. 1734. Sepultus est Lovanii in ecclesia parochiali S. Quintini ante summum altare

Digitized by Google

censis, uti opinor, quæstiunculæ impeditum habet. Ad Tisenachium nihil scribo, quum eum hîc expecto, per quem spero me intellecturum Regis sententiam super successore meo, & certe non alium esse convenit quàm ipsum, licet is, qui D. V. successit, suo jure aliquid vindicet; omnium autem maxime ab custodia sigillorum absolvi cupio, cùm quod illa me Curiæ præcipue obligat, ut difficulter ullo tempore abesse possim, tum verò quod scis multa attentari, quibus assensum præbere nequeo, & de quibus contendere periculosum odiosumque est. Quamobrem in hac parte eum te mihi præbe adjutorem, quem nostra amicitia requirit. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ XIV. Junii. CIↃ IↃ LXVI.

EPISTOLA IX.

Inedita.

De Angustiis Reip. & præcipue urbis Antverpiensis. Fortitudinen pollicetur, de munere interim absolvi cupiens. De contumeliis & calumniis irrogatis Comitibus Arembergensi & Meghæno. De odio quo laborat ob Morillonium.

CL. D. HOPPERE. Nondum quicquam abs D. T. literarum accepi ab XII. mensis Maji, quamquam tum pollicebaris ample de omnibus te scripturum. Sed credere nos necesse est, impedimentum aliunde objectum esse, cum tuam diligentiam accusare non ausim. Interea in quibus hic angustiis versemur, non facile credas, in quas nos conjecêre ii, quos nosti. Antverpia plus ceteris omnibus tumultuatur, & ad Brederodii in eorum urbem adventum mirum in

altare sub lapide cooperto lamina æreâ, cum hac inscriptione: *R. DD. Joanni a Stryen secundo Middelburgensi episcopo, seminarii Regii Lovaniensis primo Rectori, ob religionem exuli, defuncto Lovanii 8. Julii 1594. H. H. P. P.* Le Grand theatre sacré de Brabant to. I. pag. 110.

Digitized by Google

in modum cives exultarunt. Verùm Principe Orangiæ eò missò ille urbe excessit, & ad Conventum Gueſianorum apud S. Trudonem profectus est, qui non modo Celsitudini suæ, sed toti pene Curiæ metum injecit: præsertim cùm populus per sectatios incitatus sub eorum præsidio quotidie fiat insolentior. Ego forti animo sustinebo quod Fors Fortuna feret, donec me Rex ab isto munere absolverit. Et si videro me ludificari, nodum quem nequeo dissolvere, abrumpere conabor. Quamquam sperem, te, aliisque amicis adjutoribus, fore, ut cum Regiæ Majestatis bona gratia, & sine aliquo mei honoris dispendio id fiat. Cobelius (32) noster ubi ex Germania reversus est, ad *Religions frid* Germanorum, nostros sollicitat, & quamquam per eam non astringitur quisquam princeps Catholicus admittere sectarios, vereor tamen ne nostri id non satis intelligant. Arembergensis in Frisiam, Meghanus in Geldriam concessit, quorum uterque apud Antverpiam ac Buscumducis non levem contumeliam illuc transeundo sustinuit, quia falsa calumnia apud populum traducti sunt, dum falso eos, jussu Curiæ militem conscribere in vulgus sparserunt. Morillonius (33) hinc abiit, propter cujus familiaritatem ego magno odio laboro. Sed non potui veterem amicum sine causa deserere. Bene vale HOPPERE CL. Bruxellæ XVIII. Julii CIↃ IↃ LXVI.

(32) *Cobelius*] Strada Dec. 1. lib. 7. loquitur *Cobellium*, *Margaretæ* Parmensis consiliarium. In codice Collegii Vigliani Lovanii notato n. VI. p. III. versa exstat *Viglii* epistola inscripta *D. Phillippo Cobelio assessori judicii cam.* nempe, cameræ Imperialis Spirensis. *Viglius* infra affirmat, eum in perpetuis Legationibus fuisse versatum. V. Epist. XX.

(33) *Morillonius*] Maximilianus, post episcopus Tornacensis. V. eum præpositum B. M. Ultrajecti in catalogo nostro ad an. 1561.

Digitized by Google

EPISTOLA X.

Ternas ab Hoppero se accepisse literas rescribit. Exponit hæreticorum frequentissimos concursus cum armis ad conciones: quod nemo, nisi Inquisitione abolita & moderatis prius Edictis, reprimere velit. Hinc deplorat Regis moram, & in sententia sua, ut Rex concedat postulata, persistit. De rebus privatis & minoribus, nonnulla.

CL. D. HOPPERE, Abiit hinc Calend. Julii Illustris D. Marchio Bergensis: verùm cum hic cursor forsitan adventum ejus præveniet, mitto ad te copiam ejus epistolæ, quam per eum ad te scripsi. Interea vero mihi redditæ sunt literæ tuæ ex Burdegala scriptæ XIX. Aprilis, qui autem eas attulit, mirèque, ignorari voluit, quod forsitan diligentiæ suæ non magnam gratiam promeruisse se agnosceret. Scito igitur me ternas abs te accepisse literas ex via, hoc est ex Cameraco, Lutecia, & (ut jam dixi) ex Burdegala. Præter has atque illas quas XIII. Maii mox abs tuo isthic appulsu ad me dedisti, nullas me ab abitu tuo accepisse. Unde cognoscere potes, si quæ forsitan perierint, cujus hoc tempore periculo non caremus, cùm non solum in religione, sed etiam in cæteris fides deficiat. Mirum autem in modum & Regis & tuas literas desideramus, & jam eorum eventum conspicimus, quæ longe antea animus præsagiebat, sed speravimus tamen, ut DEUS consilia malignantium dirumperet, & Rex nos non omnino pro derelicto haberet. Post Geusianorum supplicationem crevit mirabiliter Hæreticorum audacia, numerusque, ut passim aliquot millium concursus cum armis ad conciones illorum confluant, quod ut armis reprimere necesse est, ita nullum pene hic habemus, qui manum admoliri velit, quamdiu Rex Inquisitionem non aboleverit, & moderationem edictorum non concesserit. Ac interea ita omnia pessum eunt, dum Rex deliberationem resolutionemque extrahit, ut postquam allata fuerit aut ipse forsitan venerit, remedium tardum futurum sit, pluraque una heb-

Digitized by Google

hebdomada jam perdamus, quam multis menſibus & non ſine ſanguine forſitan recuperabimus. (34) Atque id niſi ante prævidiſſem, non auſus fuiſſem Regi literis meis, quas ad te dedi, ſuadere, ut tempori huic aliquid concederet, quo ſaltem Religionem in diſcrimen non adduceremus, cùm ſi ea quæ in moderatione continerentur, ei conſervandæ non ſufficere tempus docuerit, ipſimet Catholici rogaturi ſint ut ea forſitan revocentur, quæ in iſtis principiis (uti ſeveriora) mutanda cenſuerit, quod conſilium etſi forſitan Regia Ma. pro ſuo zelo non ſatis probare poſſit, ſciat tamen neceſſitatem præſentem non aliud nobis melius ſuggerere. Ego hic affixus maneo omnium telis expoſitus donec D. Tyſenachius me liberet, de cujus adventu æque ac de cæteris rebus conſiliisque veſtris incerti adhuc ſumus.

De Conjuge liberisque tuis nihil niſi fauſta audimus, & ſatis certe eſt eam Goudæ adhuc aliquamdiu manere, quàm hic quotidianis periculorum rumoribus conturbari.

Frater meus Gerbrandus una cum Aggeo in Friſiam rediens non auſus fuit Snecam adire propter peſtis illic graſſantis metum, & in rus meum Zuichemenſe ſeceſſit.

Arembergenſis quotidie iter in Friſiam meditatur, ut controverſias de aggeribus cæſpitibusque Decamanis componat.

Geuſiani in Friſiam nobis aliquot ſollicitatores miſêre, qui noſtram etiam nobilitatem commoverent, verùm hactenus non invenerunt qui eis aures præberent.

Bene vale HOPPERE CL. & fac me viciſſim aliquando tuis literis frui, certioremque fieri de his quas a me accepiſti. Salutabis quoque plurimum meo nomine Tyſenachium ſi adhuc adſit, Courtewillium ac Denneterium noſtrum, & excuſabis quod ad illos non ſcribam, cùm non dubitem plura ab aliis ad eos perferri, quàm ego literis meis continere audeam. Bruxellæ V. Julii CIↃ IↃ LXVI.

(34) Quæ ſequuntur, in editione Gabbemæ deſiderantur.

Digitized by Google

EPISTOLA XI.

Regis adventum urgentiſſime poſtulat, Legatorum relationi confiſus. Tyſenachium ſucceſſorem venire deſiderat.

CUm arbitremur, CL. D. HOPPERE, jam dudum iſthinc appuliſſe Dominum de Montigny, Regiæque Majeſtati plene declaraſſe hujus noſtræ provinciæ ſtatum, creſcentibus tamen quotidie malis, creſcit quoque deſiderium noſtrum, ut tandem redemtor noſter adveniat, atque ſuper iis tempeſtive provideat, de quibus in mora graviſſimum quotidie periculum ſentimus. Soluto enim populo ab omni metu legis, paſſim conventicula exercentur, omniaque in deterius vergunt, prout Illuſt. Dominus Marchio plenius referre poterit. Unde non parum moleſtum mihi eſt, quod ab XIII. die Maii nullas ab D. T accepi literas, ex quibus aliquid ſpei conſolationiſque oſtenderetur. Jam & Tyſenacium iter ad nos, te adveniente, arrepturum putavimus, nec tamen hactenus intelligere potuimus illud eum ingreſſum eſſe; cujus adventum quantopere expectem. D. T. non latet, & hæc tempora meum deſiderium augent, quo ex iſtis malis, ſi non totus eripiar, aliqua tamen ex parte ſublever.

Commiſſarii noſtri, qui apud Brugas cum Anglis communicarunt, re infecta redierunt, ſuſpenſa omni reſolutione ad Regis adventum.

Cobelius quoque cum Mansveldio à comitiis Imp. reverſus eſt, ac præclare omnia geſta refert, quemadmodum ex literis Duciſſæ, ubi ſcripto omnia exhibuerit, plenius cognoſces.

Bergenſis ſerius ad vos venit quàm nos deſideramus, & quàm Reip. ſtatus requirebat, verùm intellexiſtis quæ eum cauſa detinuerit; utinam verò Regiæ Majeſtati perſuadeat, ut adventum ſuum maturet, atque iis quæ delationem non ferunt, prudenter antea provideat. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ XXVII. Junii. CIↃ IↃ LXVI.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XII.

Super responso ex Hispania venturo, significat esse magnam expectationem suam, atque Ducissæ Parmensis: quæ præter solitum & usque ad invidiam, ejus utitur consiliis. Etiam atque etiam cupit a munere liberari.

CUm hîc, HOPPERE CL. vobis omnibus ísthuc interdictum dicant, ne quid ad nos literarum detis, ego una cum cæteris communem sortem æquo animo perferre cogor, faxitque DEUS, ut hanc moram silentiumque vestrum bono aliquo consilio remedioque rerum nostrarum compensetur. In quanta autem expectatione versemur id ex literis Ducissæ, quæ abunde statum Reip. indicant, colligere poteris. Meæ autem privatæ res hoc sunt periculosiores, quod præter solitum, & usque ad aliorum invidiam, indignationemque, Celsitudo sua meum consilium in rebus istis perplexis expetit, quem tamen proximo biennio quo favore prosecuta sit, te nemo melius novit; spero autem, cùm cæteris rebus aliquid Rex constituturus sit, mei etiam rationem habiturus, & sigillis, Præsidisque nomine me semel absoluturus, cùm non congruat viro Ecclesiastico in istis turbis longius, consiliisque, quæ vix sine sanguine componentur, versari, etiamsi ætas valetudoque ferret, cujus quotidie incommoda crescunt. Quamobrem tu, quantum me diligis, tantum adjuva, ut isto pistrino liberer.

Uxor familiaque tua adhuc Goudæ hæret, ac, quantum intelligere possum, satis bene valet, tuasque, ut ipse, crebriores literas exoptat.

Nuper autem, id est XX. die Julii, allatæ sunt mihi literæ, quas, XVI. Aprilis Pictaviæ ex itinere exaratas, ad quarum aspectum exultavi, sperans recentiores, sed, vbi inspexi, frustratum me spe mea agnovi. Precor DEUM, ut reddat nobis aliquam serenitatem, detque saltem, ut mutuum scribendi officium, juxta veterem consuetudinem, libere obire possimus. Vale. III. Augusti. CIↃ IↃ LXVI.

Digitized by Google

EPISTOLA XIII.

Queritur, in tanta patriæ confusione atque infamia, neminem unum se opponere, ac Flandriam prædæ expositam. Optat procul negotiis paternum rus colere. Ex Statuum Generalium convocatione non esse spem restaurandæ religionis. Vult denuo ab officio liberari, ne iterum apoplexia tangatur. Hoppero gratulatur Equestrem dignitatem. Quid Marchioni Bergensi, & D. a Montigny evenire cupiat. Comitis Egmundani opera in tanta Reip. necessitate, desiderata. Conc. Tridentinum quomodo in Burgundia publicatum.

Tandem diu expectatas literas tuas, CL. D. HOPPERE, penultima Junii, ac Cal: Augusti datas, XII. ejusdem die accepi, gavisusque sum meas fideliter tibi redditas fuisse, nec scio an idem in posterum sperare possum, cùm omnia insidiis plena sint, quamobrem si parcius ad te scripsero quæ hîc aguntur, ignoscere te velim. Cognosces autem satis rerum nostrarum statum ex literis Illustrissimæ Ducissæ, & in tanta protervitate hominum Hæreticorum, & qui eorum audacia abutuntur ad res suas constabiliendas (præsertim cum nemo se opponat) nihil nisi extrema mala expectare possumus. Consilia autem non desunt, sed factis opus est, quæ omnes refugiunt, & si, vel unius alicujus virtus emineret, non tam patria nostra in tantam confusionem, infamiam, atque indignitatem corrueret. Flandria autem omnis prædæ exposita est, & ubi ego senectutis meæ sedem collocare constitueram, ibi me propemodum omni spe excidisse video; quin imo maximi beneficii loco haberem, si in Zwichemensi agro me abdere, & procul negotiis paternum rus colere liceret: non quod ita parvi sim animi, ut pro Rep. periculum subire recusem; sed quòd videam illos deesse, sub quorum præsidio spem aliquam melioris successus concipere possim. Nodesinunt autem nostri urgere Statuum Generalium convocationem, & eò rem tendere video, ut, quemadmodum super prio-

Digitized by Google

prioribus tribus articulis ſerium eſſe reſponſum Regis dicunt, ita quoque cùm Rex forſitan ei aſſentiendum duxerit, ſectari eam ſibi inter Status authoritatem vendicabunt, ut inde nullam reſtaurandæ religionis ſpem nobis concipere licebit. Me autem mirum in modum torquet, quod hiſce turbis implicitus maneo, à quibus me & ætas & ſacerdotii ordo jam dudum exemit, & tot libellis proſciſſus, & ab his, à quibus ſuſtineri debebam, contemptui, ne dicam odio, habitus, non hoc impræſentiarum poſſum, quod ab officio meo forſitan expectatur. Quamobrem, mi HOPPERE, velim apud Regem excuſatum me habeas, ſi minus forſitan ejus expectationi ſatisfaciam, ac officio præſidatus ſecreti Conſilii vel illum, vel quem alium ſucceſſorem accipiam, neque Majeſtas ſua dignetur ſervare temporibus quietioribus ſecundioribusque, quibus multo utiliorem operam Majeſtati ſuæ præſtare potero, quàm ſi in hoc infælici rerum ſtatu vitam meam in certum diſcrimen deducam. Medici certe abſtinere me jubent ab iſtis turbulentis negotiis, & minantur ne aliquando apoplexiam, cujus adhuc reliquias lingua & manus, reliquumque corpus retinet, incautus rurſus incuram.

Gratulor D. V. & equeſtris dignitatis augmentum & Regis benevolentiam, quem quò propius cognoſces, eò me veriora de illo prædicaſſe intelliges. Speramus Marchionem Bergenſem jam quoque iſthuc adveniſſe, & valde optaremus, illum ac Montinianum ita iſthic à vobis tractari, ut cæteris noſtris proceribus fidem facere poſſent de Regis erga ipſos benignitate; atque ea, quæ Majeſtas ſua ſuper iis, quæ ipſis, commiſſa ſunt, reſolvet, ipſis primùm debere perſuadere quò illa eorum opera ac induſtriam ceteris magis approbare valeat. Guardianum Lovanienſem revocatum ab itinere Hiſpanico intellexeram, & me ſane itineris ſui conſcium non habuit, quanquam, ut nunc omnia mendaciis calumniiſque plena ſunt, meo inſtinctu eum iſthuc profectum ajunt. Non poſſum non probare officium à te per literas apud Egmondanum præſtitum, ſed nondum potui intelligere quicquam eum de priore ſententia remiſiſſe, quanquam Duciſſam ſciam omnibus modis apud illum agere, ut in tanta Reip. neceſſitate, operam ſuam illi accommodare non gravetur. De Archidia-

Digitized by Google

chidiaconi (†) Bisontini calumnia Orator Regius ex urbe Duciſſam quoque certiorem reddidit: cui ipſa reſcripſit, quid in Concilii publicatione in Burgundia (‡) actum eſſet, & te meminiſſe quoque puto quibus rationibus moti hîc fuerimus, ut in dicta publicatione Concilii, reſervaremus Regiæ Majeſtatis, Vaſallorumque jura, quibus non auditis derogari æquum non fuit: & neſcio an D. T. recordetur, quanta importunitate hîc quidam ab eodem Biſontino miſſus advocatus inſtiterit, ne quicquam de abuſibus excommunicationum, ſimilibusque per Concilium reprobatis, exſequendum mandaretur, unde Jurisdictionis ſuæ emolumenta minuerentur.

Arembergenſis in Friſia fuit, ut de aggerum, cespitumque controverſiis cognoſceret, ſed huc revocatus fuit priusquam aliquid perficere potuerit. Groningenſes, Omlandi, Dammenſesque hîc rurſus adſunt, importunoque tempore querelis ſuis nobis plus ſatis moleſtiæ præbent. Conjugem tuam hîc ante partum non exſpectamus, & ſane recte rebus, quietique ſuæ conſuluit, quod Goudæ permanendum duxit, quanquam nec Hollandia ab iſtis turbis immunis eſt. Oportune hîc adfuit famulus ejus huc miſſus, cùm curſor ex Hiſpania adveniret, eique tuas ad eam literas adferendas dedimus. Bene vale, HOPPERE CL. Te ** Stina, Veronius, Dammantiique, ac alii quorum familiaritate utor; multa ſalute viciſſim impartiuntur. Bruxellæ. XIX. Auguſti. CIↃ IC LXVI.

(†) *De Biſontini Archidiaconi*) Hunc arbitror eſſe *Jacobum a S. Mauricio* de quo inf. ad Epiſt. CXLV. Quamvis enim ibi non Archidiaconus, ſed Cantor Biſontinus appelletur, conſtat tamen ex *Chifletio in ſua Veſontione part. 2. p.* 321. eum priorem quoque dignitatem poſſediſſe, & Cardinalis Granvellani conſobrini ſui nomine, Archiepiſcopatûs Biſontini poſſeſſionem cepiſſe.

(‡) *Quid in Concilii publicatione in Burgundia.*) Chifletius loc. cit. p. 316. hæc habet: „Roma reverſus *Claudius* (à Balma Archiepiſcopus) anno 1571. cùm Civi„tatem Bizuntinam ingreſſus eſſet die Octobris 21. tertia poſt die, Octobris 24. „Miſſam ſolemnem in Metropolitana S. Jonannis Baſilica, pontificia majeſtate ce„lebravit, & ſacroſanctæ Tridentinæ Synodi decreta, magno omnium ordinum con„curſu promulgari curavit.“

** *Stina*) Ex ſubſequentibus epiſtolis videor intelligere, hanc eſſe *Auguſtinam Henrici*, quæ domus ſuæ gubernatrix & adminiſtra fuerit, & cui in teſtamento ſuo benefecit. V. N. 40. & codicillum. *Veronius*, quis ſiet, haud ſatis mihi compertum. In Codicillo legat *Odoto* (forte *Odoni*) *Viron*, roſarium, ac effigiem ſuam ex auro. V. inf. ad Epiſt. XVIII. n. 4. *Dammantii*, uxoris ſuæ conſanguinei ſunt.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XIV.

De templis expilatis, monaſteriis everſis, dirutis altaribus ac tota veteris Religionis facie ſublata; De Duciſſæ anguſtiis ac meditata fuga; De privato ſuo periculo; De Regiæ indignationis metu, quod premente neceſſitate concedere cogitur, quæ ei diſplicebunt; De Statuum Generalium convocatione indulgenda; De Rege perſuadendo ut adventum ſuum maturet.

Accepi, CL. D. HOPPERE, literas tuas XII. Auguſti ſcriptas, ex quibus lubenter intellexi Reginæ fælicem partum, ſpemque, quam de brevi adventu Regis nobis facis.

Quomodo autem hîc turbæ creverint, ex Duciſſæ literis plenius intelliges; nec dubito quin magno mœrore leges tot præclarorum templorum vaſtationes, tot monaſteriorum everſiones, quas referre ſine lacrymis non poſſem; dumque nos refractarios præbemus in permittendis hæreticorum concionibus, ipſi conſilium reperere, totam Religionem Catholicam ſemel extirpandi, ita ut hodie neque Antverpiæ, Gandavi, Tornaci, Ipris, Buscoducis, ac innumeris aliis urbibus, monaſteriis ac pagis, ulla religionis veteris facies appareat, altaribus omnibus ſubverſis, ornamentis, librisque neceſſariis direptis ac flammis traditis, ut non amplius templa, ſed ſtabula potius videantur, ac niſi cum Geuſiis certâ ratione conventum eſſet, malum hoc univerſam ditionem pervaſiſſet, ac, ut vel ſic ſiſti queat, multum metuimus. Duciſſa hîc aliquot diebus in ſummis anguſtiis verſata fuit, nec adhuc illis omnino exemta eſt, ac aliquoties ad deceſſum, quam alii fugam interpretantur, parata, aliò profecta fuiſſet, niſi impedimentum objectum fuiſſet. Cùm iidem graſſatores & huic urbi inſidiarentur, & civium aliquot millia Religionem novam non diſſimulanter profiterentur, & tam graves allatæ fuerint minæ, ut neque miniſtrorum regiorum neque ſacerdotum vitæ parcere ſtatuerent. Ea vero, quæ contra me privatim intentantur, referre, nolo, ſed ſi vitam DEUS

Digitized by Google

concedat, & ex his periculis eripiat, coram aliquando recenſere malo, in quæ me mala conjecit Regiæ Majeſtatis longa dilatio, quæ tametſi miſſionem dudum promiſerit, ad hæc tempora tamen reſervavit, non modo periculi plena, in quibus præter innumera pericula & forſitan non caritura aliqua Regiæ Majeſtatis offenſione ac indignatione quam metuere debeo, dum pleraque neceſſitas extorquet, quæ non immerito Majeſtatem ſuam ægre habebunt. Statuum Generalium convocationem ſi Rex denegare perget, video ipſosmet conventuros, cùm in tantis malis remedium differri vident. Quamobrem convenit aliquando aliqua vel coactum concedere quam cum neglectu authoritatis populum per ſe uſurpare. Et quanquam multa ſint conſideranda, quæ non ſine cauſa Majeſtas ſua prudenter perpendit, quæ ex Statuum convocatione evenire poſſunt; tamen longe graviora nobis imminent, ſi Rege abſente, ac Gubernatrice remedium adferre nequente, atque illo, quod per Statuum conventum adhiberi poſſet, impedito, omnia interea ſurſum ac deorſum ferantur, & in præceps eant. Jam enim non amplius audit currus habenas, & amentia eò excrevit, ut cum religione, juſtitia, publicaque honeſtas, ac fides penitus exulent. Proinde, mi HOPPERE, ea Regiæ Majeſtati ſuggere conſilia, quæ hiſce malis finem tandem imponant, eamque exſtimula, ut adventum ſuum, toties promiſſum, longius non differat.

Tiſenachium, ſi nondum iter ingreſſus eſt, à me officioſe ſaluta, itidem & Cortewillium ac Denneterium. Tu quoque, mi HOPPERE, cura, ut te nobis amiciſque omnibus conſerves ac feliciter vivas, valeaſque. Bruxellæ. XXVI. Aug. CIↃ. IↃ. LXVI.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XV.

Significat acceptas a se Regis literas. Exponit causas ob quas in Curia amplius versari nec possit nec debeat, quas Hopperi considerationi permittit, antequam Regi respondeat. Statuum Generalium convocationem necessariam censet, dum alias malo mederi non potest. Quo loco apud Ducissam sit, quid ab ea sibi periculi immineret. Roterodamensia & Gaudana templa a vastatione exempta. Bruxellense D: Gudulæ ægre custoditum. Frisia adhuc integra. Artheſii, Hannonienſesque in officio; Valencenenses, Tornacensesque, imitati Antverpianos. De Sennio, Titelmanno, & Iprensi Episcopo. De Prædicatorum Conventu Gandavensi direpto.

Literis tuis superioribus CL. D. HOPPERE, respondi XXVI. Augusti, Calendisque Septemb. accepi rursus eas, quas XXII. Augusti ad me dederas una cum literis Majestatis suæ, quibus benigne atque amanter affectionem ac voluntatem erga me suam declaravit, de qua certe nunquam in dubium veni, & nisi de ea plene confisus fuissem, ad hæc usque tempora non hîc perduraſſem. Verùm profecto hæc tempora non sinunt virum Catholicum, sacerdotem, senem, & odiis, calumniis, insidiis, periculisque undique expositum, longius in ista Curia versari. Hîc consolantur me tuæ, Tisenachiique literæ, quibus illum intelligo esse jam in procinctu, cùm Rex non aliud à me postulare videatur, quam ut ad ejus usque adventum in hoc munere persistam; unde spem concipio, ab sigillorum custodia, tituloque præsidali, eo adveniente, me absolutum iri, quod si impetravero, animo meo satisfactum erit; liberabor enim ab sollicitudine, quam in dirigendis secreti Consilii negotiis ægrè sustineo, ut hisce temporibus cum nonnullorum ingeniis (quæ nosti) conflictari mihi molestissimum est; ubi vero de sigillo amplius non respondere tenebor, multæ occasiones tollentur, quæ hac-

Digitized by Google

tenus, dum rectum tueri conor, Duciſſam ac pleroſque alios minus erga me benevolos reddiderunt, majorque tunc dabitur facultas ut nonnunquam ab Curia abeſſe liceat, atque dum Duciſſa, aut alius regimini generali harum Provinciarum Præfectus, aut Rex ipſe præſens huc atque illuc proficiſcetur, non compellar cum incommodo meo, ac valetudinis detrimento ſequi. Quod autem reliquum mihi erit virium vitæque, id lubens ad Majeſtatis ſuæ ſervitium dedicabo, ſive in Conſilio Status, ſive qua alia in re mea opera uſui ei eſſe queat. Non viſum autem mihi fuit hoc tempore aliquid Regi reſpondere, donec per te certior fiam, an hic meus intellectus Regis intentioni conveniat, id quod clare cognoſces ex dimiſſione D. Tyſenachii: ſi enim illi adjunget, quod ſemper deſideravi, privati Conſilii dignitatem, res ſalva erit, & fruar optatis; ſin verò in aliud tempus id rejiciet, non potero omittere denuo ejus aures ſupplicationibus meis obtundere. Quinimo ſi Rex autumat meam operam illi adhuc uſui eſſe poſſe, ſatius erit, ut patiatur me, & ætatis & valetudinis habere rationem, quò longius ei inſervire valeam, quam ſub onere nimio oppreſſum intra paucum tempus vitam finire. Hæc tecum, mi HOPPERE, philoſophor, ſperans pro tua erga me benevolentia, eadem rectius conſideraturum, ac ut tibi ac amicis aliquamdiu adhuc conſerver, una anniſurum.

De rebus publicis nihil ad te ſcribo, cùm ex Duciſſæ literis earum ſtatum plenius intelligere valebis. Unde & facile conjicies, quibus hîc periculis involvamur; & emplaſtrum quidem vulneri appoſitum eſt, inventumque aliquod ſufflamen, quo currus hic in præceps ruens parumper ſiſtatur; ſed niſi aliud remedium cito adhibeatur, facile vulnus iſtud recrudeſcet, & metuendum eſt, ne fiat inſanabile; multas autem rationes antea Regem permoviſſe non dubitamus, ut ab Statuum Generalium convocatione abhorreret, ſed eò res rediit, ut ſine illa, abſente ſua Majeſtate, ampliùs Respublica ſuſtineri nequeat, eaque unà cum religione peſſum eat. Sperandum autem eſſet, publico conſilio aliquam rationem inventum iri, qua ſi non bona, minus certe mala Reip. Religionisque forma conſtitueretur, ac quando cadendum eſt, ſatius cattos imitari, qui in quatuor pedes decidunt, & illos potius, quàm collum rumpunt.

Quod

Digitized by Google

Quod ſcribis regio mandato fieri, ut Duciſſa mea opera plus ſolito utatur, ego eo favore carere mallem, cùm non ſolum invidiæ, ſed periculi plurimum mihi adferat, & mecum nuper ſuaviter riſi, dum Majeſtas ſua juſſit, ut Duciſſa exquireret Senatus Dolani ſententiam ſuper deligendo novo Præſide, cùm me ante annum cum dimidio id ſuggerente, ſævo præter morem vultu, ægerrime ſe id ferre in gratiam quorundam oſtenderet.

Armenterius, Duciſſam mox ſubſecuturam autumans, Montes præcurrit, verùm, ipſa, conſilium poſtea mutante, hactenus eum huc redire ſuppuduit, & profecto me pene in maximum periculum illa conjecerat, dum impotentem eò una pertrahere ſtuduit.

Reinardus, Patruelis tuus, hîc nuper adfuit, quem admonui, ut de privatis rebus ad te ſcriberet, quod ipſum plene feciſſe arbitror. Gerbrandus, frater meus, adhuc ab Sneca ob peſtem exulat, fruiturque meo Zwichemano, cui bubulcam ac ſerum invideo, quæ omnibus Bruxellenſibus deliciis libens hoc tempore præferrem, ac me cum ruſticano mure conſolarer, cujus deſiderium & Stinam ** noſtram tenet, quæ hîc perpetuo metu emaceratur. Hoc tamen triumphat ſerio, quod Roterodamenſia templa ab vaſtatione hactenus exempta fuerint, prout & Goudana; verùm & ibi & aliis locis, ob repentini inſultus formidinem, imagines ſponte templis fere ſemotæ ſunt, & nos hîc adhuc Bruxellæ armata manu ædes ſacras, præcipue D. Gudulæ, ab nebulonum petulantia cuſtodire cogimur.

Friſia noſtra adhuc integra eſt, ſed non deſunt, qui illos, Tranſiſalanoſque ac Geldros ſollicitant, ut eorum ſocietate culpam ſuam excuſatiorem faciant.

Artheſii autem, Hannonienſeſque in officio adhuc perſiſtunt, exceptis Valencenianis, Tornacenſibuſque, qui omnino ſe ad Antverpienſium exemplar componunt. Sonnius (35) ex Buſcoducis profugus oberrat, & Tytelmannum *** Inquiſitorem Lovanienſes longius apud ſe hærere non

** Ecce *Stinam*, ſeu *Auguſtinam* altera vice. Quare exultat ob Roterodamenſia templa huc uſque ab expilatione exempta? Quia nempe Roterodamum illi patria. *V. Teſt. ſup cit.*

*** *Tytelmannus*) Petrus, de quo ſup. ad Epiſt. VII.

(35) SONNIUS) Franciſcus, primus Epiſcopus Buſcoducenſis.

Digitized by Google

non ſuſtinuerunt. Optimus Præſul (36) Iprenſis in ſua Eccleſia, ruderibus altariumque dejectione miſere deformata, ad concionandi munus rediit, cohortatuſque ſum meos Canonicos, ut idem faciant in mea Eccleſia S. Bavonis apud Gandavum, quæ eandem imaginum vaſtationem perpeſſa eſt, impetravique ab eis ut obſequerentur: ſed ſi denuo expellantur, non video, quomodo eos reducere queam. In fratrum Prædicatorum monaſterium (37) apud Gandavum plus cæteris ſævitum eſt, quod ibi ſemper fuerint viri docti (38) & Catholici, qui concionibus maxime ſemper ſectariis obſtiterunt. Et profecto niſi ex publico, bonis viris, tam ejus monaſterii, quàm plerorumque aliorum miſere direptorum ſuccurratur, deinceps ſeminaria, quibus hactenus Religionem ſuſtinuimus, penitus deficient. Vale, mi HOPPERE, & in iſtis tribulationibus nos aliquando bona aliqua ſpe fove. Bruxellæ. VII. Septembris CIↃ IↃ LXVI.

EPISTOLA XVI.

Hopperi ac Hiſpanorum opinionem, concordiam ſperare jubentium, refutat. Edictorum moderatio jam non niſi ex Stat. Gen. conſenſu admittenda. Libertas religionis expetitur, ſine celeri adventu Regis nullum remedium. Friſii, Geldri, Tranſiſulani a Lutheranis ſollicitati: qui verſus Galliam Belgæ, Calvinum ſecuti. De privatis Hopperi & ſuis rebus nonnulla.

Tu quidem, CL. D. HOPPERE, halcedonia nobis promittebas literis tuis noviſſimis XXIX. Auguſti ſcriptis, verùm puto haud diu te in iſta permanſiſſe ſententia, cum mox

(36) PRÆSUL] Martinus Rythovius. Gabbema legit: *optimus Toreſat Iprenſis.*

(37) PRÆDICATORUM MONASTERIUM] expilatum die 22. Auguſti 1566. & altera vice 24. Maji 1578. *V. Belg Domin. pag.* 53.

(38) VIRI DOCTI] quos vide, ſi lubet, in *Belg. Domin. a p.* 60.

Digitized by Google

nox intellexeris, qua barbarica feritate homines isti turbulenti hîc in aras & templa DEI grassati fuerint, cum comminatione universum clerum internecione delendi, omnesque Catholicos exterminandi. Miratus sum etiam, quomodo concordiam sperare nos jubeas, ex iis quæ postrema communicatione probavêre nostri Domini, cùm ipsi ad Ducissam scribant, non sibi satis placere Regiæ Majestatis resolutionem: quinimo nos in hoc turbarum fervore, jam Barcinonæ esse Regem sperabamus, cùm quorundam illinc literis perscribatur, ipsum ad ea loca, in quibus oblectare se solet, secessisse, unde vix intra viginti dies sit rediturus: quapropter Majestatem suam ex hac communicatione literarum inter (39) Ducem Albanum ac Gomesianum cum nostris habita, persuasum habere existimamus, iis mediis, quæ illic proposita fuerunt, tempestatem hanc sedari posse. Verum longe alium rerum statum vos ex his quæ hinc per aliquos cursores perscripta sunt, percipere potuistis, & nos quoque videbamur hîc aliquantum per tractationem novissimam cum confœderatis habitam respirare, tranquillioraque sperare nos posse, sed ut hujus mali natura est, quo magis ei cedi-tur, eo majora incrementa accipit.

De moderatione frustra illic consultatis, cùm eam deinceps hîc non videantur admissuri, nisi ex Generalium Statuum consensu; ideoque & Brabantini responsum differunt, & in Hollandia, Trajecto, atque Zelandia, ea nondum proposita fuit, quod Principi Auriacensi illuc ire non vacaverit, & Brederodium aliosque confœderatos, præoccupasse Statuum animos intelleximus; ut ipsi quoque, non tam suum super Religione judicium proferre, quàm cum Generalibus Statibus se conjungere expetant. Et dum Rex de illis convocandis deliberat, multi sic in diversas sententias, opiniones, atque errores trahuntur, ut non amplius generalibus decretis acquieturi videantur; sed sibi liberum relinqui omnino velint, id cuique de Religione sentire, quod suo animo maxime collubitum

(39) LITERARUM INTER] Hæ duæ voces absunt a Codice nostro. Gabbema eas interserit: quas retinendas putavimus, ut sermo intelligibilior redderetur, si tamen sat intelligibilis est.

Digitized by Google

bitum est; eòque denique res progressa est, ut verear, etiamsi maxime Marchio Bergensis, Montiniacusque conentur, & illi ipsi, & alii Domini nostri in id omnem operam suam conferant, nihil, aut certe parum profecturi sint. Proinde videte, ne falsa spe concordiæ decipiamini, & si Rex non vult de summa rerum hîc periclitari, omnesque bonos fidelesque certo exponere periculo, cogitet sine ipsius celeri præsentia nullum amplius remedium superesse. Quamobrem, mi HOPPERE, quæso ne vobis inani spe securitatis imponi patiamini. Porro hoc malum serpit quotidie latius, & jam in Geldriam, Transisalaniam, ac Frisiam nostram mittuntur, qui ad confessionem Augustanam eos sollicitant, passimque pastores ad hos desciscunt, quemadmodum qui versus Galliam vergunt, Calvini sectam mordicus defendunt, Anabaptistis inter hos quoque tuto sua dogmata profitentibus, invalescentibusque. DEUS Ecclesiæ suæ misereatur, Regique nostro salubria consilia ad hæc mala avertenda suggerat. Benè vale, HOPPERE CL... Septemb. CIↃ IↃ LXVI.

Scriberem plura de nostris Frisiis, nisi ex exemplis literarum Arembergensis, quæ ad Regem mittuntur, ea plenius cognoscere possis; & profecto pudet me nostratium hominum, valdeque vicem Patriæ doleo. (1) Uxor tua, ut Magister Wibrandus, qui Duaci habitat, e Gauda nuper rediens mihi nunciavit, recte valet, felicem partum opperiens, quam ante triduum neptis mea Hesselia apud Gandavum, & conjuncx Dni. Commissarii a Loo eodem die, præcesserunt. Bene vale, CL. D. HOPPERE, XXIII. Septemb. CIↃ IↃ LXVI.

(1) Hæc quæ sequuntur desunt apud Gabbema.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XVII.

Rege tardante, non ſolùm hominum, ſed integrarum urbium fit defectio. De his, qui cum Duciſſa Remp. ſuſtinent, nihil ſperandum. Rege non adventante, conſilium capiendum, quod ſcribere non audet. Hortatur Hopperum, ut Patriæ ſuccurat. Nuntiat ei filiolam natam.

ACcreſcente quotidie nova materia ſcribendi, CL. D. HOPPERE, curſoris hujus miſſio de die in diem procraſtinata fuit. Sic accidit, ut literæ hiſce conjunctæ, quas in illius abitum pararam, retardatæ fuerint. Dum autem nihil à vobis adfertur, & de adventu Regis ſpes decreſcit, augetur quotidie malorum audacia atque numerus, defectioque fit non ſolùm hominum, ſed integrarum urbium. Quid autem conſilii, auxiliique ſperare poſſimus ab his qui cum Duciſſa Remp. ſuſtinent, tu ipſe ex qualitate hominum facile colligis. Et quod potiſſimum eſt, nulla pene reverentia, nullaque authoritas manet Capitis; quod & unde procedat, non eſt opus apud te commemorare. Quamobrem Regem ipſum advenire oportet, aut id conſilii capere, quod dicere, aut ſcribere non auſim. Te autem, mi HOPPERE, rogo, ut, quantùm tibi chara eſt Patria, tantùm hanc ejus ruinam ac interitum una avertere ſtudeas, ac in id totus incumbas, ut tempore tam neceſſario nullum abs te prætermiſſum eſſe officium ſentiamus. Præmiſi triſtia, nunc accipe lætum nuncium de filiola tibi nata quinto die hujus menſis, ſalva ac incolumi matre, de quo multum ipſe ſum gaviſus, ac tibi non poſſum non congratulari; qui autem conceptionem ejus ad calculum revocant, illam incidere colligunt in eam diem, quæ Regum anniverſaria lætitia celebratur; unde non poſſumus non omnia fælicia ei augurari, quæ cùm potiſſimum conſiſtat in tua incolumitate, diuturnaque vita, precamur DEUM, ut illam tibi beatam longævamque largiatur. Bruxellæ XIV. Octobris. CIↃ IↃ LXVI.

Digitized by Google

EPISTOLA XVIII.

De Regis adversa valetudine dolet, gaudet autem eum de adventu suo certò constituisse, sollicitus interim quomodo hîc subsistere valeat contra tantas adversariorum minas ac terrores. Quæ sit mens, quis animus Consiliariis Status in religionis negotio, his explicat; quis desuper usus & consuetudo Germaniæ, obiter innuit. Calvinianorum sævitia. Defectus pecuniæ, & unde. Quare urbes periclitentur. Leovardia contaminata, ejectæ imagines, pastores apostatæ, qui duxerunt concubinas suas. In Sneca quoque pastor apostata. Nobilibus Frisiis timet. Assonvillium commendat, causamque Idzardi ab Sickinga. Aliæ res privatæ.

Literas tuas, CL. D. HOPPERE, quarto hujus mensis scriptas, XV. ejusdem accepi. De Regis adversa valetudine multum profecto doluimus, & quatenus causam ei dedit rerum quæ hîc geruntur nuntius, valde vereor, ne earum continuatio malum hoc adaugeat; verùm non aliud est remedium, quàm, ut ipse magno animo obsistat, celerique adventu se bonosque omnes confirmet, quod illum tandem certo constituisse lubenter intelleximus. Nobis tamen interea summa sollicitudo incumbit, quonam pacto, videlicet in tanta adversariorum audacia, contraque eorum machinationes ac minas, subsistere valeamus: quos tantum abest, ut fama advenientis Regis terreat, ut atrociora quotidie minentur, nosque interea imparatos obruere posse se sperant, ac omnia mala bonis ominantur, quiritanturque, Regem non ex Statuum consilio, sed ex suo arbitrio omnia definire velle, ac hîc exaggerant Hispanorum ambitionem ac tyrannidem, ut taceam alias infaustas ac subditis indignas voces. Et cùm ne omnibus quidem, qui nobiscum in Consilio assident, Regis sententia placeat, non parum nobis cum illis est laboris, & profecto, si hoc tempore religionis controversia ad Statuum deli-

Digitized by Google

deliberationem deducatur, valde verendum est, ne multi in eorum numero sint futuri, qui sectis contaminati, ea mordicus fuerint defensuri, quæ ipsi sentiunt. Alii metu malorum minus fortiter constanterque fidei Catholicæ veritatem fuerint defensuri, ac ad hoc rem evasurum metuendum sit, ut ad dedecorosam præjudicialemque quandam concordiam inclinaturi fuerint; qua utramque, vel potius quamlibet Religionem fuerint admissuri, non sine magno Reip. malo, atque etiam cum Regiæ authoritatis Majestatisque derogatione; cum in Imperio Germanico, ubi plenissima libertas conceditur, nullis subditis permittatur contra Dominorum Principumque suorum voluntatem, Religionem amplecti, sed aut se eorum ordinationibus submittere, aut Provincia excedere cogantur. Quamobrem non sine magna causa Rex ab Statuum Generalium convocatione abhorrere videtur, ne per eos aliquod fiat præjudicium, quod postea reparare difficile fuerit. Verùm contra necessarium est, ut adventum suum maturet, cùm boni diutius subsistere nequeant, & Calvinianorum hoc proprium sit studium, ut libertatem, quam ipsi principio tantùm prædicaverunt, omnino tollant, nec Catholicos, alteriusque dogmatis sectatores secum habitare patiantur, imo exilium cædemque quotidie eis comminantur; à quo metu, quidam per Statuum conventum liberari Catholicos posse credunt. Quod vos autem remedium interea nos petere jubetis ab his, ad quos ea res pertinet, & in quibus maxime fides esse deberet, id exiguum nobis præbet solatium, cùm si quid ab illis sperandum fuisset, in has angustias res adductæ non essent, meminitque D. T. quid semper in ore habuerint, se pro defensione Inquisitionis, Edictorumque, arma suscipere ac fortunas, vitamque periclitari nolle, nec scimus an alia lateant mysteria, & omnes se nunc Prophetas profitentur, quod hanc calamitatem nobis prædixerint; id quod cuilibet facile futuras prævidere. Rege adventum suum differente, ac ipsis interea officium suum non præstantibus. Prætexerunt & aliam causam, quod vires & nervi, quibus opus ad id esset, desint, & quanquam Rex alia ex parte necessitatibus nostris providerit, tamen non existimant hoc satis esse, & eam in expedienda pecunia eorum, qui rem nummariam tractant, experiantur difficultatem, ut omnes pene rei bene gerendæ

Digitized by Google

occaſiones amittantur; quod omnino non eſt vanum; & eorum hominum, quos D. V. novit proprium: tum & tempori quoque aliquid imputandum eſt, cui ut plurimum mercatorum rationes ſubſerviunt. Verùm cogimur ex neceſſitate facere virtutem, &, quomodo licebit, nos in Regis adventum ſervare; quem quo longius Majeſtas ſua differat, eo difficilius quod facere intendit, exequetur, cùm interea deſciſcere, aut ſaltem ea conſilia inire maximas quasque urbes videamus, quibus adverſùs Regis vim ſe defendere poſſe ſperent. Et quanquam aliquæ urbes in officio adhuc retinentur, veremur tamen, ne ad longioris moræ impatientiam accedant, eaſque exſtimulent continua eorum ſtudia, machinationesque, qui ſuam culpam aliorum ſocietate contegere, &, uti fit, quo validius reſiſtere poſſint, quamplurimos alios ad communem defenſionem ſollicitare non deſinunt.

Non poſſum autem non ſine magno animi dolore referre, quod Leovardiam noſtram hoc malo tantopere quoque contaminatam video, ut omnem pene ſpem amiſerim ejus reducendæ, nam & imagines ejecerunt, altariaque everterunt in tribus parochialibus eccleſiis, & novos admiſere concionatores, treſque earum Paſtores, inter quos eſt Silio (2) primarius in æde D. Viti Paſtor, qui hactenus ſe erraſſe publice profeſſi, ad ſectas palam deſciverunt, concubinasque ſuas mox publica ſolemnitate in uxores duxerunt, ac ne quid retinerent veteris ordinis, ſacerdotalem habitum abjecerunt; idque factum Magiſtratus pertinaciter defendit, ut reprehenſione Arembergenſis Præfecti contempta, rem ad arma venturam verear; dum ille arci quotidie magis præſidium imponere nititur, quod cives indigne ferentes prohibere ſatagunt. DEUS illis meliorem det mentem, &, ne longius id malum ſerpat, prohibeat. Sneca nondum à peſte omnino libera eſt, & ibi quoque ſecundarius Paſtor D. Andreas, ni fallor, Enchuſienſis, quemadmodum & aliis multis in pagis, ex profeſſo ſectariorum inſtitutum ſequitur. Nobilesque mul, quorum caput eſt, Douwe Douwema, libello cui-

(2) SILIO] *Syttio Abbes, ad Aldenbovam* Paſtor. Heuſſ. hiſt. Epiſc. Leov. p. 48. col. 2. *Sixtum Abbæum* vocat Winſemius hiſt. lib. 1. p. 71. in fol. ubi & alios legas. V. quoque pag. 73.

Digitized by Google

cuidam ſupplici una ſubſcripſerunt, qui eodem tendere videtur. Longum eſſet, ſi cuncta referre vellem, ſed ſatius eſt ea tacere, quam juſtum dolorem augere. Tantum illud commemorare volui, ut intelligeres, mi HOPPERE, non reliquis tantum Provinciis, ſed noſtræ etiam Patriæ conſervandæ, Regiæ Majeſtatis celerem adventum perneceſſarium eſſe. Ego ſane, ſi eam conſpicere potero, cantabo cum Simeone cygneam cantionem.

(3) Aſſenvillani deſiderium me non latuit, ac induſtriam illius non poſſum non commendare, quam te ex literis diſcurſibusque ſatis diffuſe conſcriptis colligere potuiſſe opinor, neque eſt in ſenatu noſtro qui conſtantius Religionem Catholicam defendat, eoque nomine Regiæ Majeſtatis favorem promeretur. Verùm exiſtimo rem in ſuum adventum Regem rejecturum, ac tum ejus merita digne compenſaturum.

Miror te de Vulpiano hactenus nihil ſignificaſſe, & num eum itineris veſtri comitem ſitis habituri. Vironius (4) noſter nondum plene convaluit, ejusque viſendi cauſa huc rediit Morillonius Præpoſitus, ſed ut evitet populi calumniam, in publicum rarius prodit.

Mitto libellum ab Lovanienſibus noſtris nuper editum contra ſummam doctrinæ noſtrorum ſectariorum. Fortaſſis non deeſ-

(3) *Aſſenvillani*] Ita MS. & Gabbema. Puto legendum *Aſſonvillii* nempe Chriſtophori Conſiliarii Regii in privato Conſilio, ut ex ſubſequentibus liquet. In catalogo apud Butkens nullus occurrit alius huic nomini ſimilis.

(4) VIRONIUS] In Catalogo Cameræ Rationalis Brabantiæ in Suppl. Butkens to. 1. p. 207. ita lego : *Mr. Otton Viron Conſeiller & maitre extraordinaire de la Chambre de Luxembourg & Comté de Chiny, reſident a Bruxelles, par reſignation de Maitre Pierre Damant le 2. Mars* 1542. Tumulatus eſt in templo Dominicanorum Bruxellis, cum hoc epitaphio : *Cy giſt noble homme ODO VIRON, lequel après avoir deſervy l'Eſtat de Maitre de Comptes en Brabant l'eſpace de 40. ans, & autres honorables charges, trespaſſa le 23. Mars* 1577. *agé de 76. ans. Et Damoiſelle Catharine Gilken ſa femme, laquelle trespaſſa le 19. Mai* 1588. *agée de 60. ans, après avoir eu enſemble XVII. enfants.* Le Grand theat. Sacré de Brabant. to. 1. p. 265.

Digitized by Google

deeſſent & alii ſcriptores, ſed metus calamos multorum continet.

Junxi literas nonnullas mihi traditas, & in his unas magnifici D. Idzardi ab Sickinga (5) qui me hîc coram, literisque compellavit, ut ejus ſupplicationem tibi exhibitam, quam mihi te tradidiſſe ad illum ſcripſiſti, reſtituam. Verùm ego, mi HOPPERE, ſatis recordor, & oblatam mihi ſemel ſupplicationem tibi reddidiſſe, & cùm poſtea alia quædam illi adjungeres, me omnibus quidem perfectis, tibi denuo reddidiſſe, ſententiamque meam tum dixiſſe, ſuper ea videlicet nihil ſtatui poſſe, niſi habita Conſilii Friſiæ ſententia, communicatisque antea Procuratori Generali & Rationalibus iis, quæ per eum exhibita fuerunt. Quamobrem vide ne pro intereſſe tecum agat, qui non tantum de immunitate, ſed etiam nobilitate ex hiſce tam præclaris monumentis per te amiſſis periclitetur.

De conjuge liberisque tuis nihil niſi lætum audivimus, ſed vacat res Hungaricas cognoſcere. Mamerani ad te literas mitto, quem non dubito vobis in Italiam occurſurum, ut quærelam de nobis apud Regem deponat, quod non aliter templa arasque defenderimus; ſed redeuntem adjuvate viatico, ne nos iſtis privemur delitiis.

M. Dionyſius Weſenhage literas tuas in ſuam commendationem ſcriptas mihi tradidit, cui operam meam lubenter obtuli; ſed Comes Meganus pro alio interceſſit, cui gratificari Duciſſa promiſit, & ſcit D. T. me deliberationi hujusmodi cauſarum officiorumque amplius non intereſſe. DEUS D. T. ſervet incolumem. Bruxellæ..... Octob. CIↃ IↃ LXVI.

Juvenalis Procurator Inſulenſis ſemel atque iterum ad me ſcripſit, ut ei nomina ſervitorum meorum ſignificarem, ſeque non ſine cauſa id petere. Ego ſuſpicatus calumniam aliquam texi, principio nihil reſpondi: deinde rurſus ab eo interpellatus ſcripſi, me præter Deuterum meum, Lambertumque Oſtiarium veterem ſervitorem ſuum, alios non ſatis noſſe. Cum autem denuo ad me ſcripſerit, plurimum referre, ut id cognoſcat, monendum de eo te putavi, ne forte homo

(5) *Idzardus ab Sickinga*] Conſiliarius in Senatu Friſiæ.

Digitized by Google

homo ſuſpicioſus aliquem in tua familia non ſatis fidelem eſſe arguere velit. Bene vale. Ultima Octobris. CIↃ IↃ LXVI.

EPISTOLA XIX.

Queritur eos, qui Remp. ſecum adminiſtrant, in diverſas abire ſententias. Deplorat Regis abſentiam, ac præteritam indulgentiam, nec non derelicta eſſe antiqua media religionis tuendæ. Minæ ob auditum Regis cum milite adventum. Aggæum Albadam ridet & ſuam in fide conſtantiam præclaris verbis declarat. Arembergenſis in comprimendis ſectariis remiſſior.

PAraram ſub initium hujus menſis CL. D. Hopperæ, literas ad D. T. in abitum proximi curſoris, qui tamen hactenus procraſtinatus fuit, quod, dum Duciſſa more ſuo de ſingulis Regiam Majeſtatem certiorem facere cupit, in infinitum labor excreverit; creſcuntque in immenſum literæ: præſertim illo calamum tenente, cujus effuſam copiam D. T. cognitam habet, & res quoque ejus momenti ſunt, ut paucis dici non poſſint, prolixitatemque argui præſtet quàm omiſſionem. Et hîc ſane in diverſas diſtrahimur ſententias, cum quidam nihil niſi bellum ſonent, alii perpendentes mala, quæ inde procedunt, omniaque diligenter conſiderantes quæ bona malave ex eo ſubſecutura ſunt, id, quantum poſſunt, declinare effugereque fatagunt. Regis autem præſentia ac authoritate multa corrigi poſſent, quæ nunc fruſtra emendare nitimur. Et jam ſatis plerique, qui initio reluctabantur, agnoſcunt, in quanta mala nos iſta indulgentia conjecerit, ac quanto præſtitiſſet iis, quibus antea mediis Religionem ac tranquillitatem retineri, quàm ad iſtam licentiam, impunitatem, confuſionemque rerum januam aperiri; ſed ſero ſapiunt Phryges. Nos tamen interea facimus quod poſſumus, ſed Regem dolemus non perinde feſtinare atque cupimus. Literas autem tuas XXVIII. Octobris ſcriptas accepi, quibus rurſus Majeſtatis ſuæ adventus ſpem nobis facis, ſed

Digitized by Google

ſed noli quæſo amplius ſcribere quod veniet, ſed quod venit. Porro nonnulli, etſi Majeſtatis ſuæ adventum optare ſe dicant, tamen exteri militis injurias metuunt, ac utinam ſaperent, tempeſtiveque Regis juſtam indignationem, culpæ agnitione obſequioque anteverterent. Quod etſi quibuſdam perſuadere conamur, ſunt tamen, qui occidionem, omniaque mala, tam Eccleſiaſticis Regiisque miniſtris, quàm omnibus Catholicis minantur, ubi primum Regem intellexerint cum milite advenire. Sed jamdudum his minis periculisque aſſueti, non deſinimus ſperare DEUM propitium horum tandem terrorum finem facturum. Aggæus ceu alter Propheta hæc mala nobis prædixiſſe inculcat, ſed eventus rerum probabit, noſne an ille recte ſenſerit. Ego profecto cum tot Patribus, totaque Eccleſia Catholica, errare & mori malo, quàm illius judicio recte ſapere.

Comes Arembergenſis calorem, quem initio adverſus Leovardienſes noſtros conceperat, paululum remiſiſſe videtur, Lingiumque conceſſit, conſultove an ſecus, poſtea videbimus, cum verear illorum exemplum cæteros noſtros conterraneos ſecuturos, ut cum remedium adhibendum fuerit, ex mora hac vulnus latius ſerpſiſſe comperiamus.

De tua conjuge familiaque nihil niſi proſperum habeo. Ego vero valeo ut ſoleo. Veronius adhuc decumbit, veteremque ſodalitatem deſidero, quæ hyemis tœdium publicorumque negotiorum moleſtias ſuavitate convictus depellat. Vale, mi HOPPERE, Bruxellæ. XIV. Novemb. CIↃ IↃ LXVI.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XX.

Deplorat malorum proterviam, bonorum ſollicitudinem, errores erroribus accumulatos, & multitudine protegente natam impunitatem; ac Regis moram præcipue dolet, Deo ſe interea commendans. Triſtatur ob patriæ amorem, Arembergenſis ignaviam incuſans. Ducis Albani gratiam ambit, eumque aut Regi advenienti eſſe comitem, aut in Belgium præmitti, optat. De Cobelii morte & de candidatis ad ejus locum aſpirantibus. Aggæum commendare nec audet, nec vult. De Tzommone, Vironio, Canonico Vlierdeno, & præbenda apud Gandavenſes vacante. De oppido Harlingenſi augendo.

POſtquam ad te noviſſime ſcripſi, CL. D. HOPPERE, ternas abs te accepi literas XVI. Oct. XIV. & XXVIII. Novemb. datas: quod autem maxime optabam, hoc nullæ earum præſtiterunt, ut videlicet brevior adventus Regis nobis annuntiaretur.

Taceo enim perpetuum periculum in quo hîc verſamur, minas machinationesque adverſariorum, quibus impetimur, bonorum quotidianas literas quibus ſollicitamur, ut, quandòque ipſi, qui omnem ſpem in Regis adventum collocaverunt, ex his tribulationibus eripi ſe poſſe intelligant. Verùm illud maxime perpendendum eſt, quod tempus ipſum difficilius reddit omne remedium, quod poſtea adhibebitur. Nam & malum hoc altiores quotidie agit radices, ac ſemel imbuti his erroribus animi populi, indies in pejora labuntur. Uti fit, dum hæc, quæ ab illis tantopere prædicatur conſcientiæ libertas, ulterius progreditur, & non tantùm errores erroribus accumulantur, ſed ut naturaliter homines curioſi ſunt, & hæretici, hoc maxime ſtudent, ut multitudine protecti impunitatem ſibi parent; quotidie plures ad ſe trahunt: ac cùm natura contagioſum hoc ſit malum, tum

Digitized by Google

hæreticorum induſtria quotidie latius ſerpit; ut verear, ne Regi hæc tanta mora multas difficultates ſit paritura. Quid dicam de perverſis, ac eorum ſtudiis, quibus interea ubique pene terrarum, quo ſe hæc hæreſis extendit, auxilia contra Regem noſtrum invocant, conanturque alia ipſi impedimenta objici, quo aut cœpto deſiſtere cogatur, aut ſaltem difficilius id exequatur. Cùmque expeditio ſuperiore anno adverſus Turcam ab Imperatore inſtituta; non ea fælicitate, qua ſperavimus, ſucceſſerit, novaque in futurum annum quærere Cæſar cogatur auxilia, hanc excuſationem Germani ſectis dediti jam meditantur, quod Regis noſtri ſub idem tempus adventu, belloque impediri ſe dicent. Quibus ſane de cauſis multisque aliis, quas tua prudentia faciſe per ſe colligit, non tantum protelari Regis adventum optaſſem. Cùm autem voto noſtro ſimus fruſtrati, feremus, ægro licet animo, quod corrigere non poſſumus. Et interea cauſam hanc nosque ipſos DEO commendabimus, à quo omnis tutela & ſalus pendet, & in cujus manu cor Regis eſt, quique ea, quæ humanis judiciis deſperata ſunt, divino ſuo auxilio ſolus reparare reſtaurareque poteſt.

Friſiæ noſtræ me valde miſeret, quæ tota in errores iſtos præceps fertur, ac initio quidem Gubernator ejus valde ſe calidum oſtendit, ut malo obſiſteret, ſed ſubito, cùm rebus componendis præſentia ejus maxime opus eſſet, refrixiſſe videtur, Lingiumque conceſſit, & neſcio an ſibi perſuaderi ſinet, ut illuc redeat, niſi juſto inſtructus exercitu, unde non tam remedium, quàm excidium conſecuturum ſit. Me autem Patriæ amor non leviter commovet, cùm una ex parte animarum detrimenta video, & ex alia interitum propinquorum amicorumque ante oculos pono.

Lubenter intellexi ex literis tuis in Ducis Albani gratia te eſſe, & mei quoque memoriam ſubinde apud illum abs te renovari, quem unum ex Principibus Hiſpaniæ plurimi ſemper feci, & nuper, excitato hîc rumore, illum per Galliam huc præmitti, non levi gaudio affectus ſui, non ſolùm quod illum comitem Rex habiturus eſſet, ſed etiam præcurſorem, qui ſaltem & bonorum ſpem aliquantum confirmaret, & conſiliis ſuis res hîc ad Regis adventum ſuſtineret; verùm cum de eo nihil tuæ literæ contineant, ſpe omni excidimus.

Quod

Digitized by Google

Quod Ægidii Juvenalis petitioni satis faciendum duxeris, plus sane mihi hominis suspicioni tribuisti, quàm opus erat, verum non possum omittere, (6) quin missis ei nominibus serio ab eo exigam, quidnam rei fuerit quod illum moverit.

De Cobelii morte te certiorem factum puto, & fuit certe illa valde inopinata, sed cùm semper legationes expetiverit, ut illis etiam immoreretur in fatis forsitan fuit. Erat enim missus ad Archiepiscopum Treverensem, ut dissidium quoddam cum civitate obortum componeret, ac in reditu, conventui apud Coloniam, super negotio monetario indicto interresset; sed neutrum conficere potuit, & vix exposita apud Archiepiscopum legatione, in ejusdem arce morbo correptus diem extremum clausit, nec desunt qui ad illius locum aspirent, ac à variis accommodentur, uti Guilhelmus Martini Pensionarius olim Bruxellensis ab Thesaurario, Brakel ab socero Damhouderio, Rottaller ab sororio Loo, & nosti veterem candidatum Molineum, qui in tua amicitia multum semper fiduciæ collocatum habuit. Ego vero Cancellarii Geldriæ postulationis commonui, & D. Petrus à Dekama eandem conditionem non aspernaretur, verùm profecto valde opus esset Curiæ obtingere rursus aliquem, qui rerum Germanicarum & linguæ non imperitus esset: nam ego, qui in negotiis hactenus una operam præstiti, arena hac discedere cogor, & jam sexagenarius, priusquam de ponte dejiciar, ut ab eo me subducam, multis ex causis impelli me novisti.

Aggæum uti commendare non ausim, ita etiam ob eas opiniones, quas in eo jamdudum animadverti, nolim; & vereor ne hic rerum Frisiæ nostræ status illum obfirmatiorem faciat. Cripius superiore hebdomada uxorem suam amisit, quem casum æquiore animo ferre nos decet, quod jam triennio quasi deploratæ fuerit valetudinis.

Haurincourtius (7) Brederodii frater apud Viennam Au-

(6) OMITTERE] In MS. vitiose legitur *non mittere*.

(7) Non consonat Simon van Leeuwen qui in *Bat. Illustr. p.* 889. *col.* 1. sic habet: „ Lodewyck van Brederode, Heer van „ der Ameide en Haurincourt, bleef doot in den Slag van St. „ Quintyn in Vranckryk, zynde verstikt van de hitte in sy-

 „ nen

Digitized by Google

Auſtriæ extinctus eſt, qui magnum ſui deſiderium creditoribus reliquit.

Ab Tzommone arbitror te aliquando literas accipere, & ſi ille forte præter ſolitum taceat, philoſophiam ipſius ex noviſſimis ad me literis cognoſces; hortatus autem ſum eum ad exemplum ſervi Evangelici, cui Dominus dixit; Euge ſerve bone, quia in paucis fidelis fuiſti, ſuper multa te conſtituam.

Vironius noſter prope convaluit, & Morillonius Ariam conceſſit, ut ſe periculis injuriisque hic ſubduceret, à quibus adhuc Comitatus Artheſiæ plus cæteris immunis eſt.

D. Gabriel Vlierden (8) Canonicus Gandavenſis, Secretarii (9) frater, magno noſtro dolore proximis diebus obiit, qui magnum collegii Sancti Bavonis ornamentum erat. Præbendam ejus ex jure rotulæ petit pro filio D. Albertus ab Loo, (10) cujus ſi poſtulatio locum obtinebit, filius tuus primus expectans erit: verùm inſtigatu Molinei D. Janſenius deſignatus Epiſcopus Gandavenſis, hanc ad ſe, vigore bullæ Apoſtolicæ, pertinere prætendit, per quam præbenda una Epiſcopo reſervata eſt, ut capitularis fiat; verùm non videtur fuiſſe mens eorum, quorum conſilium habitum fuit in aſſignatione dotium Epiſcopalium, ut Gandavenſis, (11) quatuor præbendas à morte mea habiturus, adhuc aliam obtineret, præſertim cùm dotem habiturus ſit ſatis opi-

„ nen helm; annq 1557. ongehylikt. " Et recte. Nam id fere legas quoque apud *Pont. Heuter. Rer. Auſtriac. lib.* 15. *cap.* 2. Hic proinde Viglius male edoctus fuit.

(8) *Gabriel Vlierden*] ſeu *van Vlierden* Bruxellenſis, S. T. L. anno 1559. Electus Cantor eccleſiæ Cathedralis Gandavenſis, poſt multas lites ceſſit. *Sanderi Flandria to.* 1. *p.* 240. ** Fratrem habuit *Danielem* Medicum, aliosque de quibus in *J. F. Foppens Biblioth. Belg. to.* 1. *p.* 229. *Gabriel* noſter fundavit plures burſas in Majori Collegio Theologorum Lovanii. *V. Faſtos Academ. p.* 174.

(9) *Secretarii frater*] nempe Conſilii privati Bruxellis.

(10) *Albertus ab Loo*] Conſiliarius ærarii. *Conſeiller & Commis des Finances.* 1557. *Butkens.*

(11) QUATUOR PRÆBENDAS &c.] Hac de re dixi ad N. 8. Teſtamenti.

Digitized by Google

opimam, & meministi quoque quid Ducissa prætenderit in præbendis Iprensibus, non ferens illum aliquod sibi jus in iis vendicare, quæ ante acceptam ab eo possessionem vacaverant. Ego autem arbitror Ducissam contrarium non dispositurum, sed potius ad Regis arbitrium remissuram, quanquam id in Iprensi minime factum nosti.

Incluſi hisce cedulam omnibus pene valvis propositam, qua Harlingenses nostri emptores quærunt, quò tu in illorum gratiam Hispanis quoque intimare possis: certe ex eo conjicio non eum habiturum successum, quod de augenda urbe prætendebant. Quinimo plusquam centum inde familias emigrasse audio, postquam hæc hæresum impunitas invaluit, qui propter securitatem illuc confluxerant.

Circa uxorem familiamque tuam omnia recte se habere ex Elisabetha tua quotidie intelligimus. DEUS illam conservet, ac D. T. fæliciter ad eam reducat. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ. XVI. Decemb. CIↃ IↃ LXVI.

EPISTOLA XXI.

De abolenda nova religione, intempestiva sumpta consilia, dum desunt vires virique ac pecunia. De cæsis apud Watrolozium sectariis. Frisia turbata, unde legati venerunt, suspecti apud nonnullos. Arembergensis tardus, qui initio calidus. Magnanimi spiritus, moderandi. Rassengemium laudat, de Noircarmio bene sperat, & optat ut Egmondanus rem bene gerat. Exspectat ab Hoppero solamen. Monet delectum ministrorum sollicite habendum. Hachicourtii obitus.

EX literis Ill. Ducissæ, CL. D. HOPPERE, cognosces quo in statu res nostræ sint. Vereor autem, ne intempestiva consilia, præproperaque de abolendis Religionis novæ exercitiis, de quibus prolixe antea ad Regem scriptum est, nos in eas difficultates conjiciant, quibus remedium ante Regis adventum adhiberi nequeat.

Digitized by Google

Scis enim, quas vires habeamus, quosque viros, quorum opera in executione opus est. Unus alteri non satis fidit, & invidia calumniaque multorum conatus impediunt. Verùm jacta est alea, & ubique sectarios ad arma conclamare audimus. Proinde nisi à vobis necessaria pecunia juvemur, frustra fortassis vestri apparatus fient, cùm omnia præoccupata erunt. Primæ velitationes cum adversariis haud infæliciter nostris cesserunt, ac heri nobis nuntiatum fuit, in pago meo Watreloz, à milite Domini de Rassinghem pene ccc. una cum Capitaneo ac Concionatore cæsos esse, qui illac transibant, ut aliis copiis, qui juxta Tornacum convenerunt, sese conjungerent: verùm Martem Homerus ἄνδρα πρὸς ἄνδρα & vereor ne in miseros Ecclesiasticos, quorum sanguinem sitiunt, seditiosorum vindicta redundet. Frisia nostra, quod dolenter scribo, his malis quotidie gravius immergitur, ac ex nobilitate multi se antesignanos sectariis exhibent. Advenerunt autem huc ab aliquot diebus Docko à Martena, Douwe ab Hottinga, & Doctor Barta, qui, nescio quam, prætendunt legationem, quam hactenus proferre distulerunt. Proinde quidam illos suspicantur, magis explorandi causa quid alii faciant, adveniisse, quàm remedium aliquod quærere. Cohortatusque sum Dockonem, ut, pro veteri familiaritate, aliquid ad te scriberet, quod ille facturum se promisit, ex cujus literis forsitan melius intelliges, quorsumnam eorum consilia tendant. Arembergensem optarem illius Sallustiani meminisse. Priusquam incipias, consulto, &, ubi consulueris, mature facto opus est. Qui autem nimium calidi sunt initio, postea in exequendo tardiores esse solent, magnamque laudem promeretur, qui magnanimos spiritus moderari novit. Nam alii, uti continua febre laborantes, si quid prospere agunt, fortunæ magis, quàm prudentiæ ascribitur. Et profecto Rassengemius non parvam promeruit laudem, qui moderamine suo Insulenses hactenus in officio continuit, & parva manu egregium exemplum edidit. Si Noircarmio succedet suus conatus, ad æmulationem spero alios provocabit, ac Egmondanus ad suarum Provinciarum tutelam brevi abire constituens, adversariis forsitan terrorem aliquem incutiet, quo ea saltem ex parte motus isti paululum sedentur.

Ex-

Digitized by Google

Expecto avide tuas literas, quibus te spero perscripturum plenius ea, quæ diu scire desideravi, de vestræ profectionis tempore, itinere, consiliis, rebusque aliis, quibus hic languentes aliquo pacto refocillemur.

De Vulpiano miramur tantum silentium vestrum. Grandjanius ** quoque domi cum morbo morteque colluctans, non magnam spem præbet, ut Consilio deinceps magno usui esse possit, licet spem Præsidatus Burgundici nondum, ut audio, deponat. Quidam autem & Vulpiani longam absentiam, & hujus diuturnam (12) valetudinem prætexentes, in alterutrius locum surrogari ambiunt. Et hîc quoque multi Cobelio suffici petunt, ut novissimis ad te literis perscripsi, sed velim Rex bene perpendat, quæ ex utilibus inutilibusve Consiliariis ac Ministris commoda ac incommoda acceperit, & profectò non in tantas difficultates incidissemus, si melior delectus habitus fuisset: ut taceam, quod vulgo dicitur, omnia, ut Romæ, venalia esse; & huic parti, uti primæ Reipub. bene reformandæ, animum Regem intendere convenit, nisi per inidoneos ministros perpetuè res regni sui inquietari, labefactarique velit.

(13) Hachicourtium XXIII. hujus, Duaci amissimus, virum certe bonum, sed illi muneri cui præerat, uti scis, non satis aptum: nam Lynceum esse oportet, qui tot tantasque Regio patrimonio insidias fraudesque possit perspicere, avertereque. Vale D. HOPPERE CL. & D. Tysenachio, Courtewillio, ac Denneterio, quibus nunc non habui quod scriberem, multam ex me salutem. Bruxellæ. penultima Decemb. CIↃ IↃ. LXVI.

** *Grandjanius*) Hic mihi repertus non est in Catalogo apud Butkens. nec in libello: *Tom. 6. des hom. Illustr.*

(12) DIUTURNAM] Imo, *non diuturnam.*

(13) *Hachicourtium*] Philippum de Montmorency, Equitem aurei Velleris, toparcham de Hachicourt, qui est ager in Artesia prope Atrebatum. Ex textu patet præfuisse eum regio patrimonio, & apud *Butkens Suppl. aux troph. de Brabant to. 1. p.* 199. numeratur inter Finantiarum præsides vel capita, vulgò *Chef des Finances.* Fuit quoque de Consilio Status, ut reliqui omnes Equestris ordinis viri, & interfuit anxiis deliberationibus tempore *Margaretæ* Parmensis, ut videbimus in *Joachimi Hopperi* Commentario N. LXXXIX. & CXXV.

Digitized by Google

EPISTOLA XXII.

De Edicto Antverpiensi. In Frisia milites, ob non soluta stipendia, molesti. Procurator generalis eò missus. Qui captivi Rupelmondæ detenti. Gubernatores Provinciales quid attentent. Ducissæ Parmensis discessus. Quid a Gallis timeat.

CL. D. HOPPERE, pridie Calend. Januarii duo mihi redditi sunt fasciculi, quibus inclusæ erant pleræque ad alios literæ, quas iis, quibus inscriptæ erant, tradi curavi: ad me autem ternæ tuæ, fuere VII. XIV. ac XX Octob datæ. Quas prius accepi ex exemplo novissimæ meæ epistolæ cognosces, nunc verò serius de expeditione hujus cursoris admonitus, pauca duntaxat rescribam. De Edicto Antverpiensi, quando Regi placuit mitius de nobis sentire, non videtur quoque nobis ejus refricanda memoria. Verùm quoad licet cavebitur, ne in eundem lapidem rursus impingamus.

(14) Dalemense tuum negotium, super quo literas salvas adveniisse gaudeo, una cum Loo lubenter promovebo.

In Frisia milites adhuc hærent, & minus nostris molesti essent, si stipendia solverentur: isthuc missus est Magister interea (15) Livinus Everhardi, qui cum Procuratore Generali bona rebellium fugitivorumque annotet, & processus intentandos instruat.

Porro (16) Beiema, Galama, ac Bonninga adhuc Rupelmondæ detinentur. Gratum mihi feciſti quod de Noircarmio aliquid rescripseris, & prudenter Majestas sua rem differt, donec deliberavit, qua forma Provinciæ deinceps sint guber-

(14) V. Inf. ad Epist. XXVIII. in fin.

(15) *Livinus Everhardi*] Senator Mechlinienſis, antea Gandavenſis. *Suppl. Butkens tom. 2. p. 318.* Procurator Generalis non occurrit, niſi forte ſit Joannes Carolus (*Charles*) apud *Winſemium Hiſt. lib. 2. p. mihi. 93.* Conjecturam adjuvat quod ſcribit inf. in Epiſt. XLII.

(16) BEJAMA &c.) Vide Winſemii. Chron. Friſiæ vernac. fol. 538.

Digitized by Google

gubernandæ. Nam Marchio Bergenſis, cùm primò Blondelium cum aliquot vexillis Valencenis collocare Duciſſa ſtatuiſſet, ipſum admittere recuſavit: & alia quoque multa per Gubernatores Provinciales attentata fuerunt, quæ cum inſtructionibus antea illis datis non ſatis conveniunt.

Duciſſa penultima Decemb. hinc diſceſſit; verùm valde vereor, ne profectio ejus hyberno præſertim tempore & (17) Condeanis equitibus, tàm Germanicis quàm Gallicis in propinquo exiſtentibus, difficultatibus periculisque non ſit caritura. Nec res etiam apud nos ſatis quietæ futuræ videntur, ſi Rex Galliarum cum Condeanis, ut fama eſt, paciſcatur, ac omnis illa colluvies in nos redundet. Domi quique, & qui à Patria exulant, non dormiunt, præſertim cum bona ſua paſſim annotari audiunt. Verùm de his brevi fortaſſis plura, nunc tempus non patitur ut ſim prolixior. Bene vale, CL. D. HOPPERE, & D. Tyſenachium ac Denneterium noſtrum plurimum quæſo ſaluta. Bruxellæ. VI. Januar. CIↃ IↃ LXVII.

EPISTOLA XXIII.

Duciſſa Luxemburgi. A militibus Condeanis nullum ſubiit periculum. De rebus Gallicis obiter. Egmondani & Hornenſis exceptio declinatoria ſuper privilegiis ordinis aurei Velleris. Dux Albanus pauca cum Viglio. Quis huic ſcrupulus? Difficile, ſe novi magiſtri ferulæ ſubjicere. Petit ab munere exonerari.

PEr curſorem, qui per Galliam venit, literas tuas CL. D. HOPPERE, XVIII. Decemb. datas, VIII. Januarii accepimus; eas vero, quas per mare vos miſiſſe ſignificabatis, adhuc expectamus. Ego vero ad te VI. hujus

(17) *Condeani equites*, a Ludovico Borbonio Principe Condeano conſcripti. Conſule Hiſtoricos Gallos.

Digitized by Google

jus menſis die aliquid quoque ſcripſi (quod hiſce conjunxi) & conjugis fortunam, quæ pridie apud nos Reginalem titulum ſortita fuit, indicavi, neſcio an apud vos iſtiusmodi ſtellæ appareant, cùm nimium illic ſitis occidui, ſeriique.

Literas quas ad Duciſſam ſcripſiſti, etſi jam hinc profecta fuerit, curavi ad eam mitti, cum hinc digreſſa Luxemburgi aliquot dies ſubſtiterit, unde XII. hujus Baſileam verſus profecta ſcribitur, cum equites peditesque Germanici, qui in Principis Condeani auxilium proficiſcebantur, jam in Lotharingiam, atque ad confinia Galliæ progreſſi eſſent, ut ſperemus eam ſine periculo tranſituram. Copiæ autem, tam Regis Galliæ, quàm adverſariorum, tam parvo ſpatio inter ſe diſtant, ut, quæcunque pars prælium expoſceret, ægre altera id detrectare poſſit; verùm non deſunt utrinque qui pactionibus potius, quàm armis controverſiam eorum definiri deſiderent. Verùm hoc an ex Regis utilitate authoritateque futurum ſit, plurimi ambigunt.

D. Egmondanus, Hornenſisque hactenus declinatorie exceptioni inſtitere, & ad Equitum Aurei velleris cognitionem remitti poſtulaverunt. Verùm nuper tranſmiſſis ad eos libellis, gravem criminalemque concluſionem continentibus, plurimum perculſi, attonitique fuere, gaudentque alii, qui tempeſtive fuga ſibi conſuluerunt, quod bonorum occupatione decidere poſſint, quæ cum tempore, occaſione data, ſeu gratia impetrata, recuperare ſe poſſe ſperant.

De Rebus publicis ordinandis Dux pauca adhuc mecum commentatus eſt, & valde vereor, ne perdifficilis futura ſit deliberatio, ſi ex quorundam ingeniis judiciisque ea inſtituatur. Ego ſemper judicavi moderata durare; et ſi aliter ſtatuat, bonique cum malis eodem jure pertundantur, vereor ut res illos, quos optamus, exitus ſit habitura. Sed de experientia, prudentia, atque juſtitia ipſius Ducis ea nobis ſpes eſt, ut nihil, niſi maturo perpenſum examine, facturum eum credere par ſit. Ego tamen, ut hoc ſcrupulo carerem, magnopere cuperem Regis præſentiam, quæ facile effectura eſſet, ut ſi quædam duriuſcule per Majeſtatem ſuam conſtituerentur, ſubditi tamen multo æquiori animo ea perlaturi videntur, quàm quæ ab abſentis ejus Miniſtris fiant.

Non potui autem non aliquid reſcribere ad Regiæ Majeſtatis

Digitized by Google

ſtatis literas, quibus poſtulat, ut uſque ad adventum ſuum in ſervitio perſiſtam, hisque literas meas adjunxi, quas & oportuno tempore offerre te velim, niſi tamen aliud tibi videatur, ob quod copiam earum adjunxi. Cogor autem, mi HOPPERE, perſiſtere in propoſito, ac, ſi Majeſtas ſua ſub id tempus, quod ſignificavit, non advenerit, ſucceſſorem expoſcere, qui mihi poſt emerita ſtipendia viceſima, omni jure debetur. Non enim credas, mi HOPPERE, quàm grave mihi ſit in hac ætate novi magiſtri ferulæ me ſubjicere, nec deſunt, qui ſua ambitione vel nolentem extruſuri videantur. Cùm verò ego ſemper ab hujusmodi, ac omni contentione abhorruerim, tum maximi beneficii loco ducam, ſi honeſta miſſione me Rex tempeſtive dignabitur, ad quod, quantum me amas mi HOPPERE, et ſi unquam tibi quod gratum eſt feci, allaborare una te velim. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. XIV. Januarii. CIↃ IↃ LXVII.

EPISTOLA XXIV.

Ægmondani & Hornenſis exceptione rejecta, ad Brabantiæ privilegia recurritur. Ea in crimine læſæ Ma. ceſſare, cenſet Albanus. Edicta adverſus Principem Auriacum, alioſque proceres, publicata. De nepotibus ſuis per Gallias in Hiſpaniam euntibus. Laus Vibrandi Aytta. De Regis adventu nova ſpes. Duciſſa Parmenſis non credidit Regem ullo tempore venturum.

Quæ noviſſime, CL. D. HOPPERE, ad te ſcripſi, ex adjuncto literarum exemplo cognoſces. De ſucceſſu Duciſſæ cum nihil audiverimus, ſperamus eam, id itineris, quod periculo non carebat, jam pridem confeciſſe. Noſtri fines ab Condeanis militibus Gallicisque hactenus illæſi manſerunt. Et, quanquam utraque pars numeroſiſſimum habeat exercitum, haud longe inter ſe diſtantem, in Campaniæ, Burgundiæque Ducatu, tamen ab armis prælliisque hactenus ceſſatum eſt, ſive concordiæ ſpe, ſive quod unus enſis (ut

Digitized by Google

dicitur) alium in vagina contineat. Nobis autem undequaque variæ adferuntur minæ; ſed vana ſine viribus ira.

Egmondanus, Hornenſisque, declinatoriam exceptionem cùm vident non proficere, ad alia confugiunt remedia, Egmondanique conjunx ſupplicationem Conſilio Brabantiæ exhibuit, qua requirit, ne Brabanti privilegia in eo violari ſinant; eaque ita eſt acris, ut Ducem aliquantum commoverit, ægreque tulerit, regios in eo Conſilio miniſtros authoritatem ſuæ Majeſtatis non plus cordi habere, voluitque ut mandata, quæ in proceſſibus criminis læſæ Majeſtatis decernuntur contra Brabantinos, ſigillo Curiæ cujus cuſtodia mihi mandata eſt, (18) communicem. Cum autem ea allegaſſem in præſentia collegarum meorum, que obſtare videbantur, nolui illo inſtante refragari, cùm in iis, quæ crimen læſæ Majeſtatis concernunt, omnia privilegia ceſſare cenſeat; verùm neſcio an idem Brabantinis erit judicium.

XXIV. præteriti menſis die publicata ſunt hîc Edicta adverſus Auraicenſem, Ludovicum fratrem, Brederodium, Bergenſem, Hochſtratanum & Culenburgium. Betzius itidem citatus, ad Regem appellaſſe dicitur, ſed non puto eum in Hiſpaniam venturum, ut appellationis, inhibitionisque mandata ibi relevet. Plura autem ad te ſcriberem de his, quæ hîc geruntur, verùm puto omnia copioſe per Ill. Ducem Regi ſignificari, cùm Courtewillium, licet pedibus ægrum, perpetuò in ſcribendo occupatum videam.

Conjunx tua optime valet una cum tota familia.

Ego quatuor nepotes meos hiſce turbis Gallicis Pariſiis habui, decedentibusque cæteris ſcholaribus meos illic permanere juſſi, donec oportunitatem inveniant, qua in Hiſpaniam proficiſcantur, ac apud Salamanticam ſtudiis ſuis colophonem imponant. Unum autem habeo adhuc Lovanii juri operam navantem, cum eo profectu, ut ad licentiam eum progredi cupiam, priusquam aliò dimittam. Is vero, Vibrandus nomine, omnes nepotes meos à tergo longe relinquit, ac ex Oratione quodlibetica nuper habita, crebrisque diſputationibus publicis magnam ſpem concipio, fore ut hunc ſtudiorum

(18) COMMUNICEM) Ita reperi ſcriptum, & ita quoque edidit Gabbema. Clarum eſt legendum eſſe: *communiam*.

Digitized by Google

diorum meorum habeam hæredem. Miror nondum eas nobis esse redditas literas, quas per mare vos misisse significasti, etenim post illas, quas XIIX. Decemb. scripsisti, nullas abs te accepi. Erigimur autem rursus in Regis adventûs expectationem, quo profectò falli nos nollem, ne de fide omnino periclitemini: quanquam mihi Duciſſa sæpius dixerit, non id se credere, ac si sibi persuadere potuisset, non tantopere de seceſſu suo apud Regem instituram. Et forte, si verum quidam referunt, ipsamet, si quo tempore Regem Barcinonam accedere intellexerit, eò proficiſci non gravabitur, quo administrationis suæ plenam rationem reddat. Bene vale, HOPPERE, CL. Et D. Tyſenachium, Denneteriumque à me saluta. Bruxellæ. Tertia Febru. CIↃ IↃ LXVII.

EPISTOLA XXV.

Brabantini pro Egmondano & pro suorum privilegiorum conservatione apud Ducem Albanum frustra intercedunt. Abbatiam S. Petri juxta Gandavum vacantem, Jansenio nominato Episcopo commendari cupit. De Molinæo & Hunnæo doctoribus Lovanienſibus.

Cum significasset mihi (19) Doctor Ludovicus à Rijo, CL. D. HOPPERE, cursorem in Hispaniam expediri, mox aliquid ad te literarum paravi, significavique conjugi, si quid adjungere vellet. Verùm more solito, ubi nos properare jubemur, aliunde sæpe mora injicitur. Interea allatæ mihi sunt tuæ literæ XIX. Decemb. datæ una cum iis, quas Illustrissimæ Duciſſæ D. T. inscripsit, quas ad te remitto, cùm

(19) *Doctor Ludovicus*] Hispanus, qui fuit de duodecimvirali Consilio, quod *sanguinis* appellarunt; in Catalogo Consilii Privati in Suppl. Butkens to. 1. p. 175. legitur: *Messr. Louis del Rio, reçû au Conseil Privé par lettres patentes données a Namur le 2. Juillet* 1578. Antea Fiscalis Burgundiæ. Duxit virginem Hollandicam ex familia Bronckhorst. V. inf. Epist LXXXIV.

Digitized by Google

cùm illa jam dudum à nobis discesserit, & supervacuum officium tuum putem, facileque ab alia via resarcire possis.

Comes à Lalain frustra, uti audio, iter suscepit, cùm Duci visum fuerit alteri eam provinciam committere, putaritque per quosdam, per Imperatorem delegandos, officio huic satisfieri posse, Duxque Arschotiæ, ob itinera non satis tuta, non multum ad hanc legationem affectus fuit.

Miramur cursorem per Oceanum profectum, uti vestræ literæ indicant, nondum advenisse.

Status Brabantiæ satis magno numero apud Ducem pro Comite Egmondano, privilegiorumque suorum conservatione supplicarunt, verùm Celsitudo sua læsæ Majestatis causam nulla privilegiorum necessitate ligari censet, rejectisque declinatoriis exceptionibus, ad ulteriorem cognitionem progreditur. D. Jansenius se plurimum D. T. commendat, & spero Majestatem Regiam ejus rationem habituram. Informationis super novo Abbate Sancti Petri deligendo relationem Dux nondum audivit, magnaque de ea Abbatia contentio est inter Præpositum ac Priorem ejus monasterii, ac Abbatem Sancti Adriani. Verùm ego optarem D. Jansenio eam commendari donec morte mea vacet Præpositura Sancti Bavonis. Qua ratione cessabit quoque pensio Hispanica, citra quam ipse sustinere dignitatem Episcopalem non poterit.

Dedit mihi commentarios suos in Proverbia Salomonis ad te mittendos, verùm non ausim cursorem tam magno fasce gravare.

(20) Molinæus Lovanium rediit, & pristino destitutus favore, lectionis munus repetit; sed homini persuaderi non potest, ut Gratiani Decreta prælegat, sed sua dictamina loco eorum surrogat.

(21) Hunæum quoque, relicta Cathechismi prælectione, à

(20) *Molinæus*] Joannes, vulgo Van der Meulene, Gandavensis, J. U. D. & professor Lovanii ubi & Decanus S. Petri fuit. Dicitur hic pristino destitutus favore, quòd Ducissæ Parmensi, dum illa Belgium administraret, ab Eleëmosynis esset. *V. Val. Andr. in Bibl. Belg.*

(21) *Hunæus*] Augustinus Hunnæus, Mechlinienſis S. T. D. &

Digitized by Google

à Ducissa, defuncto (22) Joanni à Lovanio, ex Molinæi commendatione suffectum tamquam ad hanc lectionem non satis idoneum, ad Cathechismi prælectionem relegare optarent. Verùm Pontificis diploma exspectamus, quo de Præbendis, eis lectionibus ab Rege destinatis, liberior dispositio Facultati, Majestatique suæ fiat. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. IX. Februarii CIↃ IↃ LXVII.

EPISTOLA XXVI.

Gaudet Albanum, quem reverentius colit, de obsequio suo ad Regem scripsisse. Dolet differri deliberationem de Rep. restituenda. Hopperus Commentarios scribit de rebus præteritis, quem mallet de futuris esse sollicitum: optatque ut ei adsit uxor. De Regis filio Carolo custodiæ tradito. Hinc Regis adventus desperatus; unde ab officio liberari instanter petit. De causis rebellium, Backerselii, nobilium Frisiorum profugorum, nec non aggerum, cespitumque.

CL. D. HOPPERE, post novissimas literas IX. hujus mensis à me scriptas, binas tuas XVI. Decemb. & XIX. Januarii datas, (23) ex quibus cùm intellexerimus, te longo tem-

& Prof. Regius Lovanii, Vir doctus & linguarum in primis peritia excellens. V. *Val. Andr.*

(22) *Joannes a Lovanio*] Cognomento *Hessels*, vir incomparabilis, Synodo Trid. interfuit. *V. Val. Andr. in Fast. Academ. & in Bibl. Belg.* Sepultus est Lovanii ad S. Petrum ubi legitur ejus epitaphium laminæ æreæ insculptum, juxta sacrarium SS. Eucharistiæ: *Hic e regione sepultus est* D. Joannes Hessels, *a Lovanio, sacerdos, hujus Ecclesiæ Canonicus & Regius S. Theologiæ Professor: vir celeberrimus, & pietate ac eruditione incomparabilis. Qui hæreses suo tempore grassantes, tum viva voce, tum editis libris, strenue profligavit, & moriens Lovanii* VII. *Idus Novemb. anno Incarnati Verbi* CIↃ IↃ LXVI. *ætatis vero suæ* XLIV. *piis doctisque omnibus, & Scholæ Theologicæ in primis, maximum sui desiderium reliquit.*

(23) *Supple*: accepi.

Digitized by Google

tempore nullas à nobis accepisse, magnus abs te nobis injectus est metus, ne forte literæ nostræ ab iis, quorum opera in illis mittendis usi sumus, neglectæ, aut aliàs interceptæ fuerint. Quæ res & conjugem tuam male habuit. Quo tamen cognoscas, quid ad te prioribus aliquot scripserim, earum exempla, ut antea à me aliquoties factum est, his quoque adjunxi.

Gaudeo Illustrissimum Ducem, de meo erga se obsequio, officioque aliquid ad Regem perscripsisse. Cùm enim apud multos malevolos hîc de eo male audiam, quod eum reverentius colam, moreque solito bonorum ministrorum consilia, actaque, in hac licentia, multa aspergi calumnia soleant, hoc aliquod mihi tribuit solatium, quod Regi, Ducique ministerium meum non ingratum existit,

De remediis Reip. restituendis (24) Religionisque sæpe equidem cogito, verùm cùm, nescio qua de causa, deliberatio differatur, cogor aliorum judicio prudentiæque meam imperitiam silentio submittere. Interea autem video moram nobis multa adferre incommoda.

Tibi autem isthoc otium, in quo Commentarios (25) etiam scribere vacat, valde gratulor. Primam autem, potissimamque operam in hoc te dare velim, ut aliquid commenteris, quo ex his calamitatibus eripiamur, neque rerum præteritarum commemoratio, futurarum cogitationem excludat : nec in hoc otio tantum tibi facias negotii, ut valetudinem negligas. Qua de causa optarem tibi isthic adesse illam, quam jura nostra divinæ atque humanæ, vitæ sociam appellant, quæ tuis aliquando lucubrationibus modum imponat, curisque gaudia interdum interniscat.

Me vero non leviter commovit, quod nuper Rex de filio annuntiari jussit. Cùm enim illum secundo post eum loco coleremus, ipsumque Patri adjutorem fore speraremus in obeundis Reip. muneribus, videmus nos omni pene spe, quam in eo reposueramus, excidisse, ut lachrymas non teneam, quoties ejus mihi in mentem venit, & quem Carolum aliquem Bur-

(24) *Restituendis*] Melius : Religionisque restituendæ.
(25) *Commentarios*] scribit Hopperus eos quos publicamus.

Digitized by Google

Burgundicum fore ſperabamus, eum in (26) Scheltonem degeneraſſe intelligam. Deus autem omnia vertat in melius, & benigno oculo aſpicere dignetur, quibus hoc ad alia plurima mala accedit longe triſtiſſimum, quod fruſtra nos deinceps Regem hîc expectaturi videamus: videmus enim lupum eum auribus tenere, metuimusque ne filii cuſtodia ipſi nonnullam ſollicitudinem, ſervitutemque allatura ſit. Quamobrem, mi HOPPERE, te etiam atque etiam rogatum habeo, ut cum Regem ad præſcriptum tempus videas huc venire non poſſe, quod de me ſuperioribus literis ad te ſcripſi, curæ atque cordi habere velis, efficiasque, ne D. Tyſenachii adventus longius differatur. Atque cum jam tertius annus agatur, quod mihi datus eſt ſucceſſor, ut his me fluctibus liberet, bonaque cum gratia tandem hoc munere penitus abſolvar, quod diutius retinere omnino non eſt animus.

Cauſæ rebellium, quæ coram judicibus extra ordinem cognoſcentibus agitantur, in immenſum creſcunt, verùm contra neminem adhuc, quod ſciam, definitive pronunciatum eſt.

(27) Backerzelium hiſce diebus quæſtionibus tormentisque

(26) *Schelto*] Quis ille cui Carolus Princeps Hiſpaniæ aſſimilatur a Viglio? Famianus Strada adſcribit Principi indolem ferocem ac contumacem. Hujusmodi hominem, & famoſum quidem ac celebratum in mente habuit cùm ſcriberet? Atqui mihi nemo occurrit in hiſtoria ejus nominis. Apud *Pitſeum de illuſt. Angl. ſcript. p.* 701. lego Joannem Scheltonum ſacerdotem Anglum, quem notat loquacitatis & ſermonis ſalſi & mordacis, qui in Fratres Prædicatores injurius, pravorum morum fuerit, caſtitatem violarit, ac de invectivis contra Cardinalem Wolſæum Archiepiſcopum Eboracenſem ſcriptis convictus, ad azylum Weſt-monaſterienſe profugerit, ubi vitam, quantumvis antea jucunde actam, triſti exitu concluſerit anno 1529. Ad hunc Joannem reſpexerit Viglius, eique æquipararit Carolum Principem? Non placet. Quare opinor Scheltonem Friſium quemdam fuiſſe ſibi inprimis & Hoppero notum, ſed hominem obſcurum, de quo hiſtoria non meminit.

(27) *Backerſelius*] Joannes Caſembroot Dominus de Backerzeele, *V. Borrium lib. 4. f.* 177. *Stradam lib. 6. p.* 358.

Digitized by Google

que subjectum audivimus, assistentibus verò *** (28) atque Ryo; verùm numquid extortum sit, præter ea, quæ antea sponte confessus fuerit, nondum scire potui. Mitto autem catalogum (29) nobilium aliorumque, qui ex Patria nostra profugi, per Edictum citati sunt, inter quos agnosces, qui tibi

(28) Hæc pagina in MS. exesa, Vocabulum unum nos ignorare fecit. Si conjicere licet legendo puto: *assistentibus Verga atque Ryo.* Joannes Vergas seu *Vargas*, & *Ludovicus a Ryo*, quin serventiores fuerint in Consilio turbarum, nullum est dubium. Hos Commissarios fuisse opinor cùm torqueretur Backerzelius. Certe in MS. sunt hi apices; *assistentib. ver . . . atque Ryo.*

(29) *Catalogum*] a Gabbema omissum, ex MS. codice adjungere visum est. „ 13. *Feb.* 1568.

„ Epe van Douwema.
„ Me. Frans van Eisynga.
„ Wilco van Holdinga.
„ Pibo van Zarda.
„ Homme van Hettinga.
„ Hessel van Sthem.
„ Weiger van Feitsema.
„ Sionck van Eminga.
„ Foppe van Campstera.
„ Dottie Wymer.
„ Epe van Betsema.
„ Douwe van Glins.
„ Reynte Gheerolfs.
„ Frans Engels.
„ Minne Scheltema.
„ Hessel Feitsima to Huyssum.
„ Hessel Feitsima to Peyns.
„ Et Ede Heringa to Marsum. 18.

„ *Par autres Lettres.*

„ Tierck Walsis.
„ Alla Teys.
„ Hendrick Albretsz, hoste en la main d'or.
„ Pierre Pietersz.
„ Geerit Florisz.
„ Gobbe Aysma.

„ Gabba

tibi, mihique sanguine junguntur, quod nobis cum multis bonis viris commune malum est. Utinam sapuissent ac novissima providissent. Gregorius cum genero tuo, filiaque, audius tertius primum huc advenit, nec licuit nobis antea possessionem Præbendæ Gandavensis capere, quod opus erat judicis Ecclesiastici decreto Curatorem ei dari, qui deinde Procuratorem ad hujusmodi actus constituat. Verùm nihil negliget, quod in ipsius rem erit, expectamusque ut Orschotensis quoque Præbenda aliquando ei obveniat, cùm primum in rotula locum teneat. Causa aggerum cespitumque magnas in Patria nostra inimicitias generat, quarum gratia huc missi fuere Consiliarii Rosseau & Igramus, quibus in Consilio nostro auditis, ad eas lites determinandas, remedia aliqua proposuimus. Vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. XVII. Februarii CIↃ IↃ LXVII.

„ Gabba Seltsema hoste au heaulme d'or.
„ Wolter Coequillaen.
„ Jan Simoensz.
„ Sibrant Sibrantsz.
„ Cornelis Cornelisse.
„ Sibolt Asina.
„ Jeppe & Siourt Vrieltsema Freres.
„ Dierick Willimse.
„ Me Leo Simoensz Advocat.
„ Me Tiepke Onema.
„ Ebe Tinckes.
„ Me Charle Roorda.
„ Me Sierck Fongers.
„ Et Cornelis Fonck. 20.

„ *Adjournez tous pour comparoir en personnes dedens trois huy-*
„ *ctaines prochainement ven. Les lettres estoient dattées le 17. Fe-*
„ *burier an. 1567. soubsigné* VLIERDEN.

EPI-

EPISTOLA XXVII.

Comes Buranus, Principis Auriacensis fil. in Hispaniam avectus. Brederodii obitus. Supra 30. *a Consilio turbarum in carceres conjecti. Episc. Buscoducens. sollicitat jus ad Abbatiam Tongerloënsem.*

Literas meas superioribus diebus, CL. D. HOPPERE, scriptas, Courtewillio, Riioque tradidi quorum utrumque mihi significavit cursorem in Hispaniam expediri. Verùm cum dubitem, an illæ missæ sint, has ex abundanti scribere visum fuit; cum rursus admonitus essem hoc vespere abiturum cursorem, aut forte navigium, quod ad vos devehit comitem Buranum, Principis Auraicensis filium. Hîc nihil novi habemus, nisi quod de Brederodii morte constans est fama, verùm ego adhuc nihil vidi, ut illam certo asserere ausim. Lubenter autem credimus, quæ ita esse optaremus, & sane illius mors si ante biennium accidisset, bona malorum parte forsitan caruissemus.

Judices à Duce delegati ad examinationem causarum criminalium, cùm multitudine evocatorum comparentiumque pene obruerentur, supra xxx. ex iis carceri incluserunt, qui violationis templorum, confractionis imaginum, aliorumque rei sunt; ea ubi fama ad cæteros perveniet, à comparendo forsitan nonnulli deterrebuntur.

Reverendissimus D. Buscoducensis adjutus oportunitate temporis, magnopere sollicitat (30) ad jus Abbatiæ Tongerloënsis se restitui, quod cùm Prælati intellexerint, ipsi quoque expergisci incipiunt: ac dum vident Procerum, Statuumque Brabantiæ se destitui præsidio, Regiæ Majestati Pontificique supplicandum duxerunt, ut tandem de dissolvendis unionibus securi fiant, de qua re Ducem quoque aliquid ad Regiam Majestatem scripturum arbitror.

(31) Vil-

(30) *Ad jus Abb. Tongerloënsis*] Hac de re vide *Hist. Episc. Silvaducen.* editam anno 1721. in 4.

Digitized by Google

(31 Villarienſis quoque de ſucceſſore ſollicitus eſt, & tuo patrocinio voti ſe compotem futurum ſperat.

Hodie apud uxorem tuam pranſus ſum una cum Burgimagiſtro Dordracenſi ** filiæ tuæ ſocero, aliisque affinibus, ubi tui non immemores fuimus, ſeptemque proles tuas in bona diſpoſitione eſſe comperimus, quarum aliquæ non gravabuntur te iſthic eum matre inviſere, ſi vana ſe ſpe reditus tui longius lactari viderint. Bene vale, HOPPERE CL. & privatum meum negotium, uti ſæpius te rogavi, commendatum, quæſo, habe, nam me publici muneris jam pridem ſane tæduit piguitque. Bruxellæ XXIII. Feb. CIↃ IↃ LXVII.

** *Burgimagiſtro Dordracenſi*] Annoldo van der Myl, de quo infra ſæpius. V. ad Epiſt. CCXXI. & alibi.

EPISTOLA. XXVIII.

Quod ex privato Conſilio nemo in Conſilium turbarum aſſumptus ſit, ſe, dicit, authore factum: & Ducem eos non magnopere deſiderare, uti nec Brabantinos Conſiliarios, quorum pro Egmondano interceſſionem ſatis indigne tulit. Quid Dux cenſeat de Brabantinorum privilegiis? Poſt longum examen Conſilium turbarum ſententias fulminat. Betſius proſcriptus, ceteri brevi proſcribendi: quod Brederodius morte prævenit. Rurſus de Epiſc. Buſcod. De Janſenii Gandav. libellis, penſione &c. Cancellarius Gelriæ æger.

EX literis D. T. CL. D. HOPPERE, VII. Feb. datis, gaviſus fui, intelligere eas, quas menſe Decemb. ac VI. Januarii ſcripſi, tibi redditas eſſe. Ego autem rurſus XIV. Janu. III. IX. XVII. ac XXIII. hujus menſis Feb. die, literarum aliquid ad te dedi. Verùm mala fortuna ſubinde acci-

(31) *Villarienſis*] Abbas Ord. Ciſterc. in dicec. Namurc. *Matthias Hortebeck* prope octogenarius, ſucceſſorem accepit an. 1569. *Franciſcum de Vleyſchouwere* Bruxellenſem. *Gall. Chriſt. tp.* 3. *Coh* 591.

Digitized by Google

accidit, ut de curſorum abitu tardius admoniti, iter illi arripiant, priusquam literas noſtras parare poſſimus; ac rurſus, dum prævenire occaſionem cupimus, longius illæ detinentur. Quamobrem velim ignoſcas, ſi in hoc officio tibi non omnino ſatisfacimus.

Quod nemo ex privato Conſilio in novum hoc Collegium aſſumptus fuerit, ego potiſſimam author fui, quod videbam me quatuor duntaxat collegas habere, eoſque negotiis ejus Conſilii expediendis ægre ſatisfacere poſſe, ac Bruſſellio, Aſſonvillioque in Conſilio Status quotidie Duciſſam uti.

Animadverti quoque authoritatem ejus Conſilii omnino collapſuram, magno Provincialium (qui ibi cauſas ſuas proſequi ſolent) incommodo, ſi aliqui ex his diſtraherentur.

Adhæc de aliquibus eam Duci impreſſam opinionem conſidero, ut illorum operam non magnopere deſideraret, ac hactenus impetrare non potui, ut Aſſonvillius ad Conſilium Status evocaretur, (32) Bruſſelliusque, (33) ſeſe negligi apud amicos conqueritur; ſed hæc cum tempore forte corrigentur.

Conſilium autem Brabantiæ cùm Statibus ſacramento aſtrictum eſſe, privilegiisque ſuis mordicus inhærere, cùm Dux intelligeret, non viſum illi fuit aliquos inde aſciſcere; nuperque ſatis indigne tulit, & Conſilium, & Status ipſos pro Egmondano intercedere, prætendereque illum, ob comparatum Dominium Gaesbecanum, Brabantini juris cenſeri. Quibus non aliud reſpondit, quam ſe quidem illorum jura privilegiave infringere nolle, ſed viciſſim illos neque longius, quàm convenit, ea extendere, neque abuti, debere. Ideoque ſi quæ mandata adverſus Brabantinos decernuntur, quæ ad crimen læſæ Majeſtatis pertinent, ea Brabantico ſigillo ſubmittenda non cenſet, cùm illud crimen ſub eorum Privilegiis contineri neget.

Cùm

(32) *Evocaretur*] id eſt, ſtabilem in eo Conſilio locum obſtingeret, quem conſecutus eſt poſt decennium duntaxat, an. 1577. *V. Catal. Conſ. Status in Suppl. Buſkens to.* 1. p. 169.

(33) *Bruſſelius*] Philibertus de Bruxelles Conſiliarius in Conſilio Privato, poſt in Conſilio Status. Obiit an. 1570.

Digitized by Google

Cùm vero menſes aliquot in informationibus proceſſumque inſtructione extraordinarium hoc Collegium abſumpſerit, tandem fulminare ſententias bauni adverſus citatos ac non comparentes cœpit. Inter proſcriptos autem Bodius advocatus primum tenet locum, brevique futurum exiſtimatus, ut adverſus Principem Auraicenſem, cæteroſque proceres ac nobiles profugos eadem proferatur ſententia, quam Brederodius moriendo prævenit; quodque proximis ad te literis ſcripſi, certum eſſe intelleximus, XVI. videlicet hujus menſis die, eum è vivis eſſe ſublatum.

Reverendiſſimus Epiſcopus Buſcoducenſis hîc multum inſtitit, ut ad jus Abbatiæ Tongerloënſis reſtitueretur, magnamque ejus ſpem concepit, nec id tacet; ut jam Prælatos Brabantiæ excitarit, quo contra vigilent. Ipſe autem Dux neſcio quid in mandatis ab Regia Majeſtate habeat, & aliquid eam ad Regem ſcripſiſſe intelligo, allaborandumque ſuadeo, ut ſi quid Majeſtas ſua immutandum cenſuerit, cum ea, qua convenit juſtificatione, id fiat.

Domini Janſenii libellos veredariis committere non ſum auſus; cujus cauſam D. T. etiam atque etiam commendo. De penſione autem quod Romæ tranſactum ſcribis, nihil ipſe intelligere potuit. Quod ſi vero Regia Majeſtas de Abbatia Sancti Petri in eam quam ſcripſi ſententiam reſolverit, illâ facile Janſenius carebit.

(34) Cancellarii Gelriæ morbus indies creſcit, multumque de eo metuimus. De conjuge recte ſtatuiſti, urgebogue ut conſilium exequatur: quod tu vero de octo liberis ſcribis, nihil tuam cauſam juvat, nam, Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

De Commodo quod meminiſti, me hercle multum torquet. Etſi optimo prudentiſſimoque Imperatori talis olim fuerit filius, nec exemplum deſit, non poſſumus tamen ipſum non abhorreſcere, graviſſimeque dolere parentis filiique triſtem hunc caſum.

De Anglorum navigatione ad Moſcovitas per mare ſeptentrionale

(34) *Cancellarius Gelriæ*] Adrianus Nicolai, præſes Conſilii turbarum, alias *Adrianus Marius V. Val. Andr. in Bibl. Belg.* de quo nos ad N. XLI. Vitæ.

Digitized by Google

tentrionale, nihil aliud audivi, quàm quod idem ſuperiore anno à noſtris tentatum eſt, ſed nemo adhuc inde rediit, qui ſucceſſum referre poſſit.

Lubenter intellexi D. Tyſenachium meliorem adventus ſui ſpem facere, quem ut promoveas, te etiam atque etiam rogo; mirum enim in modum deſidero ab hoc volvendo ſaxo tandem abſolvi.

Literas, quas ad Duciſſam dediſti, remitto, quam jam arbitramur Parmam felici itinere perveniſſe.

(35) Super dominio Dalemenſi literas nuper ſigillavi, precorque, ut illud de generatione in generationem DEUS transmittat. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ..... Februarii. CIↃ IↃ LXVII. EPI-

(35) *Dominium Dalemenſe*] Hopperus ab omnibus ſcriptoribus ſalutatur Dominus de *Dalem*. Sed ubi iſtud Dominium? Van Leeuwen in Bat. Illuſtr. p. 1480. aſſerit ſitum eſſe prope Gorcomium, ſed ibi nihil probat, & p. 212. col. 2. enumerans pagos ac dominia ſub Gorcomio in agris Arckelenſi ac Altenatenſi, non meminit Dalemii. Porro in Ducatu Luxemburgenſi eſt *Dalbemium* exiguum oppidum cum arce item exigua, tertio ab Aquisgrano lapide, Brabantici juris factum ab Henrico II. Brabantiæ Duce, ut habet Val. Andr. in Topographia Belg. quæ veteri editioni Bibliothecæ Belgicæ præmittitur, pag. 24. quod oppidum an. 1678. per pacem Neomagenſem venit in poteſtatem Ordinum Fœd. Belgii. Et cùm aliunde conſtet, dominium illud a Rege Philippo jure confiſcationis in Hopperum fuiſſe tranſlatum, argumento eſt, illud quod Hoppero ceſſit, non fuiſſe Hollandici juris; ubi hoc tempore nihil fuit fiſco addictum. Certe inferius in Epiſt. XXXIV. hæc ſcribit ad Hopperum Viglius: *Poſtquam voluntatem Regiam inclinaveris, ſuadeo omnino, ut hanc ejus liberalitatem, ceu primam in te, non reſpuas, quin potius etſi litigioſam & incertam, ſtudio, gratitudinisque demonſtratione proſequaris.* Et in Epiſt. LXXXII. *Genero tuo..... ſuaſi ut contra turbatores juriſdictionis tuæ Dalemenſis, a ſenatu Geldriæ caſſationem obtineat.* Porro juxta Gorcomium, non in adverſa. ſed in eadem ripa fluminis, eſt toparchia de *Dalem*, quæ Hollandici territorii eſt, ſed feudum Hollandiæ non eſt. Fuit olim in bonis Arckeliorum, qui creduntur illud feudum tenuiſſe a Duce Gelriæ, unde hi turbatores coram illo ſenatu conveniri debuerint, quamvis in ipſa illa toparchia nonnulla ſint feuda, quæ ab Ordinibus Hollandiæ relevant. Hac de re plura haud novi.

Digitized by Google

EPISTOLA XXIX.

Cancellarii Geldriæ, amici ſui obitum dolet, ac viduam commendat. Huic Sasboutum ſuccedere mavult quam Craneveldium. Petrus a Walem, quæ officia morte vacua fecerit. De metu belli Gallici. 15000 *ad Conſilium turbarum citati. Advocatus Hollandiæ van Einde, & duo Penſionarii captivi. Proteſtationes emiſſæ contra Conſilium. De S. Conc. Trid. Ultrajecti exequendo. Hopperi fil. Gregorius ad poſſeſſionem præbendæ Gandav. admiſſus.*

SUperiore menſe multas abs te accepimus, viciſſimque dedimus ad te literas, CL. D. HOPPERE, & hoc hactenus menſe ſcribendo ſuperſedimus, partim literarum veſtrarum expectatione, partim etiam, quod nobis non offerretur commodus nuntius. Interea autem hîc amiſimus Cancellarium Gelriæ, qui erat præcipui nominis & authoritatis inter eos, qui ad hoc extraordinarium judicium ſunt adſciti, cujus mortem non potui non ſummo mœrore proſequi, quod ab teneris unguiculis in unis ædibus, ac ſub eiſdem præceptoribus fuerimus educati, ac amicitiam in quinquageſimum annum pene continuaverimus. Liberos quidem nullos reliquit, ſed honeſtiſſimam conjugem, cujus patrimonium bona ex parte in Principum ſervitiis maritus conſumpſit: nam præter bonum nomen parum eum reliquiſſe intelligo. Videbo autem ſi hîc queat aliqua ejus haberi ratio, aut ſi poſtulatio à noſtris non exaudietur, atque ad Regem petitio illa devolvetur, ſpero te, qui ejus viri integritatem noveris, cauſam viduæ tuo favore non illubenter adjuturum. Succedere in ejus locum Craneveldius (36) ambit, ſed ego (37) Sasbou-

(36) *Craneveldius*] Franciſcus, Conſiliarius in ſupremo Conſilio Mechliniæ.

(37) *Sasbout*] Arnoldus, primùm Conſiliarius in Conſilio Pro-

Digitized by Google

boutum malim, si illi hoc persuaderi possit. Verùm & alii fortassis reperientur huic Provinciæ non inidonei.

(38) M. Petrus à Walem vivendi quoque finem fecit, multique ad ejus officia aspirant, ex quibus, (39) M. Jacobo Boene Vicariatus Curiæ feudalis Brabantiæ datus est. Quæsturam autem Archivi alicui Secreti Consilii, ac præsertim D. à Tysenach conferri optamus, ut intentio Imperatoris (gloriosæ memoriæ) confirmetur, cui hujusmodi officia Consiliariis Secreti Consilii dari visum fuit. Hîc etsi omnia satis tranquilla sint, inter spem tamen metumque versamur: nam belli Gallici incertus exitus, ac tam longa pacis concordiæque tractatio, nos habeat sollicitos, nec dubitamus quin nostri exules cæteriqne eorum partibus faventes, omnem moveant lapidem, ut sese vindicare possint. Qux vero supra cio. io. ad suum judicium citari fecit, quorum plurimi contumaces sunt declarati, ac eorum bona annotata, multique proscriptione, banno, confiscationeque mulctati. Est & huc captivus

Provinciali Hollandiæ, tum Cancellarius Geldriæ, demum præses Consilii Privati post *Carolum de Tisnach*, *Viglii* Successorem. *V. Suppl. Butkens. tom.* 1. *p.* 172. *Van Leeuwen Bat. illust. p.* 1476. Et corrige *Joannis Knippenbergii* Historiam Eccl. Ducatus Geldriæ, qui (p. 287.) *Adriano Mario* Cancellario successorem statuit *Guilelmum Cripium*, cum *Sasbouti* duo *Judocus & Arnoldus* inter hos medii fuerint.

(38) *Petrus a Walem*) sive *Waelbem* fuit Consiliarius in supremo Brabantiæ Senatu ab an. 1530. in quo dein renuntiatus fuit advocatus fisci Regii an. 1540. Successor *Joannis Van der Beken*. Porro ipsum illud fisci officium an. 1546. dimisit successorem nactus *Carolum Tisnacium*. Annum obitus ejus ignoro, sed in libro Basilicæ Brux. p. 66. memoratur sepultus ad D. Gudulam in choro Ven. Sacram.

(39) *Jacobus Boene*] Imo *Boonen*, Consiliarii munus gessit in Senatu Brabantiæ ab an. 1540. dein ad hunc Vicariatum promotus, quem appellamus: *Lieutenance de la Cour feodale de Brabant*; quam spartam *summo cum officio, fide & authoritate exornavit*, ut est in ejus epitaphio in lib. Basil. Brux. p. 108. Filium reliquit *Cornelium* Senatus ejusdem clarissimi nominis Consiliarium, patrem Illmi. *Jacobi Boonen* Archiepiscopi Mechlinienſis IV. Annum obitus assequi non potui. Sepultus est ad D. Gudulam ante aram Capellæ lateralis S. Gertrudis, quam aram e marmore erexit ac donavit.

Digitized by Google

vus adductus M. Jacobus van Einde (40) Advocatus Hollandiæ, Penſionariique (41) Verſteel, & Van Canne Mechlinienſis. Varronſiusque Namurcenſis quæſtionibus ſubjectus. Ve-

(40) *M. Jacobus Van Einde*] vel *Van den Eynde*, uti ſcribit Borrius, quem conſule *lib. 4. fol. 148. Vſo. col. 2.* Porro *Van Leeuwen Bat. illuſt. pag.* 1499. col. 1. ita habet: „Mr. Jacob Van „den Eynde, Raat en Penſionaris der Stadt Delft, wert Ad„vocaet van den Lande van Hollant anno 1562. ſterft tot „Bruſſel in de gevanckeniſſe, den 12. Martii 1569. na dat hy „aldaer door ordre van den Hertogh van Alva een jaar en „ſes weken gevangen geſeten hadde.“

(41) Penſionarius Mechlinienſis, ſive is fuerit *Verſteel*, ſive *Van Canne* (haud enim liquet ex textu) hactenus nullibi a me reperiri potuit, & rerum Mechlinienſium peritis non innotuit. Interim hæc habe ex Chronico vernaculo MS. quod poſſidet *Cornelius van Geſtel* Can. B. M. trans Diliam. „Anno 1566. Alhoe„wel de borgers van Mechelen de Catholike religie ſeer wae„ren toegedaen, nochtans ſy hadden eenen Penſionaris, ende „een oft twee advocaeten die bedorven waeren. Op Ste Bar„tholomeus dagh hebben deſe, met andere ſielen de Vrou„wen-broeders en Minderbroeders Clooſters berooft, ende „aldaer in de Kercken de beelden afgeſlaeghen ende gebro„ken. Voorts buyten de Stadt loopende hebben d'omligghen„de Clooſters en Kercken berooft, ende de beelden aldaer „oock afgeſmeten. Den laeſten Auguſti in 't ſelve jaer iſſer „eenen van die beeltſtormers tot Mechelen op-gehanghen, „en eenighe opperhooſden van die factie ſyn gevanghen ge„weeſt. Waer over den 5 October gevolght is eenen oproer „van dio ſelve factie, ende ſy wilde met gewelt de voor„ſchreve gevanghene los-gelaten hebben: maer den Graeve „van Hooghſtraeten, die alsdan Gouverneur tot Mechelen „was, heeft den oproer geſtilt. Anno 1567. heeft den Hertog „van Alba, eenige van die gevanghene, dew: handtdaedigh „waeren geweeſt in het berooven der Kercke van de Min„derbroeders en Vrouwenbroeders, als oock in de beeldt„ſtormerye van 't voorlede jaer, van Mechelen doen ver„voeren naer Bruſſel, alwaer ſy daer naer gehanghen zyn „geweeſt.“ Porro in acta adeptæ poſſeſſionis archiepiſcopatus Mechlinienſis pro Cardinale Granvellano (Tom. 3. Diplom. Miræi p. 242. col. 1.) occurrit *Magiſter Johannes Van der Kammen Penſionarius oppidi Mechlinienſis*, anno 1561. In alio Chron. MS. ejusdem *Cornelii van Geſtel* lego ſequentia verba: „In het „jaer

Digitized by Google

Verùm de his nequeo ad te particularia ſcribere, quod nihil harum cauſarum noſtro Conſilio communicetur, à qua & me ſacer Ordo (ut ſcis) merito excludit. Interea nonnumquam audio de nullitate, incompetentiaque Judicum, ac privilegiorum contraventione, jurisque ordine non obſervato, plerosque proteſtari: ſed novum non eſt, eos, qui de principali cauſa diffidunt, hujusmodi exceptiones ſubterfugiaque quærere.

Dux quoque Tridentini Concilii executionem fortiter urget, & imprimis Eccleſiam noſtram Trajectenſem ad normam reformationis illius reducendam cenſet. Sed meminiſſe te puto quæ paulo ante tuum diſceſſum (42) Capitulorum Trajectenſium Legati de interpoſita appellatione Curiæ noſtræ expoſuerint, quanquam non conſtet de ipſorum diligentia, in dicta appellatione proſequenda, ſive apud Pontificem, ſive Regem noſtrum facta.

Gregorius tuus XIX. hujus menſis die poſſeſſionem Præbendæ Gandavenſis, procurante D. Cornelio Fullonio, aſſequutus eſt, quanquam non defuerint, qui Concilii decretum de ætate ejus objecerint. Verùm alii, regii Patronatus eas eſſe Præbendas, nec omnimodam Concilii obſervationem generaliter publicatam fuiſſe, neque de Præſule noſtræ Eccleſiæ adhuc proviſum eſſe contendentes & tuum favorem non admittendum cenſentes, illum admitti obtinuerunt.

Quod ad uxorem & familiam pertinet, nihil aliud ad te ſcribam (cùm ipſammet officio ſuo fungi non dubitem) quam quod omnia recte ſe habent. His, mi HOPPERE, bene vale, & Viglium tuum huic piſtrino (quod toties amanter rogavi) tandem eximere, quæſo, ne graveris. Bruxellæ. XXIX. Martii. CIↃ IↃ LXVII.

EPI-

„ jaer 1567. op den tweeden dagh van Meert werden te Mechelen beyde de Penſionariſſen gevangen, ende werden terſtonts naer Bruſſel gevoert, ende ſaeten aldaer gevanghen tot in het jaer 1570. op Sinxen-avont den 14 dagh Mey.“ Ex quibus ſtatuendum eſt *Verſteel* & *Van der Kammen* ambos Penſionarios Mechlinienſes fuiſſe, de quibus *Viglius* hic: & patet aperte ex Epiſt. LX. in fin.

(42) *Capitula Trajectenſia*] Videſis *Bataviam Sacram*, & *Borrium lib. 4. fol. 164. Vſq.*

Digitized by Google

EPISTOLA XXX.

Nuntiat ſucceſſum obſidionis Valencenarum & Caſtelli Cameraceſii, apparatumque ad conſervationem Trajecti ad Moſam. Buſcoducenſes ad ſaniorem mentem reverſi. Apud Vianam ſeditioſorum fæx. Brederodius Amſterodami. Princeps Auriacenſis in Germaniam cogitat. Melioris ſucceſſus ſpes ſita in Regis præſentia. Ab Hiſpano milite averſi & Geuſii & Proceres. Hi deprecatores ad Regem mittunt: cui ſuggerit Viglius ut ne inermis adveniat, & de noſtrate milite, ut juſſionem ſuam ſuſpendat. Commentarios Hopperi percurrit, aliquando ſupplendos. De Claudio Velino. Qualis ad munus præſidis Burgundici Senatus, eligendus. Viglius a Duciſſa neglectus. Expectat miſſionem. Gaudet de Regis munificentia Courtevillio impenſa, ad quam conſequendam commendat Secretarios Status.

Scripſi ad te noviſſime, CL. D HOPPERE, XV. Martii, ac poſtea mihi redditæ ſunt literæ binæ D. V. XIV. ac XVIII. Martii datæ, nec dubito vos intellexiſſe ſucceſſum obſidionis Valencenianæ, ac quo pacto cives, male rebus ſuis conſulentes rejectisque conditionibus, quæ illis per Ducem Arſchotenſem ac Dominum Egmondanum offerebantur, tandem Bombardarum vi impetuque exterritos, ſub miſericordiam Regis ſimpliciter ſe dedidiſſe. Ingreſſoque Noircarmio, authoribusque rebellionis ac Concionatoribus comprehenſis, diligens informatio exercetur de omnibus, ut & de præcipuis aliquibus ſumpta ſupplicia exemplum cæteris edant, & taliter urbis adminiſtrationi provideatur, ne deinceps idem periculum, quod jam tertiùm ibi ſumus experti, incurrat. Uſus autem ea victoria Noircarmius, mox aliquas copias Cameracenſi Epiſcopo in ſubſidium miſit, quibus adjunctis Caſtellum Cameraceſii oppidi, eadem rebellione

Digitized by Google

laborans, recuperavit. Ac, cùm cæteræ urbes, quæ hac peſte laborant, Valencenarum exemplo perculſæ ſint, viſum eſt, priusquam ſe à metu recipiant, uti Cæſar dicebat, Fortunam proſequi, ac Trajectum Moſæ cum exercitu petere; quod eam urbem & adverſarii occupare jamdudum cogitarunt, & ad ſecuritatem rerum non parvum momentum, ſi ad obſequium reduci poſſit, allaturam arbitremur. Cives autem Trajectenſes hoc rumore perculſi jam deprecatores mittunt. Unde ſperamus Noircarmium, qui ei rei præfectus eſt, eadem fælicitate, qua cætera, ceptum peracturum, eademque expeditione & Limburgenſes, & alios nonnullos, qui ſectas ſequuntur, ad obſequium redacturum. Buſcoducenſes & ipſi ad ſaniorem mentem redituri videntur, & Cancellario, Merodioque dimiſſis, iidem excuſatores ad Duciſſam mittunt. Interea autem apud Vianam confluit ſeditioſorum factioſorumque omnium fæx, ac colluvies, Meganoque Comiti, qui ad civitatis Trajectenſis, confiniumque defenſionem, miſſus eſt, negotium faceſſit. Sed brevi re feliciter ad ſuperius Trajectum peractâ, ei parti quoque providebitur. Interea Brederodius Amſterodami regnat, nobilibusque, qui à noſtra Friſia diſceſſerunt, aliisque, qui ad eum aliunde confluunt, ſtipatus, magnas ſpirat minas: verùm ſperamus non diu ejus duraturum imperium, ſi modo Antverpienſes, quod ſedulo agitur, ad obſequium adducere licebit. Princeps autem Auſaicenſis, offenſas nonnullas prætexens, ab adminiſtratione omni ſe abdicaturus, & in Germaniam diſceſſurus videtur. Reliqua, mi HOPPERE, ex literis Duciſſæ cognoſces, ac ex omnibus colligere poteris, melioris rerum ſucceſſus bonam ſpem nos concipere, ſi modo Regis præſentia ſui brevi dabitur; ea ſiquidem, ut antea aliquando ad te ſcripſi, 50000. armatorum prævalebit; neque tanti exercitus ſumptibus opus erit, ſi Rex ipſe aderit, ſine cujus authoritate nihil firmum validumque conſtitui poterit. Nam Ducis Albani, quantumvis magni ac prudentis Principis authoritas, vereor ne tantum valeat, quantum opus erit. Sed ſola Majeſtatis ſuæ præſentia omnes ad obedientiam facile retrahet. Ut autem ſemper Geuſiani comminati nobis fuerunt, exteris viribus ſe reſtituros, ne Hiſpanus miles in has Provincias veniat; ita quidam magni in hoc cum eis con-

Digitized by Google

consentiunt, ut Hispanico dominatui omnibus viribus resistant, novisque fœderibus se hanc sententiam firmare annisi sunt. Verum non potui intelligere conatum eorum progressum habere. Illud tamen adhuc tentant, ut deprecatores ad Regem mittant, qui apud Majestatem suam intercedant, ne extero milite has Provincias gravet, illud sollicite agentes, ut, concionibus cæterisque exercitiis hæreticorum cessantibus, ostendant, ipsos ad officium rediisse, &, quod restat, facile eo milite, quem hîc jam habemus, effici posse. Ut autem Rex inermis ad nos veniat, suadere non ausim, ita certe, si res eum, quem cepêre progressum habeant, ne superfluo sumptu se oneret, satius fuerit. De milite autem nostrate, quod Rex mandavit, Ducissam valde commovit, vèreturque; ne de Hispanico dominatu opiniones hominum confirmet. Videturque rebus fideliter fortiterque gestis, alia eis deberi præmia. Saltem id mandatum in Regiæ Majestatis adventum suspendi posse mihi videtur: ita tamen, ut si qui minus prompti ac obedientes ex eis fuerint, in hos Regiæ Majestatis jussio executioni mandetur.

Postremæ literæ tuæ XVIII. Martii datæ nobis animum spemque, qua pene excideramus, restituerunt. Et profecto qui recte Majestati suæ consultum volunt, hi omnibus modis operam dare debent, ut quanta celeritate fieri possit, huc adveniat: liberabit enim sese multis magnisque sumptibus, quos sustinere cogetur, dum ipse expectabitur, cùm omnia in ejus præsentia constituta sint.

Commentarios tuos percurri, & mihi rerum series, puraque ac syncera eorum narratio perplacet, sed multa consilia adversariorum tempus detegit, quæ aliquando suppleri poterunt, & metu liberati, omnes liberius veritatem proloqui, ac tam sceleratam conjurationem detegere, audebunt. Itaque nunc aliud non dicam, quàm in id tempus me dilaturum ea, quæ tuo operi adjungenda censebo, quo nobis coram aliquando de hisce rebus familiarius colloqui licebit. Claudium Velinum (*) novi ante XL. annos in Burgundia, ubi in Dolana Academia iisdem Doctoribus usi fuimus, habebaturque inter Burgundicos scholares unus ex præcipuis, & in privatis disputationibus, quibus tum una exercebamur, & doctrina & ingenio præstabat. Quales autem fructus

(*) *Claudius Velinus*] a me nullibi repertus est. In sche-

Digitized by Google

dit J. F. Foppens hæc sunt. „ Claude Dodieu, „ Seigneur de Vely, a été autrefois „ Maitre des Requêtes au „ Parlement de Dole, & envoïé en Ambassade de de l'Empereur Charles Quint devers le Pape : " Hæc ne ignorasset Viglius, qui eum ante quadraginta annos noverat ? Et compertum non habuisset, *Claudium* Romæ legationem obiviſſe ?

ſtus primi illi flores ſecuti ſint, compertum non habeo, niſi quod eum ab his, qui ex Burgundia aliquando huc venerunt, plurimum commendari audivi. Verùm in delectu habendo circa Præſidalis officii proviſionem, in ea præſertim regione, ubi noſti homines ad partes eſſe propenſos, ſedulo cavendum eſt, ut is, qui ad hoc aſſumetur, ab hoc vitio immunis ſit. Quanquam ægre aliquem inventum iri puto, qui omnibus placeat : quæ fortaſſis deliberatio Regem hactenus ſuſpenſum tenuit. Et ego gaviſus ſum ſuper ejus; aliorumque officiorum proviſione, ſententiam conſiliumque à me Duciſſam proximis tribus annis non requiſiviſſe, & quod alii authoritati meæ detractum putant, ego contra ſollicitudine, quam antea gerebam, ut officia in dignos conferrentur, me exoneratum gaudeo. Illud etiam, mi HOPPERE, quod poſtremis literis de Regis erga me benevolentia, deque eo, quod tam enixe flagitavi, tandem conſequendo; ſpem præbet, mirum in modum me recreavit; & ſane, ſi valebo ad ejus adventum vitam producere, hujus poſtremi anni pericula, ſollicitudines, laboresque perpetui, clementem utique merentur miſſionem. Courtewillio gratulor de Regis munificentia optoque domino Tyſenachio longe uberiorem. Ac velim Regem eorum miniſtrorum, quos hic habet, non obliviſci, & præſertim duorum Secretariorum Status, Vanderanii (43) ac Bertii, qui quotidianis laboribus ſeſe conficiunt, nec digna percipiunt ſalaria aut emolumenta, ac uterque numeroſa prole gravatur. Ab conjuge tua adjunctas hiſce literas mitto, quæ cum liberis omnibus recte valet, tuumque reditum magno deſiderio præſtolat. Vale CL. D. HOPPERE. Bruxellæ IX. April CIↃ IↃ LXVII.

EPI-

(43) *Vanderanius*] J. Van der Aa ou Na fut Secretaire du Conſeil privé l'an 1562. *Suppl. de Butkens. Bertii*] Joannes Baptiſta. Is apud Butkens in Supplemento, quod eſt imperfectum, & ſæpe vitioſum, non invenitur.

Digitized by Google

EPISTOLA XXXI.

Contra domeſticam libertatem Religionis graviter philoſophatur, magnorum virorum pro ea ſententiam ex Calviniſtarum factis explodens. Non uno impetu ſed paulatim docet eſſe tentandam Reip. erectionem. Sic arma poſita, ſic conciones ſublatas. Fama de exercitu Regis non parum profuit. Duciſſæ poteſtas nimis reſtricta per Regem. Miniſtrorum Hiſpanorum tarditas incuſata. Approbat Regem frænum manu tenere, & non totum Duciſſæ permittere.

CL. D. HOPPERE, cum D. à Bily, (44) quem Duciſſa ad Regem ablegare ſtatuit, abitus differretur, libuit mihi aliquid prioribus addere de eo, quod de domeſtica libertate in literis tuis meminiſti, cujus profecto, non ſine maxima ratione, ſtabilimentum à nonnullis oblique quæri metuitis, quæ ſi permittatur, facile rurſus ad priora redibitur. Et cum illa inter privatos parietes ſe continere nequivit, non poterit non rurſus brevi in majorem perturbationem erumpere. Si enim unicuique domi credere licet, quod lubet, iterum lares, lemuresque habebimus, ac mille erroribus ſectisque hæc Provincia implebitur, pauciſſimosque fore arbitror, qui in CHRISTI Ovili ſe concludi patientur. Et merito cum Propheta (45) lamentari poterimus: „ Facti ſunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devo-
„ rationem

(44) *Bily*] Gaſpar Robles, Billy Dominus. Luſitanus. V. ejus elogium apud Stradam Dec. 2. lib. 6.

(45) Ezechiele. Deſumpta ſunt verba ex ℣. 8. & 6. Capitis 34.

Digitized by Google

„ rationem omnium beſtiarum agri, & ſuper omnem faciem „ terræ diſperſi ſunt greges mei, & non erat, qui requi„ reret. " Atque hanc opinionem ego ſemper pernitioſiſſimam cenſui, quam qui ſequuntur, omnem mihi Religionem pro ludibrio habere, nec ab atheiſmo alieni eſſe videntur. Puto autem te meminiſſe vocum, quas olim audivimus ab magnis viris, qui ad hanc ſententiam inclinabant, quas etſi ſectarii, ac inprimis Calviniſtæ initio prætexant, ut ab Catholica Religione ſimplicium mentes abducant, ubi tamen veneno ſuo animos ſemel imbuerint, omnem aliam Religionem repellunt, atque ſanguine ac cædibus, quas quotidie Catholicis minantur, ſuam ſectam conſtabilire nituntur. Itaque uti domeſtica ac vaga illa libertas omnibus modis rejicienda eſt, ob idque CHRISTUS Paſtorum officium in Eccleſia ſua inſtituit, qui oves diſperſas & errantes ad unum ovile reducerent, ac in eo fideliter continerent: ſic quoque ſummopere contra hos lupos providendum eſt, ne ab grege CHRISTI ad gregem Belial, oves ſeducantur. Verumtamen in hiſce malis, ut ad illud, quod rectum eſt, lapſam Remp. noſtram rurſus erigamus, quod uno impetu fieri nequit, paulatim gradatimque tentare oportet: multumque conſecuti videmur, ubi & arma poni, & conciones tolli impetrare licuit. Non ut in illis conſiſtamus, aut libertatem Religionis, conſcientiæque (ut loquuntur) ullo pacto approbemus, ſed ut Regi viam præſtruamus, ut adveniens reliquum facilius conficiat, &, niſi iis conſiliis uſi fuiſſemus, bonos multos Catholicosque viros perdidiſſemus, qui ab ſectariis oppreſſi, de vita fortunisque omnibus periclitabantur. Deinde etiam multa hominum millia, qui concionibus iſtis publica libertate ad devia ſeducerentur, præſervabimus. Hac autem moderatione uſi, pro modo virium noſtrarum tandem eo rem perduximus, ut paſſim melior ſpes affulgeat, & ſi Regem in diploide (ut ita dicam) hîc haberemus, facile ſua præſentia omnes hos fluctus componere poſſe ſperaremus. Quod non ideo tamen dico, ut præſcribere velim quibus Majeſtas ſua præſidiis ſtipata adveniat, ſed ut oſtendam, quam neceſſarius ſit brevis ejus adventus. Adhæc tamen conficienda non parum quoque profuit fama de exercitu, quem Majeſtas ſua inſtruere fertur, quæ adverſariorum animos multum per-

Digitized by Google

perculit, bonorumque in ſpem erexit, conſiliaque ac conatus noſtros promovit. Interea vero nimis reſtrinxiſſe Duciſſæ poteſtatem nonnullis Rex videtur, & quaſi ſufflamen rebus pacificandis objectum eſſe, quod omnem ejus tractatum interdixerit, donec illic de mediis, à nobis propoſitis, cognoſcatur. Tarditatem enim veſtram incuſant, & culpam ſubſecutæ ruinæ imputant, quod tempeſtive labaſcentem Remp. non fulciveritis, ſive, ut quidam loquuntur, alii honorem rerum actarum attribuere velitis: Habemus enim interea hîc in luto, & dum cum Antverpienſibus aliisque nonnullis urbibus tractatio omnis præciſa eſt, graviora ſubinde metuuntur. Sed horum ora ſpero obturabunt proximæ Regis literæ, quibus ſe ſuper propoſitis mediis plenius reſoluturum aliquid pollicetur: & non poſſum improbare omnino Regem frænum in manibus retinere. Quod ſi enim nimis liberam Duciſſæ poteſtatem permitteret, ipſa nonnullorum, qui authoritate nituntur, voluntati nonnumquam cædere, & habenas, plus quam convenit, laxare cogeretur. Bene vale. CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. XI. Aprilis. CIↃ IↃ LXVII.

EPISTOLA XXXII.

Lætatur ſe intelligere officia ſua grata eſſe Regi, qui bonos a malis ſervitoribus diſcernere novit. Trajectum conſervatum, Antverpiam obſequentem nuntiat, ſollicitus interim de Vianenſi fæce ac Brederodio. Merodius ac Brabantiæ Cancellarius a Buſcoducenſibus dimiſſi: hujus incivile ingenium.

DEderam jam aliquot literas, CL. D. HOPPERE, Secretario Vanderanio ad D. V. per Roblium mittendas, cùm ecce nobis adſunt veſtræ XXVII. Martii ſcriptæ, quæ multis modis mihi gratæ fuere, ſed eo potiſſimum, quod Regiæ Majeſtati qualiacumque mea officia non diſplicere intelligo. Et certe hoc unum eſt, quod nos in his periculis & laboribus confirmet, quod omnino confidamus ei Principi

Digitized by Google

navare nos operam, qui bonos ſervitores à malis diſcernere novit. Id enim niſi perſuaſum haberemus, cùm adverſarii omnia pro Majeſtatis ſuæ ſervitio facere prætexant, fructum officii obſequiique noſtri facile amitteremus. Res autem noſtræ eò tendunt, ut ſuperiores facile ſimus futuri, ſi hunc curſum, quem ingreſſi ſumus, tenere queamus. Nam & Trajectum Moſæ noſtra præſidia admiſit, & Antverpia omnia, quæ jubebimus, facturam ſe obtulit, dimiſſis ante triduum Concionatoribus, & Auraicenſi ſe ab Gubernatione ejus abdicante. Verùm hæret adhuc in pedibus ſpina Vianenſis, & cum Hollandia quoque Gubernatore deſtituta ſit, Brederodiusque omnia ubique tentet, magna nos ſollicitudo tenet, ut ejus Provinciæ incolumitati proſpiciamus. Cancellarium Brabantiæ, cum Merodio a Buſcoducenſibus dimiſſum ante quatriduum intelleximus, verum neque Duciſſam de eo certiorem reddit, neque dum huc rediit: ſed noſti ingenium moresque hominis. Bene vale. CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. XIV. Aprilis. CIↃ IↃ LXVII.

EPISTOLA. XXXIII.

Trajectum Noircarmius, Antverpiam Mansfeldius ingreſſi. Buſcoducenſes obſequentes. Vianenſis hydra expugnanda reſtat, Brederodiusque domandus. In Amſterodamenſis Magiſtratus integritate confidit, quò Noircarmius contendit cum copiis, ac Comite Megano. Super ſtipendiis angitur & ſuper adventu Albani. Novæ rationes ut Rex adventum ſuum acceleret. Zelandia in tuto poſita. Principe Auriacenſi non redituro, ſperat reſtituendum ſibi Cardinalem Granvellanum.

PRoximis literis meis, HOPPERE CL. majorem aliquam ſpem D. T. de reſtaurando Reip noſtræ ſtatu, faciebam, qui, ſi non ad priſtinam, ad aliquam ſaltem quietem, tranquillitatemque tendere incipit. Nam de Trajecto Moſæ felici-

Digitized by Google

feliciter ſucceſſit, quod tunc moliebamur, receptusque eſt intra eam urbem Noircarmius cum præſidio, pene celerius, quàm Leodienſes optabant, qui, ut noſti, jamdudum operam dant, ut præveniendo adaugeant. Deinde cum Antverpienſibus eo res deducta eſt, ut die XXVI. hujus, cum XVI. vexillis Mansfeldius in urbem receptus ſit, quem heſterna die Duciſſa cum comitatu ſat magnifico ſequuta, reſtabiliendæ ibi authoritatis Regiæ initium fecit. Hocque exemplum ſecuti Buſcoducenſes, & ipſi militem ſuſcipere, & imperata facere offerunt, tantumque nobis reſtat expugnanda hydra illa Lernæa, quæ apud Vianam caput exeruit, Brederodio interea Amſterodami manente. Sed jam intelleximus, colluviem eam locum mutaſſe, ac Amſterodamum abiiſſe, ea ſpe ut Brederodius eos iſthic recipi curet. Nos autem, etiamſi iſthic multi ſeditioſi cives ſint, meliora ſperamus, in Magiſtratus integritate fiduciam habentes. Et cum jam rebus hîc pacificatis liberiores manus habeamus, Noircarmius cum hiſce copiis, quæ nobis reſtant, Comiti Megano ſeſe conjungere, ac impiam ſceleratamque ſeditioſorum turbam proſequi conſtituit, priusquam opulentiſſimam, ſed imbellem Provinciam expolient, ac belli nervum illic conquirant. Verùm alia nobis ſuccedit ſollicitudo, primum quidem, ne ſtipendia deſint militibus, quos rebus nondum ordinatis dimittere non poſſumus. Ordinari autem difficillime poterunt, niſi Rege præſente; cum verear ne Albani ducis authoritas in hoc ſufficiat, ac is, ſi ſine Majeſtate ſua advenerit, novæ nobis conſpirationes metuendæ ſint. Jamque in hoc nonnulli conſilia conferre dicuntur prætextu plauſibili, ut exterum militem à cervicibus noſtris avertant: verùm, ut antea me ſcripſiſſe memini, uti ſuperfluis expenſis parcere mihi Majeſtas ſua poſſe videtur, ita inermem venire ſuadere non auſim. Multus enim ignis ſub cineribus latet, & inimicus reconciliatus metuendus eſt; & errores de Religione concepti ita alte multis animis impreſſi ſunt, ut ad tempus quidem ſupprimi, tolli autem omnino non facile poſſe ſperem. Et hîc ſane rerum ſucceſſus Regem permovere deberet, ut quantocius huc accurreret; etenim jam Zelandia in tuto poſita eſt, & aliis quoque ex partibus Majeſtati ſuæ ſecurus patet acceſſus, & qui Albano forſi-

Digitized by Google

tân opponere se, contra Regem ne hiscere quidem, auderent.

Princeps Auraicensis cum tota familia nobis XXII. hujus valedixit, ac in Germaniam concessit, vix unquam, ut creditur, rediturus, quod nobis spem bonam præbet fore, ut aliquando Illustrissimum Card. Grandvellanum nobis restitutum cernere possimus. Mirabilis rerum vicissitudo est, videntque jam multi, in quas difficultates odio, atque invidia adducti fuerint. Bene vale. HOPPERE CL. Antverpiæ. Pridie Calend. Maii. CIↃ IↃ LXVII.

EPISTOLA XXXIV.

Post sublatas conciones ac novæ Religionis exercitia, aufugientibus hominum millibus, quærendum restat aliud remedium contra domesticam libertatem religionis. Confessioni Augustanæ pauciſſimi, Calviniſmo omnes adhærent, ut errent Germanici Principes, qui apud Ducissam tam seriò ejus negotium egerunt per impudentia postulata. Plurima Antverpiæ reformanda comperta, ob quæ Regis præsentiam optat, quo absente arma poni non possunt. Tædet se turbarum ac muneris sui. Batenburgici fratres aliique captivi Harlingam deducti, pro quibus frustra intercedunt Legati Frisones & ipse Viglius. Sifridus a Bejema antesignanus eorum. Herm. a Galama exemptum cupit a pœna. Hassselus Aysma suspectus. Groninga castiganda. Gauda quid passa sit? Ballivus Rollema fidus. Dalemense dominium Hoppero concessum. Aliorum ad id prætensiones. De rebus Lovan. Academiæ obiter, ac de collegio a se ibi instituendo.

LIteras tuas, HOPPERE CL. XXVI. April. scriptas, paullo, quam quas antea ad me dedisti, prolixiores, cùm sum-

Digitized by Google

summa voluptate legi, nec omnino inane gaudium vestrum fuisse ex iis, quæ postea hinc nuntiata sunt, percipere potuistis. Sublatis autem pene per totam hanc Provinciam publicis concionibus ac novæ Religionis exercitiis, multa hominum millia undique profugiunt, & quos egestas domestica retinet, seu bonorum amissio deterret, eos difficile erit cohibere, ne aliquando rursus se proferant, nisi aliud remedium inventum fuerit contra domesticam libertatem Religionis. Confessioni autem Augustanæ pauciſſimi eorum adhærent, sed Calvinismus omnium pene corda occupavit, ut illi, qui eam initio præ se ferre visi sunt, si eam promovere voluerint, longe se falsos confiteri debeant. Multumque errant Principes Germanici, qui tam solemnem Legationem ad Ducissam miserunt, Confessionisque ejus negotium tam serio egerunt, cùm pauciſſimi hîc sint, qui ipsi adhæreant, sed ostio per Luteranos semel patefacto, ad ulteriora errorum dogmata omnes prope progrediantur. Visum autem nobis hîc fuit non ingredi cum illis ullam disputationem, licet eorum impudentia merebatur, ut pro qualitate negotii, illis de eodem atramento responderetur. Nos hîc diu cum Imp. de his mandatis, de quibus Rex ad eum noviſſime rescripsit, egimus, qui cum diutius recusare non posset, clausulam Religionis injecit, de qua minus D. V. mirabitur, ubi Principum istorum indigna postulata (46) intelliget. In hanc urbem ubi venimus, quæ reformanda essent plurima comperimus, verùm nos remoratur Regiæ Majestatis sententia ac resolutio, sine qua neque hîc neque alibi progredi possumus. Et negotiorum talis est natura, ut omnino conveniat Principis ipsius intervenire præsentiam, cùm non ignores aliò alios spectare, bonorumque patriæ ac Principis amantium, eo absente, minus liberas esse sententias. Ac quanquam jam ad aliquam tranquillitatis speciem res reductæ videantur, si tamen arma deposuerimus, timendum est, ne, ut sus ad lutum, sic popellus iste facile ad suum rediturus sit ingenium. Esset autem hoc tempus, quo Rex sine ullo discrimine, aut magno sumptu, ad suæ Majestatis obsequium has Provincias redigere posset, ac in eodem confirmare, longe oportuniſſimum;

(46) *Indigna postulata*) Lege Stradam lib. 6. pag. mihi 320.

Digitized by Google

mum; verùm si diu procrastinari pergit, spem conceptam plane amittemus. Ego autem, qui jam dudum huic pistrino eximi desideravi, & tamen tam necessario tempore, locum quem tenui, deserere nolui, in animum meum ægre induco, ut longius his curis sollicitudinibusque affliger. De Ducis Albani in Italiam appulsu nihil adhuc audivimus, neque literas ullas ab eo accepimus. Reliqua vero quæ post novissimas literas meas successerunt, ex Duciss literis abunde intelliges.

Ut autem addam aliquid privatum de rebus nostratibus, scias, mi HOPPERE, postquam nuper ad oram Frisonici maris cum nonnullis aliis nobilibus, videlicet duobus fratribus à Batenburg (47) Thedorico & Gisberto illius, qui duci Sabaudiæ servivit & in Gallia captus fuit, fratribus, Petro Andeloto, Philippo à Wingle, Maximiliano de Bloys, dicto Coc, Sifridus à Beiema, Hermannus à Galema ac Wilhelmus à Bonninga, capti essent, ac ad arcem Harlingensem deducti, mox eò accurrere catervatim supplicatum propinqui, atque alii ex nobilitate Frisonica utriusque sexus. Quorum preces cùm Arembergensis ad Curiam remitteret, deputati sunt ab eis legati tres, Schelto à Liauckema, Docko à Martena, & Hetto à Dekama, quibus sese adjunxêre Serapio à Galema, & Leo à Beyema captivorum fratres, qui hîc aliquot diebus omnium aures pro venia illorum impretanda pulsaverunt, quas tamen parum propensas, ob rei culpæque gravitatem, compererunt. A me autem quasi suo jure intercessionem postulaverunt, ut de ipsorum causa sufficienter antea cognosceretur, cùm alius plus alio peccasse mihi videretur. Sifridus autem omnium harum turbarum antesignanus, ac La Torrio Secretario nostro apud Amsterodamum molestissimus fuisse dicitur, ceterosque in Societatem hujus facti allexisse, inter quos sunt Eysingani fratres tres, Pybo ab Harda, Wilco ab Holdinga & plerique alii, qui imprudentes huic fœderi, seu conjurationi nomina dederunt. Quod si mea interceſſio quicquam posset, certe Hermannum

à

(47) De his captivis Strada lib. 6. p. mihi 330. 331. Borrius lib. 3. p. 119. Vsa. & lib. 4. p. 169. Vsa.

Digitized by Google

à Galema pœna exemptum cuperem, quod is Præsidis olim Hoxvirii, mihi conjunctissimi, ex sorore sit nepos, ac Dekamanis omnibus, qui fideliſſime in his turbis seſe geſſerunt, propinqua cognatione jungatur.

Heſſelus Aysma Syndicus Groningensis pro dicto Sifrido privigno, enixiſſime quoque literis suis mecum egit, sed me ab eo nonnihil alienat, quod illum apud Groningam novis hiſce opinionibus plus satis deditum fuiſſe, audiam. Cæteris vero urbibus ad suæ Majestatis obsequium reductis, illa adhuc restat, quæ, etsi novos Concionatores dimiserit, nondum tamen isthic res ita constitutæ videntur, ut Arembergensis confidere audeat. Optarim autem ut saniora consilia cives ejus urbis amplecterentur; ne forte occasionem dent exercitum eo admovendi, quod sine reliquæ Frisiæ nostræ gravi damno vix fieri posse video. Verumtamen convenit ne ea sola in errorum pertinacia contumaciaque relinquatur. Gouda, apud quam conjunx liberique tui degunt etsi adversus novitates has omnes fideliter restitit, per transitum tamen militum nostrorum, ab omni incommodo immunis non fuit, sed multum interest ob culpamne, an ob principis obsequium, id damnum acceperit.

Baillivus Rollema hîc aliquot diebus nobiscum fuit, ac in his turbis satis se viriliter gessit, ut Ducissa nuper prædicaverit, quod hominem idoneum ac fidelem ad hoc officium commendaveris. Hakio vero prædecessore suo profugo, ipse bona annotavit, jocamurque cum homine, si quid ab eo forte Snecæ neglectum fuerit, hoc eum ibi recuperare posse.

De Regis munificentia liberalitateque in concessione Dominii de Dalem * D. T. plurimum congratulor. Verùm cùm D. Albertus à Loo Coloniam ante tres hebdomadas profectus sit, ut ibi communicationi super monetario negotio habendæ adsistat, secundoque Rheno Dordracum redire constituerit, curavi eò literas tuas deferri. Eo autem absente, nihil ad te de hoc negotio scribere possum, priusquam de eo cum ipso contulero. Res autem mihi non ita magni videtur esse momenti, & filiæ defuncti Comitis Meursensis super eo Dominio redditum certæ quantitatis concessum, reservatumque memini. Ad hæc Cobelius piæ memoriæ cujusdam sui cognati nomine, atque alter quidam, si recte recordor, actionem

* Vide sup. ad Epist. XXVIII.

Digitized by Google

nem ad id dominium prætendit, ac Comite Meurſenſi mortuo, Anderlectius quidam ex Comitis Megani familia, Domini ſui commendatione fretus, ejusdem donationem apud Illuſtriſſimam Duciſſam noſtram inſtantiſſime ſollicitavit. Verùm poſtquam voluntatem Regiam eo inclinaveris, ſuadeò omnino, ut hanc ejus liberalitatem, ceu primam in te, non reſpuas, quin potius, etſi litigioſam & incertam, omni ſtudio gratitudinisque demonſtratione, proſequaris: ſolent enim Principes ſubinde erga eos eſſe, benigniores, qui pro parvis rebus gratos ſe exhibent.

Mitto ad te ſchema Catechismi ab Hunæo nuper editi. Lovanienſes vero Theologi alium in Haſſelii (48) defuncti locum ſurrogari petiiſſent, ſed prævaluit Molinei commendatio. Ego quoque, mi HOPPERE, ne quid te rerum mearum privatarum lateat, domum emi Lovanii, Collegiumque inſtituere meditor pro Eccleſiæ ſeminario, ut, quod ex beneficii mei fructibus comparcere poſſum, in ejus uſum collocem, & ut hoc conſilium meum ad meliorem effectum deducam, ſi Regiæ Majeſtatis liberalitatem difficillimis hiſce temporibus promerui, eò deſtinavi; cujus te promotorem eo lubentius fore non diffido, quo aliquid etiam exſtet Friſiorum noſtrorum in ea Academia monumentum. Bene vale, HOPPERE CL. Antverp. XXIII. Maii CIↃ IↃ LXVII.

EPISTOLA XXXV.

Auxiliares copiæ Comiti Megano ſubmiſſæ, ad quem acceſſit Ericus Dux Brunſwicenſis. Nobiles plures ſupplicio affecti, uti & Comes Egmondanus & Hornenſis. Leovardienſes proſcripti. Ultrajectenſium legati re infecta dimiſſi. De Conc. Trid. publicatione.

CL. D. HOPPERE. Quod literis tuis, XII. Maii ſcriptis, de Theonis ac Philippi villæ obſidione ſcribebas, vanum eſſe ſcias. Germanicique equites ex Gallia redeuntes,

(48) *Haſſelius*) Lege Heſſelius, is eſt Joannes a Lovanio, de quo ſup.

Digitized by Google

tes, ſine magno incommodo fines noſtros tranſierunt: quanquam in Gallia res ad novas ſeditiones tendere videantur, quæ forte nobis male volentes domi detinebunt.

Naſſovium nondum intelligere potuimus ex eo loco, ubi conflictus habitus eſt, Arembergenſiſque occubuit, egreſſum eſſe; quò tamen ad eum plerique ſectarii militeſque confluunt, incertumque eſt, quò capita vertant. Quamobrem Illuſtriſſimus Dux quotidie auxilliares copias comiti Megano ſubmittit. Dux quoque Ericus (49) cum bona equitum manu eodem pervenit, unde futurum credimus, ut brevi rurſus manum conſerturi ſint. Hîc primo ſecundoque hujus menſis die, nobiles, (50) ſchedula annotati, extremo ſunt ſupplicio affecti; atque hoc die Egmondanus, Hornenſisque capitibus quoque truncati, eaque in foro Bruxellenſi ſtipitibus infixa ſunt, magna ſane omnium commiſeratione, quale certe exemplum multis ſæculis hîc non eſt viſum. Quod ſi etiam lubet cognoſcere civium nomina, qui urbe Leovardienſi à Comite Arembergenſi, priusquam adverſus hoſtes proficiſceretur, proſcripti ſunt; itidem (51) alia ſchedula hiſce incluſa declarabit.

Trajectenſis Clerus miſit Legationem ſatis ſolemnem, quæ apud Ducem, ſuper difficultatibus Concilii Tridentini, intercederet, quò contentus eſſet exſpectare Regiæ Majeſtatis reſolutionem ſuper moderatione earundem per Dominam Duciſſam ante tuum abitum admiſſam. Verùm cùm hactenus nihil ab Rege renuntiatum deſuper fuerit, ac ipſi ab eo injunctum fuerit, operam ut daret, quo Concilium Tridentinum uniformiter obſervaretur, ſupplicationi eorum annuere noluit, &, requirenti Archiepiſcopo, non poſſe ſe brachium ſæculare denegare, reſpondit; utinam juſſis pareant, & veterem aliquando decorem Eccleſiæ noſtræ matrici reſtituant, qui non ſolum poſt illam moderationem nullo pacto emendatus fuit, ſed omnia in pejus prolapſa fuerunt. Has, mi HOPPERE, literas ſuperioribus adjungere libuit, cùm alias nondum miſſas eſſe intellexiſſem, Bene vale, CL D. HOPPERE. Bruxellæ. v. Junii. CIↃ IↃ LXVII.

(49) *Ericus*) Dux Brunswicenſis ſtipendia regis facere ſolitus. *V. Borrium lib.* 3. *p. mihi* 119. Vſa.

(50) *Schedula*) non adeſt in MS. Cod. ſed nobiles illos recitat *Borrius lib.* 4. *p.* 169. Vſa.

(51) *Alia ſchedula*) abeſt quoque. Hos exules recenſet *Winſemius lib.* 2. *Hiſt. p. mihi* 107.

Digitized by Google

EPISTOLA XXXVI.

Dux Albanus Genuam appulsus cum copiis, quæ intempestivè adducuntur, nisi Rex una adsit. Timet Viglius ne Ducissæ ac Ducis consilia satis conveniant. De Marchionis Bergensis obitu. Noircarmium generosè commendat pro Hannoniæ præfectura. De Valencenatibus supplicium sumptum.

Initio hujus mensis, CL. D. HOPPERE, intelleximus, Illustrissimum D. Ducem Albanum Genuam appulisse, ac paulo post ab ipsomet literæ allatæ sunt, quibus Duciſſam nostram certiorem facit de iis copiis, quas secum huc adducere statuit Quod, ut verum dicam, ipsam multum perplexam reddidit, multisque displicet, quod tot Hispanos aliosque exteros milites nunc adduci intelligunt, ubi pene omnia composita videntur. Et vereor, uti etiam antea ad D. T. scripsi, ne res non sit caritura aliquo periculo, nisi sub idem tempus Rex adveniat, & authoritate sua cùm exterorum insolentiam compescat, tum res nostras domesticas securiores reddat. Atque absque ipsius præsentia certe non video aliquid recte agi posse, & nos, qui hoc anno multa passi sumus propter Majestatis suæ servitium, nova implicamur sollicitudine, dum dubitamus, quorsum hominum voluntates exibunt; hoc certe timeo, ne non Duciſſæ ac Ducis consilia in omnibus satis conveniant, & periculosum erit alteram, quàm sequaris, eligere partem

Marchionis Bergensis obitum intelleximus, qui similiter magnam quibusdam calumniandi materiam præbet, cùm ille semper apud omnes hîc instantissime egerit, quò intercederent, ut redeundi Rex licentiam ei præberet.

Dominus Noircarmius, qui absentis Marchionis loco Hannoniam administravit, id de se specimen exhibuit, ut merito cæteris in ea Præfectura præferri debeat; cujus non dubito Regem rationem habiturum, quantumvis fortassis alii sunt, qui eulogia merentur, erga quos tamen excusare Rex se poterit, & per Noircarmii egregia fœliciaque facta, & quod aliàs: Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes. Et, quan-

Digitized by Google

quanquam mihi cum ipso nulla privatim amicitia intercedit, non possum tamen non complecti eum omni benevolentia, qui primus authorem se præbuit, regiam restaurandi authoritatem, & nos ex diuturnis istis malis eripiendi. Quamobrem te, mi HOPPERE, etiam atque etiam rogo, ut adjutorem te eidem præbeas.

Harlinus pater cum filio, Concionatoribusque duobus Valencenensibus, extremo affectus est supplicio, deque aliis isthic, aliisque locis, quæstiones habentur, processusque instituuntur, ac Curiæ nostræ Præpositus quam Rubram vocant Virgam, cum duobus Consulibus in Frisiam profectus est, ut de iis, qui in Harlinga ab Comite Arembergensi deprehensi, ac ex fuga retracti sunt, similiter cognoscant.

Quid hîc nuper edictum sit, ex adjunctis chartis cognosces. Si quid autem in eo vobis non satis placet, vobis quoque imputate, qui tam diu sententiam vestram differtis. Bene vale, HOPPERE CL. ad D. a Tysenach, Denneterioque plurimam quæso à me salutem dicas. Antverpiæ v. Junii CIↃ IↃ LXVII.

EPISTOLA XXXVII.

De rebus privatis. De adventu Regis melior spes. Ducissæ authoritas insufficiens. Albani adventus ingratus ac formidolosus. Nihilominus censet eum benevole recipiendum, & quare.

Accepi, CL. D. HOPPERE, literas, quas per Comitem Nagerolum ad me dedisti; strenam autem, quam filiolæ destinasti, nondum reddidit, cùm de via lassus Bruxellæ apud conjugem subsistiterit. Stinæ, quod polliceris referam: ubi huc ex Hollandia redierit, quæ domus suæ visendæ, & neptis quoque Oniæ, quæ partui proxima est, salutandi gratia, profecta est. Statuerat & Goudam adire, quo conjugem tuam viseret, verùm nos ipsam cum tota familia Bruxellam redeundam (52) exspectamus. Quod autem spem ali-

(52) Ita vitiose legitur etiam apud Gabbema. Indubie legendum: *redituram.*

Digitized by Google

aliquam meliorem de Regis adventu nobis facis, pergratum est, ac certe perneceſſariam rebus rite conſtituendis, ad quod Duciſſæ authoritas non ſufficit, & puto te accepiſſe, quas ad te noviſſime dedi, ex quibus ſatis colligere poteris, quæ nos hîc curæ angant. Multis certe Ducis Albani Hiſpanorumque militum adventus ingratus, formidoloſusque eſt, ſed ſpero eum dexteritate, eleritateque adverſantium conatus ac ſtudia preventurum, cùm eum jam Alpes tranſmiſiſſe credamus. Ego autem, quoad poſſum, ſuadeo, ut, quod ex Regiæ Majeſtatis conſilio decretoque fit, id nos omni obſequio amplectamur, ac Ducem benevole recipiamus potius, quàm alterius voluntatis ſignificatione rurſus Remp. in novas factiones conjiciamus. Cumque nos omni pene rei pecuniariæ præſidio deſtituamur, Duxque anguſtiæ noſtræ ſubvenire valeat, ne illum quoquo modo alieniorem à nobis reddamus, quando præſertim res noſtræ ob ſeditioſorum, hæreticorumque varias machinationes, & ignem ſub cineribus latentem, præcipuamque, quæ reſtat, difficultatem in reprimenda domeſticæ libertatis Religione, res nondum in tuto ſit poſita: ſed non omnibus placet ſententia.

Non improbo, quod tibi videtur, ut Gregorio tuo conferatur Præbenda Sancti Bavonis, cùm Tytmanno minor ſit ætas. Idque, ubi conjunx huc advenerit, effectum dabo. Apud Groningam recepto præſidio res ſatis tranquillæ ſunt. Embda autem profugis, ſeditioſisque hominibus repletur, eòque conceſſêre etiam nonnulli ex noſtrate nobilitate, quos tamen facti pœnitere autumo. Bene vale, HOPPERE CL. Antverpiæ XV. Junii CIↃ IↃ LXVII.

EPISTOLA XXXVIII.

Longa, gravisque querimonia ſuper improbato per Regem Edicto Antverpienſi per Duciſſam emiſſo. Viglius ſtabit pro Catholica veritate & Regia authoritate, quoad vivet. Friſii captivi Vilvordiam adducti. De Hopperi fil. Gregorio. Heſſelii

Digitized by Google

Selii commendatio ad locum in Consilio Secreto. Quas ædes Lovanii emerit pro Collegio instituendo. De liberalitate in se Regia nihil sperat.

Ex Flandria nuper rediens Antverpiam, CL. D. HOPPERE, literas tuas penultima Junii scriptas accepi, vidique ea, quæ super Edicto Antverpiensi Rex ad Ducissam scripsit, quæ sane omnium bonorum ministrorum ejus animos, plus quam dici potest, offendunt. Cùm autem communis ea sit consiliorum causa, non est, quod eam litem meam faciam. Quanquam profecto mihi gravissimum est, tam duram reprehensionem Regis unà sustinere, qui non uno capitis periculo fidem meam Majestati Regiæ comprobatam autumabam. Quando autem, postpositis omnibus servitiis, eis credere mavult, qui nos manifeste prævaricationis adversus DEI honorem, suumque servitium reos agant, saltem pro omni mercede præstare debebat, ne inauditos condemnaret. Me certe, cùm hujusmodi calumnia, aspergi nos omnes videam, tædet, pœnitetque tot labores frustra perdidisse, DEUMque precor, ut æque fideles servitores Rex multos inveniat, neque bonos à suo ministerio hoc exemplo absterreat, omniaque cùm fecerint, servi inutiles habeantur, & pro bono opere lapidentur. Verùm, mi HOPPERE, judicare non possum, eos, qui talia consilia suggerunt, Regi, Reipublicæque bene consultum velle, vel recte intelligere, quid expediat. Ex ipsis quippe rationibus, quas ad Ducissam Rex unà misit, evidenter cognosci potest, quanta temeritate pleraque reprehendant. Utinam & ipse eventus rerum cum magno nostro discrimine non declaret, quanta inde incommoda consequentur. Vel illud unum cogita, ubi intellectum erit, quo in loco nos Rex habeat, quantopere nobis adversarii Majestatis suæ insultabunt. Et quanquam in aliquibus imprudentius erratum fuisset, præstitisset tamen id dissimulare, quam Ducissam, cæterosque ministros, tam ignominiose exauthorare, (53) præsertim cum revocationis effectum alia via consequi licuisset, & generali ordinatione super negotio Religio-

(53) *Exauthorare*) V. Borrium lib. 3. p. mihi 116. Vsa.

Digitized by Google

ligionis abrogare ea, quæ particulariter pro Antverpiensibus ordinata antea fuerunt. Et cum hæc Regis censura omnes deterreat, ne quid statuant, faciantve, unde similem reprehensionem mereantur, omnino necessarium arbitror, ut ipse quam ocyssime veniat, nisi Dux Albanus in mandatis habeat, alia via procedere, quàm ea, quæ ad restaurationem Reip. pristinamque tranquillitatem Provinciarum nostrarum, convenire nobis visa fuit. Sed nimis ego multa de hisce, quæ tu melius intelligis quorsum tendant: & si unquam antea desideravi privatam vitam ab omni Reip. functione liberam agere, hæ sane epistolæ Regiæ Majestatis longe eò magis me impulerunt. Neque puto me deinceps difficulter illam impetraturum, cùm opinionem, quam hactenus de me Rex habuit, longe aliam, quàm antea esse declaret. Ego autem nihilominus, qualiacumque sint aliorum judicia, pro Catholica veritate ad extremum usque spiritum cum Dei gratia stabo, & Regiæ Majestatis honorem authoritatemque, quam consiliis adjuvare amplius non potero, votis orationibusque meis DEO OPT: MAX: commendare non desinam.

Frisii nobiles, qui aliquandiu apud Harlingam detenti fuerunt, Vilvordiam Ducissæ jussu adducuntur, ut de quibusdam cum cæteris (ut dicimus) confrontentur. Munificentiæ Regiæ succession non difficulter consequuturum te spero, postquam Ducissa non gravate suum illi calculum adjecit.

Pro Gregorio tuo literas in forma consueta expediri curavi, atque Langio Secretario ea diligenter commendavi, quæ Romæ peragenda sunt, qui eam etiam operam Loo dedit; cujus filium in professione adipiscenda Gandavi existens adjuvi, dùm nonnulli per decreta Consilii Tridentini difficultatem objicerent ob ætatem Clericalis ordinis & tonsuræ incapacem; cùm autem ille glaciem fregerit, te coram istum scrupulum facile amoturum spero. (54) Hesselium Ducissa ad officium Procuratoris Generalis Mechliniæ promovere desideravit, sed uxor omnibus modis restitit: jam vero aliquam concepit spem, ut ad Consilium Secretum promoveatur, cui eum non inidoneum fore existimo; & profecto egregiam

(54) *Hesselius*] Jacobus. V. Not. ad N. LXXI. Vitæ.

Digitized by Google

giam Curiæ operam navat in examinatione captivorum, inquisitioneque causarum ac fautorum hujus tragediæ; verùm ego arbitror ante suum adventum ejusmodi rebus Regem nihil constituturum esse.

Helsium Groningensem gaudeo adhuc supereſſe, cui dices eas me ædes una cum vicinis fundis emisse, quas ipsum Lovanii inhabitasse audio, quæ olim dictæ fuerunt Carsau, in platea Sancti Quintini.

De Liberalitate Regia nihil spero amplius, & calceos meo pedi adaptabo. Bene vale, CL. D. HOPPERE. XXIV. Julii.

EPISTOLA XXXIX.

Quod superiore scripsit epistola pro sui excusatione, retractat; mansurum tamen alta mente repostum. Hispani nostratium rerum statum non pensant. Rursus postulat missionem. Nobiles Frisii e Vilvordia Rupelmondam translati. De Commentariis Hopperi. Dux Albanus Luxemburgum adventans: quem omnes abhorrent. Milites præsidiarii in Frisia. De Abbate S. Petri Gandavi.

DEderam CL. D. HOPPERE XXIV. hujus mensis Lovanium proficiscens aliquas ad te literas, arbitratus interea, dum domo abessem, cursorem versus Hispaniam abiturum: verùm inde rediens comperi illum nondum abiisse, quod Ducissa jusserat ea, quæ contra Edictum Antverpiense isthinc missa essent, paulo diligentius examinari. Cùm verò illa legerem, agnovi nihil opus fuisse aliqua mei excusatione, sed sub clypeo communis defensionis me quoque latere posse. Itaque, mi HOPPERE, quæ tum ad te scripsi, non alii quam tibi scripta accipi velim, ne ego, peculiarem justificationem instituendo, hanc litem meam facere videar. Sed tamen non potest non manere alta mente repostum hoc judicium, curabimusque diligenter, ne in eundem lapidem rursus impingamus. Admodum vero metuo, ne Rex talibus consultoribus aures præbens, aliquando se deceptum vi-

Digitized by Google

deat; agunt quippe ii triumphum ante victoriam, & parum noſtratium rerum ſtatum conſiderantes, non aliter loquuntur, quam ſi res Toleti ageretur; cùm non longum ſit tempus, quod ne unus quidem Hiſpanus huic ſe urbi, ubi tamen Curiæ favor illis non deerat, ſeſe concredere auderet. Mirabor verò, ſi ab aliquo eorum hæ calumniæ nobis ſtructæ fuerint, cùm D. T. ſignificet etiam hinc quædam proceſſiſſe, quæ animos veſtros exacerbarunt. Te vero etiam atque etiam rogo, ut, quod ad me privatim pertinet, ita commendes, ut miſſio, quam jamdudum petii, honeſta, qualisque immeritis ſtipendiis concedi ſolet, mihi non denegetur. Nobiles noſtri tres Beiema, Galama & Bouwinga, quod locus in diverſorio Vilvordiæ non eſſet, Rupelmondam adducti ſunt, multaque quotidie emergunt, quibus D. T. Commentarios ſuos augere poterit.

Dux Albanus ad III. Auguſti in Luxemburgenſi Ducatu ſeſe adfore ſignificat: de conſiliis autem rerum per eum gerendarum, quod ego quidem ſcire potuerim, nihil Duciſſæ adhuc communicatum fuit, omnesque interea Hiſpanum hoſpitem abhorrent.

Leovardienſes & Snecenſes militem præſidiarium non gravate adhuc ritinent, verùm Groningenſes jamdudum ſuorum militum pertæſi, apud Curiam, ut iis liberentur, ſollicitant, quod ægre, quantum video, impetrabunt. Vale, CL. D. HOPPERE, veſtrique adventus nos ſubinde certiores redde. Bruxellæ. XXIX. Julii CIↃ IↃ LXVII.

(1) De Abbatia Sancti Petri Gandavenſis Regem nihil diſpoſiturum arbitror, quoad huc advenerit. Quædam enim ſunt de quibus Majeſtatem ſuam prius admoneri magnopere convenit. Bene vale, CL. D. HOPPERE, & Domino Tyſenachio, Denneterioque, multam à me quæſo ſalutem dicas. Bruxellæ. XII. Auguſti CIↃ IↃ LXVII.

(1) Hoc *poſtſcriptum* ad aliam pertinet epiſtolam, quæ è Codice noſtro ſublata eſt, uti paginæ anius fruſtum inhærens declarat.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XL.

Cruciat Viglium Regis se præsentia frustrari, ac diversum semper ab Hoppero, & jam ab Albano affirmatum: quare Ducissa serio abitum parat, quòd Hispani bonis ac malis graves sint, ejusque diminuta authoritas. Quod consilium uti non probat, ita veretur multas a novo Gubernatore difficultates, tædetque inter has contentiones versari. Cùm semper moderationem suaserit, utrique parti factus est odiosus. De Abbate S. Bernardi apostata.

NOn habeo impræsentiarum, CL. D. HOPPERE, quæ ad D. T. scribam, nisi hoc unum, quod nos mirum in modum cruciat, nos spe Regiæ Majestatis adventus frustrari, totque ac diuturna Vota, desideriaque nostra inania reddi. Et quanquam vos nobis diversum semper affirmavericis, & Dux etiam Albæ idem confirmarit, nunc tamen ex longo silentio, ac publica voce ac fama, contrarium intelligimus. Quamobrem Ducissa rerum pertæsa, suamque authoritatem diminutam non satis ferens, serio de abitu constituisse fertur. Plurimum autem eam commovent Bruxellensium quærimoniæ de milite Hispano, qui bonis pariter ac malis gravis existit, insuetaque jura, atque (ut vocant) servitia exigit, quæ non modo conqueruntur ferre se non posse, sed in Regiæ Majestatis detrimentum redundatura videntur. Taceo alia multa, quæ eam male habent, & cum Charibdim effugerit, rursus se in Schillam recidere sentit. Proinde ut semel se molestiis eximat, ad extremum recurrere remedium decrevit. Ego probare hoc consilium, ut non possum, ita vereor, ne multas nobis difficultates pariat novi Gubernatoria, absente Rege, constitutio, cùm Statibus, quorum convocationem Rex fieri vetuit, ea insinuanda sit. Mihi vero longe gravissimum est, inter has contentiones, simultates ac dissimulationes versari, & cùm ego semper moderationem suaserim, ac libere consulere soleam, vereor, ne apud utram-

Digitized by Google

que partem odium mihi conciliem. Quamobrem nihil melius esse video, quàm ad id quoque recurrere, quod de missione jamdudum sollicite petii. DEUS autem, in cujus manu est cor Regis, consilia ejus ad populi sui salutem, pacemque dirigat.

(2) De Abbate Sancti Bernardi vos isthic audivisse puto, & jam dudum ad id propendere visus est, quod tandem facto approbavit. Prætexere dicitur inanem quendam metum, sed conjugium secutum, ac tam ingens sacrilegium, eum plane coarguit.

Uxor si forte nihil nunc scribit, à me velim scias cunctam familiam salvam esse. Bene vale, CL. D. HOPPERE, Bruxellæ VIIII. Sep. CIↃ IↃ LXVII.

EPISTOLA XLI.

Propugnat Edictum Antverpiense exemplo Ducis Albani, qui id imitatur, rigorem Hispanorum theologorum exercere non valens. De Noircarmio quod rescripserit Hopperus, gratias agit, & gratulatur de dominio Daelhemensi. Albertus a Loo æger, & de scriptis ad Hopperum literis anxius. Secus ipse. Ducissa ægra corpore & animo. Timet Reip. post ejus discessum, missionemque adhuc postulat: hoc lætatus quod ob sacrum ordinem a Consilio turbarum sit exclusus.

LIteras tuas, CL. D. HOPPERE, XI. superioris mensis die datas, accepi, ac adjunctas vestræ Conjugi, quæ jam

(2) *Abbas S. Bernardi*) ad Schaldim prope Antverpiam, *Thomas Thields*, ex pastore municipii den Oudenbosch assumptus an. 1562. in Clivensem ditionem aufugit ducta ibi uxore *Johanna van Waveren* nobili domicella; primùm Reformatæ religionis minister Harlemi, dein Delphis Batavorum, ubi apostata obiit circa 1568. *Gall. Christ. tom. 5. col. 146.*

Digitized by Google

jam pridem huc reversa est, tradidi. Spero de Edicto Antverpiensi æquiorem nobis Regem fore, ubi intellexerit Illustrissimum Ducem Albanum, considerato rerum nostrarum statu, necessariò ad quædam similia condescendere: qui tametsi maxime rebus mederi cupiat, multitudine tamen, aliisque de causis impediri se sentit, quo minus eum rigorem, quem Hispanici Theologi requirunt, exercere possit. Et nos certe nihil prius habuimus, quàm Religionem Regisque authoritatem conservare, restituereque: sed aliquando consilia accommodanda sunt tempori.

De Noircarmii negotio, gratiam habeo, quod aliquid rescripseris, & arbitror, Ducem eandem de eo habere opinionem, & profecto non solum ille Regis partes fortiter tutatus est, sed multos sui ordinis in eandem devotionem pertraxit.

De Dominio Daelhemensi etiam atque etiam tibi gratulor. Quo in statu sit Loi amici nostri valetudo, ex aliis cognovisse te arbitror. Ego illum, ut possum, consolor, & cùm de literis ad te scriptis plus satis sit sollicitus, dixi me multo ad te ampliora perscripsisse, neque putare inde me aliquam culpam contraxisse, sed gratiam etiam iniisse. Tu itaque hominem utrique amicum & benevolum, quæso, ut literis tuis confirmes, opinionemque, quam morbus auxit, eximas, literasque ipsius te Vulcano consecrasse affirmes, ne quid illi amplius hæreat scrupuli.

Illustrissima Ducissa aliquot diebus à nobis non est visa valetudinis ergo, quam nondum restitutam intelligere possumus. Creditur autem ad morbum animi accedere mærorem, quod se ob longum silentium ab Rege negligi, authoritatemque suam alii attribui videat. Unde adhuc in ea dicitur permanere sententia, ut brevi nobis sit valedictura. Quod si accidet, & Rex adventum suum differre perget, D. V. per se considerare potest, quis hujus Provinciæ futurus sit status. Et sunt certe multa quæ bonorum animos percellunt. Verùm ego me ætatis beneficio consolor, speroque, cum Rex adventum suum in aliud tempus differendum statuerit, Dominum Tysenachium saltem venturum, qui me officii istius sollicitudine liberet. Magnam præterea impræsentiarum mihi adimit molestiam, quod sacerdotii ordo me

Digitized by Google

ab cognitione causarum istarum criminalium excludit, ad quam assumpti sunt viri aliquot primarii, quorum nomina ad Regiam Majestatem per Illustrissimum Ducem perscripta arbitror.

Eidem vero ego, quoties requirit, quantum mihi mea conditio concedit, consilium meum non gravate impertior. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ. Cal. Octob. CIↃ IↃ LXVII.

EPISTOLA XLII.

Dux Albanus Antverpiæ novæ arcis fundamenta jacit. Qui in Consilium turbarum adsciti. In Frisiam qui missi. Præsidia ibi; ac stipendia non soluta. Arembergensis in Gallias missus. Ducissa ad abitum omnia parat.

CAlendis Octob. CL. D. HOPPERE, novissime ad te scripsi, posteaque, turbatis rebus in Gallia, cùm itinera impediri, veredariosque intercipi audiremus, differendum putavi consuetum scribendi officium, donec major appareat securitas, vel aliam inveniremus viam, qua literas tuto mittere possemus. Admonitus autem ab Ryo Ducem mari nuntium mittere, epistolium quoque jungendum putavi, quo rerum tantum compendium perscribam. Dux Antverpiæ est, ut novæ arcis fundamenta jaciat, civibusque persuadeat, ut impensas subministrent, quod ubi impetrarit ad nos redire constituit. Interea ii qui ad cognitionem causarum ab eo delecti sunt, informationes undequaque allatas relegunt, seduloque dispiciunt, quamnam materiam inveniant contra eos ad ulteriora procedendi. Electi autem sunt Cancellarius Gelriæ, Flandriæ, Artheſiæque Præsides, Blaserius, Hesselius, à Riio & Vergas. Procuratorem agit is, qui nuper surrogatus est in locum Procuratoris Generalis Mechliniensis Du Bois, Pensionarius antea Gandavensis, evocatique sunt Advocatus Flandriæ atque Damontii è Burgundia, qui illi assistant, atque huic collegio, cui ipse Dux præest, juncti quoque sunt Barlemontius & Noircarmius. Consiliarios privati Consilii, dum aliorum negotiorum sataguntur, parvoque sunt numero, ab ea cognitione exonerari visum fuit.

In

Digitized by Google

In Frisiam missus est Livinus Everardus ** Consiliarius in Senatu Mechlinienſi unà cum novo Procuratore, in defuncti Julii locum subſtituto, Magiſtro Joan. Carolo, *** quem te Mechliniæ Advocatum noviſſe arbitror, qui de rerum iſthic geſtarum veritate diligentius inquirat. Apud Leovardiam, Snecam, Bolſuardiamque præſidia adhuc hærent non ſine magno civium gravamine, dum ſtipendia non ſolvuntur, eaque in immenſum creſcunt: manent autem totius populi animi in judicium, miſericordiamque & gratiam Regis ſuſpenſi, varieque ex Gallicarum turbarum rumoribus ſunt affecti, ac quibusdam etiam locis cornua nonnulli erigunt, & ad novos motus, fugitivis auxilia magna permittentibus, ſollicitantur. Arembergenſis Comes ſuppetiis, quæ in Gallias mittuntur, præfectus eſt.

Duciſſa ad abitum omnia præparat: an ex Regis ſententia id faciat, ignoro. Illud autem vereor, ne rebus eo abſente aliter non diſpoſitis, in magnum incidamus periculum, quod ipſe facile colligere potes. Lous amicus noſter mediocriter convaluit, quem tamen velim literis tuis ſubinde confirmes, ac opinionem, metumque illi eximas, qui morbo cauſam præbuiſſe videantur. Meæ quoque cauſæ te obliviſci nolim, ne huic piſtrino immori cogar. Bene vale. CL. D. HOPPERE, Bruxellæ. IIII. Novemb. CIↃ IↃ LXVII.

** *Livinus Everardus*] de quo ſup. ad Epiſt. XXII. Obiit autem anno 1574. & ſepultus eſt in eccleſia Collegiata & parochiali B. M. V. trans Diliam Mechliniæ, ſub hoc epitaphio:

„ Icy
„ giſt
„ honorable
„ Seigneur
„ Mr.
„ Livin
„ Everard,
„ en ſon
„ vivant
„ Maiſtre de
„ Requeſte ordinaire de l'Hoſtel du Roy en ſon Grand Conſeil ordonné en cette ville,
„ qui treſpaſſa le 29. Decembre l'an 1574.

Quartiers.
Evrard, Wyckhuys,
Schoubroek, Boels.

Le grand theatre ſacré de Brabant. pag. 52. col. 1.

EPISTOLA XLIII.

Rurſus de Duciſſæ diſceſſu, de Duce Albano Antverpiæ hærente, ac de Com. Arembergenſis in Gallias profectione. Meganus verſus Rhenum miſſus. Mors Epiſcopi Brugenſis, cui idoneus ſuffe-

*** *Magiſtro Joanne Carolo*] De quo dubitavi ſup. ad Epiſt. XXII. poſtea reperi, eum procuratorem generalem fuiſſe, non Mechliniæ, ſed Leovardiæ in Friſia. Tandem factus eſt ſenator in ſupremo Mechlinienſi Conſiſtorio, quod deſeruit, monachus factus jam ſenex. V. inf. ad Epiſt. CC XXXVII.

Digitized by Google

ſufficiendus. Janſenium commendat pro obtinenda a Rege penſione, ut ſuam vitam prorogari levius ferat. Ejus Commentaria in Proverbia Salomonis Viglio dicata.

TAmetſi CL. D. HOPPERE, ante quinque dies ad te ſcripſerim, oblata tamen rurſus oportunitate, cùm Duciſſa literas ad Regem daret, prætermittere nolui, quin meas illis adjungerem, ſignificaremque nos omnes hîc recte valere, Duciſſam ad reditum in Italiam omnia parare: Ducem vero apud Antverpiam agere, cum Barlemontio, Noircarmio, Schetzioque, ut rationem aliquam ineant, qua ſumptus ad arcem ibi exſtruendam neceſſarios inveniant. Idem Comitem Arembergenſem cum aliquot noſtratium, Burgundionumque equitum cohortibus in Galliam ad Regis auxilium miſit, atque cum apud Rhenum undique milites confluant, qui noſtras ſe invaſuros Provincias minitentur, Dux quoque ei periculo providere cupiens, cum Comite Megano aliquot Hiſpanorum, Germanorumque vexilla eo ablegavit. Sic hyemem hanc, qua ab militia feriari ſolemus, rurſus inquietam habituri videmur.

(3) De Curtii Epiſcopi Brugenſis morte nuper ad te ſcribere oblitus fui: verùm Duciſſæ ad Regem literæ ſupplebunt, quæ à me ſubinde omittuntur. Quoniam autem ad eum Epiſcopatum forſan commendabuntur, aut aſpirabunt quidam ei muneri parum apti, operam te dare velim, ut idoneum Rex ſufficiat, prout hæc tempora requirunt. Janſenius quoque, qui mihi deſignatus eſt ſucceſſor, incerta ſe penſione, & fortaſſis meæ mortis ſpe lactari in vanum conqueritur, cujus optarem Regem rationem habere, atque trium quatuorve millium penſionem (uti jamdudum ſpes ei facta fuit) aſſignari, quo Epiſcopalem dignitatem aſſumere, ac Gandavum concedere poſſit, meamque vitam prorogari æquius leviuſque ferret. Scripſit is nuper ampla Commentaria

(3) *Curtius*] Petrus, Brugenſis, doctor theologus Lovanienſis, primus epiſcopus Brugenſis conſecratus an. 1561. Obiit 17. Octobr. 1567. *Gall. Chriſt. to. 5. col. 249.*

Digitized by Google

tacia in Proverbia Salomonis, quæ pro sua benevolentia mihi dedicavit, eaque ad te mitterem, si melior veredarii esset opportunitas. Interea alterum ejus libellum, nuper in lucem emissum, hisce conjungam, quo tuam excitem memoriam, teque enixe rogem, ut viro docto ac bono patrocinari apud Regem velis, quo sponte ei oblati ab Regia Majestate favoris promotionisque fructum aliquem percipere possit. Nam indignum certe est, illum inani spe semper in suspenso, eo pacto, teneri, nec ego me promeruisse puto, ut ejusmodi voto mortis exponerer. Cùm autem Abbas Sancti Petri dignitate sua defungi olim desideraverit, fuisset quoque aliqua illi promovendi occasio. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ IX. Novemb. CIↃ. IↃ. LXVII.

EPISTOLA XLIV.

Ducissæ discessum remorati sunt Ministri Regii. Missionem ante biennium literis Regiis promissam flagitat, novamque causam adducit. Domum emit Bruxellis, nec ideo mutavit consilium migrandi Gandavum. Dux Albæ etiamnum Antwerpiæ. Egmondano & Hornensi advocati concessi. Comes Aremberg. Regiis in Gallia copiis creditur conjunctus. Tysenachii adventus desideratur, quod deinceps cum Hispanis res futura sit.

LIteras, tuas, CL. D. HOPPERE, XII. Octob. datas accepi, præcedentes autem nullas, nisi quas XI. Septemb. dedisse te significasti, neque etiam illas, quas postea te datarum scribebas. Ego autem trium epistolarum exempla hisce conjungere jussi, ut si forte intercideriut ex ipsis, quæ ad te scripsi, intelligas.

Ducissa, accepto Regiæ Majestatis responso (quo petitioni ejus acquievit) illico se hinc proripere destinabat, sed cùm nullæ literæ mandataque publica, de ejus missione ab Rege ad nos, adhuc perlata fuissent, nec super successione,

Digitized by Google

gubernationeque quicquam indicatum esset, nos ipsius decessum, quoad licuit remorati sumus. Utinam autem, rebus nostris plus satis afflictis, Majestas sua prudenter provideat, postquam ipsius præsentia frui non datur. Spero autem tandem Regem me benigno oculo aspecturum, concessurumque cum effectu id quod literæ ipsius, ante biennium ad me scriptæ, continebant; & non ignoras quantis calumniis, periculisque interea expositus fuerim, quantaque diligentia ac vigilantia labentem Religionem Rempublicamque unà sustinuerim, ut, si nullum aliud, certe benignæ missionis licentiam promeruisse me sperem. Certe, non video, quo modo in animum inducere queam, ut sub novis magistris scholam hanc repetam, in qua, etsi me forsitan Dux non indigne tractabit, multorum tamen, qui ipsius authoritate nitentur, nec ferre ipse imperium satis potero, nec vice versa meo ingenio se conformare volent. Quamobrem te oro, mi HOPPERE, obtestorque, illud des operam, ut Præsidiali munere absolvar, contentaque sit Regia Majestas, ut, quantum per ætatem, valetudinemque licebit, consilium impartiar. Coegêre me autem proximis diebus familiares amicique nonnulli, ut, cùm domus, quam hîc inhabito, decreto publico ad instantiam creditorum venderetur, mihique ex ea confestim migrandum esset, ut ipse unà licitaret, mihique ea addicta fuerit, quo ægre me induci passus sum, dum alibi potius vitam finire constituerim. Sed pretium tale fuit, ut, quod pro ea erogabo, facile quando lubebit, consequi rursus ab novo emptore posse me sperem. Quod ideo ad te scribo, ne me putes ullo pacto consilium voluntatemve de Gandavensi habitatione, otioque literario ac philologia semper expetita, mutasse.

Dux adhuc Antverpiæ cum Barlemontio, Noircarmio, Schetzioque agit, novæque arcis fundamenta jam posita summo studio ad defensionem producere contendit. Miles, qui in Gelria concurrebat, ubi intellexit nostras copias eo tendere, subito diffluxit.

Ad Egmondanum ac Hornensem missi sunt, qui eos, de rebus antea gestis, interrogent; ac audio, etiam Advocatorum ipsis copiam permitti, ne defensionis facultatem sibi denegatam conquerantur.

Arem-

Digitized by Google

Arembergenſis creditur equitum cohortes, quas hinc in Galliam deduxit, jam regiis ibi copiis conjunxiſſe. Multum autem in celeritate poſitum eſt, cùm ex Germania itidem pedites equiteſque magno numero in Principis Condeani auxilium confluant. Quæ autem hactenus ibi geſta ſunt, aliunde vos citius reſcire arbitror.

Albertus ab Loo tuas literas ſummo deſiderio expectat. Uxor cum tota familia recte valet, &, niſi brevi huc te rediturum intelligat, ipſa ad te proficiſci decrevit, Bene vale, HOPPERE CL. XX. Novemb. CIↃ IↃ LXVII.

Dominum Tyſenachium, ad quem jam per aliquot tempus ſcribere intermiſi, plurima ſalute velim à me impertiri; cujus reditum tanto magis deſiderare incipimus, quod nobis deinceps cum Hiſpanis res erit, quorum ipſe linguam percallet, moribuſque & ingeniis eorum aſſuetus, ipſe multo rectius conſilia moderari poterit. Datum ut in literis.

EPISTOLA XLV.

Duorum regnum, nempe Duciſſæ ac Ducis, difficultates attulit. Dies profectionis Duciſſæ, quam comitabitur Mansfeldius, aliique multi. Unde Duciſſa ſui deſiderium relinquat? Brabantini 25000. fl. illi donant. Principis Auraicenſis, aliorumque procerum bona annotata. De cauſa Egmondani ac Hornenſis. Warronſius Penſionarius Namurc. captivus De Regis adventu ſibi verba dari queritur. Loius convaluit. Conjux Hopperi Bruxellis amplius hærere detrectat. De rebus Gallicis. De morte Abbatis S. Petri Gandavi qua occaſione Janſenium commendat.

CL. D. HOPPERE, poſt noviſſimas literas meas, quas XX. Novemb. ad te dedi, quarumque exemplar hiſce conjungi curavi, ternas tuas accepi, XXIX. Octob. ac II Novemb. ſcriptas. Aliæ autem vel interceptæ ſunt, vel in iti-

Digitized by Google

nere adhuc hærent. Magnas ſane difficultates nobis attulit hoc interregnum, ſeu potius duorum regnum, dum ſolem orientem non ita adorare potuerimus, ut occidentem contemneremus. Et deſiderabamus quoque expreſſiora mandata, quibus Provinciales de novo Gubernatore admonerentur, ut authoritatem ejus, quam plerique forſitan non lubenter ſuſcipiunt, regia juſſa conſtabilirent. Sed dum vos parcius ſcribitis, aut ad nos veſtra ſcripta ſerius veniunt, cogimur, quod vulgo dicitur, de neceſſitate facere virtutem. Jamque Provincialibus per Duciſſam de ejus abitu, ſucceſſoreque admonitis, ipſa diem profectionis ſuæ conſtituit XXVII. hujus, ſed biduum, triduumque forſitan prorogabitur, comitemque habebit Mansfeldium cum conjuge. Ac multi alii uſque ad confinia Helvetiorum eam deducturi ſunt, ne quod incurrat periculum, cùm per terras, non ſatis amicas, illi tranſeundum ſit, ac ſub id tempus, quo Germanus miles equeſque in Galliam ad auxilium Condeani Principis eadem via proficiſcitur.

Deſiderium autem ſui eo majus relinquit, quo minus adhuc perſpecta habetur ſucceſſoris gratia. Et Brabantini dono obtulêre XXV. florenorum millia, & ſunt, qui aliis Provinciis idem perſuadere ſtudent. Interea Dux nudiuſtertius mandata criminalia expediri juſſit adverſus Auraicenſem, fratremque ejus Ludovicum, Comiteſque Bergenſes, Hoochſtratanum, Culenburgium, ac Brederodium, expeditis etiam Commiſſariis, qui bona eorum annotent, quod, ut bene cedat, faxit DEUS.

Egmondano, Hornenſique permiſſi ſunt Procuratores ac Advocati, qui eos defendant. Et jam pene per tres menſes occupati fuere in informationibus cognoſcendis, hi qui extra ordinem ab Duce ad hoc judicium ſunt delecti; quorum unus, nempe Cancellarius Gelriæ, mihi à teneris unguiculis notus, & amicus, aqua intercute obruitur, ut diu nobis ſuperſtes fore non ſperetur.

Nuper & in Warronſium (4) Penſionarium Namurcenſem manus injectæ ſunt, & ipſe huc ad examinationem adductus

(4) Is poſtea Namurcum remiſſus, ultimo ibi ſupplicio plexus eſt. *Infrà. Ep.* LV.

Digitized by Google

ductus est, qui horum motuum consiliorumque omnium conscius, particepsque fuisse fertur.

De Regis adventu pulchra nobis verba datis, sed vix est, ut cuiquam amplius illum persuadere possimus. Et ego quoque meam missionem eò prorogari nolim, cum jam quadriennium frustra expectaverim. Verùm differam meum ad Regis literas responsum in proximam occasionem.

Loum Amicum nostrum convaluisse lætor, vel eam etiam ob causam, quod nemo melius solutionem tuam procurare possit, & ego quoque eandem, si quid potero, lubens adjuvabo.

Conjugem, si vestrum adventum longius differri senserit, hîc detinere non poterimus, cùm sacramentum, quo coligati estis, non in literarum communicatione, sed in corporum complexione consistere persuasum habet.

De his quæ in Galliis geruntur, vos per Legatum nostrum citius certiores fieri, nihil dubito; omnesque vicinæ Provinciæ, spe metuque ductæ, in diversas partes feruntur: Germani autem, etsi sectis sint addictiores, pecuniam tamen longe præferunt, nec longius eorum durabunt auxilia, quàm ea subministrabitur.

Literas quas per Walsingium XI. Novemb. dedisti, etsi postremæ fuerint, multo citius cæteris III. Decemb. accepimus, gavisique sumus, ex ejus relatione de vestra valetudine, nonnullisque aliis de rebus, plenius cognovisse.

(5) Abbas Sancti Petri Gandavensis VIII. hujus mensis die in fata concessit. Janseniusque designatus Episcopus, hac oblatione occasionis, sui rationem haberi postulat, & quidem ex ejus morte duo florenorum millia juxta Pontificis Bullam sibi accrevisse gaudet. Sed profecto aliquid adjici debet ad dignitatem tuendam, cùm æquum non sit, me vivum exspoliari; & servitia mea sperem præmium & accessionem magis, quàm detractionem promeruisse. Itaque Regiam Majestatem huic rei prospecturam omnino confido; si-

ve,

(5) *Abbas S. Petri*) in monte Blandinio Gandavi, *Franciscus Dauroult* alias *d'Helfaut*, obiit 8. Sept. 1567. juxta *Gall. Christ.* tom. 5. pag. 207. juxta apposita huic epistolæ datam, die 8. Decemb.

Digitized by Google

ve, ut ea Abbatia in Commendam illi detur, quoad ego vivam, sive ut ad duo millia pensio adjiciatur, qualem Abbas Sancti Adriani defuncto obtulerat, si ex resignatione eam dignitatem consequi potuisset. Proinde eum D. T. de meliore nota commendo, & eo magis, quod illic filium habeat collegam. Bene vale, CL. D HOPPERE, Bruxellæ XXII. Decemb. CIↃ IↃ LXVII.

EPISTOLA XLVI.

Assonvillius Ducissam Luxemburgum; Mansfeldius verò Parmam usque deducet, non obstante periculo Provinciæ, quod pluribus Cels. suæ beneficiis devinctus sit. Laudat Albanum a prudentia & mansuetudine, sed Vargæ imperium & rigor jam innotuit.

CL. D. HOPPERE. XXIV. hujus mensis misi per cursorem, per quem Illustrissima Ducissa itineri accincta postremum ad vos scribere decrevit, literarum fasciculum, cui pleræque à conjuge, ac familiaribus tuis junctæ fuere. Nunc vero admonitus, & Ducem quoque cursorem expedire, aliquid rursus scribendum duxi, jungendumque novissimarum literarum exemplar, ut, si quid forte priori eveniat in hac itinerum incertitudine, per istud suppleatur.

Assonvillius Ducissam Luxemburgum usque comitabitur; Mansfeldius (6) vero cum conjuge Parmam usque deducere eam constituit, quanquam tempore sane non satis convenienti, cùm Ducatus Luxemburgensis, ipsius Gubernationi commissus, sectariorum, rebelliumque, qui Galliam inquietant, ac Germanorum, qui eis opitulantur, periculis maximis sit expositus. Verùm pluribus ab Celsitudine Sua beneficiis devinctus, & aliorum spe pellectus, hoc officium non gravate suscepit. Cum autem proxime ad te scribam, aliquid fortassis significabo de successoris novo regimine, cujus

(6) *Mansfeldius*) Comes, Petrus Ernestus, Luxemburgi præfectus.

Digitized by Google

jus prudentiam ac manſuetudinem omnes venerantur: ſed imperium ac rigorem metuunt cujuſdam Vergaſi, qui apud eum multum poſſe, & neſcio quid aliud, dicitur; verùm ego hominem nondum vidi, & ſpero Ducem ſic numiſmata noſtra diſtincturum, ut mihi nihil cum eo rei futurum ſit. Decrevique non amplius me negotiis admiſcere, quàm Dux jubeat, atque ut principia perſpexero, ita reſponſum ad Regis literas attemperabo. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ. XXVIII. Decemb. CIↃ IↃ LXVII.

EPISTOLA XLVII.

De nepotum ſuorum in Hiſpania privatis rebus. De Catalogo prohibitorum librorum. Veniæ generalis formula concepta; cujus effectus differtur. Friſius ultimo ſupplicio affectus. Non contra hæreticos, ſed ſeditioſos dumtaxat, proceditur hactenus. Miſſio a ſe petita, fruſtra rejicitur in méliorem rerum ſucceſſum. In Conſilio Friſiæ loca vacantia.

NOviſſimis literis meis, pridie Natalis Domini datis, CL. D. HOPPERE, ſignificaram me tuas XXVII. Novemb. ac I. Decemb. ſcriptas accepiſſe. Interea vero nihil aliarum, quas poſt id tempus forſitan D. V. miſit, allatum ſcito.

Bravii abſentia imcommode nepotibus meis accidit, & cum aliquot diebus hinc etiam Theſaurarius Schetzius abfuerit, nec cambii literas, quas remiſſurum te ſcribis, adhuc receperim, ſuper mille ducentorum florenorum repetitione cum eo non egi. Maluiſſem vero à Bravio iſthic pecuniam numerari, quam hîc eam à Schetzio repetere: quicquid tamen de eo egeris, ratum gratumque habebo. Bucchoni autem ac Folcardo Montſimano laxiores habenas concedere cogor, cùm propter ætatem, tum vero etiam quod paulo uberiores illis ſint beneficiorum proventus, cùm Hectorem ac Folcardum Gerbrandi filium pene de meo alere cogar: quos ob id par-

Digitized by Google

parcius ſumptum facere deſidero. Decamanorumque mater numeroſa (ut ſcis) prole gravata, vereor ne ſumptibus ſe gravioribus affici ægrius ferat.

Mitto ad te reproborum atque hîc prohibitorum librorum Catalogum, (7) quem deſiderabas; junxique literarum exemplar, quos D. Tyletanus (8) ad me reſcripſit, unà cum iis quas ego eadem de re ad eum dederam. Cum Dux autem noſter reformationem multorum abuſuum hîc moliatur, forte & ipſe contra Bibliopolarum, Typographorumque quorundam dolos remedium aliquod adhibebit.

De juſtificatione præſtitiſſet fane jam dudum aliquid in publicùm editum fuiſſe, quo adverſariorum calumniæ impuriſſimaque mendacia confutata fuiſſent, cùm ea, nemine ex noſtra parte his contradicente, fidem favoremque facile apud rerum ignaros, nec bene affectos, obtinuerint. Doctorem autem à Riio ſimile aliquid adornaſſe intellexi, quod tamen hactenus mihi videre non contigit. Fratrum generi tui cauſam melius habituram non dubito, poſtquam Hogſtratanus, cui Joannes octo milliá florenorum promiſerat, è vivis (ut antea ad te ſcripſi) exceſſerit.

Gratiæ, veniæque generalis formulam jamdudum aliquam, jubente Duce, conceperam, idemque aliis mandatum fuiſſe in-

(7) *Catalogus*) Hujus exemplar unum teneo ex officina Chriſtophori Plantini, cui hic titulus: *Librorum prohibitorum Index, ex mandato Regiæ Catholicæ Majeſtatis, & illuſtriſſimi Ducis Albani; Conſiliique Regii Decreto confectus & editus.* Eſt autem tripartitus. 1. Ordine alphabetico exhibet *Auctorum nomina, quorum libri de Religione aliquid tractantes, impreſſi vel imprimendi; quovis titulo, nominis vel cognominis transmutatione, immutatione vel inverſione; & quavis lingua ſcripti, editi, tranſlati aut impreſſi fuerint, prohibentur.* 2. Eodem ordine recitantur *Certorum auctorum libri prohibiti.* 3. Proferuntur *Libri prohibiti ab incerti nominis auctoribus compoſiti.* Et hoc quidem exemplar in minima forma impreſſum præfert annum CIↃ IↃ LXIX. Poſteriores editiones, auctoritate ſeu mandato ut ſupra, factæ, auctiores ſunt, adjectis libris in lingua Belgica prohibitis, & appoſitis in fronte Regulis Concilii Tridentini, quarum exemplar aſſervatur in bibliotheca Eminent^mi Cardinalis Archiepiſcopi noſtri

(8) *D. Tyletanus.*) Judocus Raveſtyn S. T. Doctor Lovan.

Digitized by Google

intelligo; sed effectus ejus de die in diem procrastinatur, atque heri rursus de aliquot, qui Vilvordiæ detenti fuerunt, supplicium sumptum fuit, inter quos Frisius quidam nobilis fuit Gulielmus à Bonga, pro quo frustra multi interceserunt, cum vir minime malus esse videretur. [Interea autem, dum gratia differtur, hæreticis quoque Provincia non purgatur: cum contra eos tantum procedatur, qui seditiosum, scandalosumve aliquid commiserunt. Meo autem judicio, proposità resipiscentibus veniâ, hanc Religionum varietatem, libertatemque penitus excludere debebimus.] (9)

Quod D. V. meæ petitionis effectum in id tempus rejectum scribit, quo res meliorem habuerint successum, eum equidem jam multis annis frustra expectavi: sed postquam de Regis adventu omnes desperare ceperunt, vereor ego eum diem non venturum. In Consiliariorum Frisonicorum loca vacantia sex Senatus Frisiæ Duci nominavit, inter quos Haringum Andringa non comperi, atque de ejus idoneitate, Religionisque integritate, testimonium fide dignum ante omnia Dux requirit. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. pridie Cal. Jan. CIↃ IↃ LXVIII.

EPISTOLA XLVIII.

De bello per Ducem Albanum contra Principem Auraicensem confecto. Pars exercitus dimissa, pars Groningæ ac Daventriæ imposita. Prefectus novæ arcis Antverpiensis. Auxilia in Gallias missa. Multi ab Auraicensi dilabuntur. De Magistri Capellæ ad dignitates Ecclesiæ Insulensis surrogatione. Formula gratiæ a se concepta: de cujus effectu addubitat. Captivi Vilvordia Bruxellas adducti. Legatus in Angliam missus ob mercatorum pecunias ibi detentas.

CL. D. HOPPERE, Quod vos isthic de raritate literarum nostrarum conquerimini, id futurum satis cogitavimus, cum videlicet literæ à nobis scriptæ hîc aliquando multis hebdo-

(9) Quæ duobus hic uncinis, inclusa cernis, Gabbema omisit.

Digitized by Google

hebdomadis detinerentur, quæ tamen, si tandem ad vos allatæ fuerint, nos facilè apud vos excusabunt, motuque (quem de salute nostra concepisti) liberabunt; Deus enim propitius sine magno damno nostro, bello, sane periculosissimo, finem imposuit; quanquam nos, qui Bruxellis inermes hæsimus, non fuimus extra periculum, si Princeps non læva mens fuisset, transitoque flumine Mosa, cùm Ducem à tergo reliquisset, recta ad nos progressus fuisset. Illustrissimus autem Dux, ubi à persecutione hostis rediit, partem exercitus dimisit, reliquam vero per præsidia disposuit. Sex vexilla illorum, quos nos Walones vocamus, sub præfecto Roblio Domino à Billy Groningæ collocavit, totidem eorundem sub Mondrago (10) Daventriæ posuit, Sancium Avilam novæ arci Antverpiensi præfecit. Interea postulantibus Gallis, equitum peditumque bonum numerum in auxilium ipsis mittit. Auralcensis autem Princeps in Berensi Ducatu subsistere dicitur, dubius consilii quasnam partes secuturus sit, à quo interea multi dilabuntur, domumque redeunt, dum certa belli consilia, subsidiaque ad id sustinendum ipsi deesse conspiciunt. Gratias D. T. magnas ago, quod nepotes mei, qui apud Salamanticam degunt, tibi sint curæ quemadmodum ex literis tuis XXI. Novemb. scriptis affatim intellexi. Mallem autem, uti antea ad te scripsi, Bravium isthic exsolvere pecuniam, de qua ad eum Schetzius, quàm ut hîc à dicto Schetzio me repetere necesse sit. Postquam autem significas (11) Foukeros isthic habere suos procuratores, & cum eis mihi semper familiaritas benevolentiaque interesserit, nihil addubito, quin ipsi, in administranda nepotibus meis pecunia, lubenter mihi gratificabuntur: & nescio, an adhuc res eorum curet Christophorus Hermannus, cujus parens singulari benevolentia me semper fuit complexus, & ipse ejusque fratres, cùm adhuc in minori ætate agerent, me semper coluerunt. Itaque si is adhuc in Hispania agat, per literas officium ab eo petam, quod eum prompte mihi impensurum non dubito.

Pro

(10) *Mondrago*] lege: *Mondragonio*, cujus elogium apud Stradam lib. 8. p. mihi 457.

(11) *Foukeros*] lege: *Fuggeros*, de quibus in notis ad Vitam.

Digitized by Google

Pro Magistro Capellæ, uti Rex jussit, & Tua D. etiam petiit, literas surrogationis ad dignitates Insulenses Ecclesiæ expediri curavi. Verùm executoriales ex urbe ab Rever. & Illustrissimo Cardinali Granvellano petendæ expectandæque sunt. Arbitror ejus indulti vigore facile eum, post tantum tempus, quo Decanatus vacavit, & ab alio possessio accepta fuit, illum potiturum, cum regulariter unius mensis spatium a morte prædecessoris acceptare debuisset. Verumtamen hæc surrogatio ei prodesse poterit, si vel eundem Decanatum, vel aliam dignitatem in eadem Ecclesia vacare contingeret.

Ego quam jubente Illustrissimo Duce formulam gratiæ concepi, eidem petenti nuper tradidi, cujus ad D. Tuam exemplar cum his mitto; sed adhuc parum spei video, ut ejus fructum brevi percipere liceat, cum quotidie plures accumulentur processus, & quidam susurrent adversus civitates ac Respub. nonnullas accusationem antea instituendam esse, eamque, quam ego concepi formulam, una cum his, quæ ab aliis in eodem genere suggesta sunt, ad Regem isthuc ducant esse mittenda. Veremur autem, ne tanta incrà multos à pristino affectu totos alienos reddat, neve aliquid alibunde suboriatur, quod gratiam indulgentiæ diminuat. Si quid autem acciderit, illud D. Tuam rogo, ut communem Patriam commendatam habeat. Pensionarii cum Advocato Hollandiæ & reliquis captivis triginta, qui apud Vilvordiam diu detenti fuerunt, huc sunt perducti, veremurque ne tempus gratiæ non attingant: absolutionem verò vix sperare licet, cùm vix aliquem hactenus, qui carcere mancipatus fuerat, liberatum dimissumve inde viderimus.

Opinor vos isthic audisse quid turbæ nobis cum Anglis ob detentas mercatorum pecunias (12) obortum sit, qua de causa Assonvillius noster in Angliam legatus est, ut Reginæ mentem propius exploret, pacemne an bellum velit, ad quod eam Condacensis, Auraicensisque, quique utrique adhærent, omnibus viribus studiisque incitant: at quamquam eodem sexus temeritas eam impellit, metus tamen atque periculum com-

(12) *Pecunias*] V. Stradam. lib. 7. ad an. 1569. mihi p. 419.

Digitized by Google

commune; ac quod ſuis non ſatis fidat, ut ſpero, inde ſe-trahet. Conjugem familiamque tuam hîc expectamus, ubi glacies pluviæque aliquantulum defluxerint: intelligimus autem omnes ſalvos & incolumes eſſe. Bene Vale. XVIII.

EPISTOLA XLIX.

Supplicium ſumptum de 55. apud Valencenas. Dux de gratiæ conceſſione deliberare cœpit, cui formula a Viglio concepta quia non placuit, eam ab Hoppero ſecretam ſervari vult. Carceribus purgandis & confiſcationum compendiis promovendis ſtudetur, ſine regiarum tamen facultatum redintegratione. De nova Conſiliorum forma Dux cogitat.

PRidie. Calend. Januarii CL. D. HOPPERE, ac rurſus XIIII. atque XVIII. die ejuſdem menſis ad te aliquid literarum dedi; abs te vero noviſſime eas accepi, quas XXI. menſis Novembris ad nos perſcripſiſti; ac poſtea nihil hîc magnopere ſcitu dignum accidit, niſi quod paſſim adhuc ſupplicium de captivis ſumatur. Atque ante paucos dies rurſus quinquaginta quinque apud Valencenas capite truncati ſunt: atque ii, qui ex Vilvordia huc ſunt adducti, eundem exſpectant exitum. Cœpit tamen nuper Illuſtriſſimus Dux de veniæ, gratiæque conceſſione aliquid in deliberationem ponere, & Regiæ Majeſtati antea, quod viſum fuerit, mittere decrevit. Cùm vero, quod ego conceperam, non per omnia eidem placuerit, rogatum te habeo, ut exemplum ejus, quod nuper ad te miſi, ſecreto conſerves. Nolim enim eum intelligere, me ſeparatim quidquam ejus generis ad te miſiſſe. Interea vero ii, qui criminalibus judiciis præſunt, operam dare videntur, ut carceres expurgent, confiſcationumque compendia promoveant, quæ tamen non tanta fore exiſtimo, ut petentium votis ſatisfactura ſint; æquitasque expoſceret, ut graviſſimorum ſumtuum, quibus Regiæ facultates conſumuntur, ratio haberetur, redintegrareturque ejus patrimonium undique attritum.

(13) Va-

Digitized by Google

(13) Vaſtelium Conſiliarium Mechlinienſem hiſce diebus amiſimus, atque in ejus locum ſurrogari petit Bieſius. Admoneo aliquando Ducem, ut de proviſione officii Cancellarii Gelriæ, Advocatus ac Præſidis Trajectenſis aliquid ſtatuat, ac ad Regem perſcribat. Sed ipſe de nova aliqua Conſiliorum forma proponenda, aut vetere reformanda ſubinde cogitare videtur. At verendum eſt, ne, ſi incautius veteris ædificii demolitio tentetur, in novo ſtabiliendo, operis, laborisque plus ſibi adſciſcat, quàm exiſtimet.

Ab Conjuge D. V. hiſce hebdomadis nihil audivimus, quod nuntiis, propter glaciem, aërisque intemperiem, ultro citroque commeare non licuerit. Germani graviter nobis minantur, niſi vos iſthic ad Archiducis mandata benigne reſpondeatis. Auraicenſisque Princeps, qui aliquamdiu apud Warrum ſubſtitit, in Burgundiam tendere dicitur. Utinam aliquando nos propitius DEUS reſpiciat, atque his malis, levet. Vale, CL. D. HOPPERE, Bruxellæ. XXVIII. Januar. CIↃ IↃ LXVIII.

EPISTOLA L.

De legatione Archiducis in Hiſpaniam. Princeps Auraicenſis non timetur amplius. De juſtificatione ſententiæ contra eum latæ. Doctor a Ryo & Vargas quo loco apud Albanum? De Nepotibus Wibrando ac Folcardo, & de Hopperi uxore, aliisque rebus privatis. Aſſonvillius in Angliam miſſus, regiusque ibi orator cuſtodiæ traditi. De Janſenii Gandenſis lucubrationibus. De præpoſitura S. Bavonis ſervanda. Quis ejus valor annuus?

LIteras tuas, HOPPERE CL. VIII. Januarii ſcriptas, prima hujus menſis die accepi, interea quoque noſtras

D. T.

(13) *Vaſtelius*] *Jacobus Waſteel*, cui non *Livinus Bieſe*, ſed *Joannes Richardotus* ſucceſſit, qui poſtea Artheſiæ ac demum Conſilii privati præſes fuit.

Digitized by Google

D. T. redditas esse spero. Causas legationis Illustrissimi Archiducis si non aliæ fuerint, quam literæ eæ continent, jam antea ex Chantonejo (14) aeque ipsomet Imperatore cognovimus: quas Dux noster, dum bellica expeditione occuparetur, ad me transmisit, ut, quid mihi de iis videtur, significarem: intelligoque id, quod tunc conceperam, in Hispanicam fuisse linguam versum, aeque ad Regem illuc missum. Sunt autem in Germania seditiosi quidam spiritus, qui hoc dant operam, ut ceteros adversus nos excitent, multique non voluntate, sed metu ad illorum partes declinant. Verum, si ad aliquod adhuc tempus subsistere poterimus, omnes hæ nebulæ, uti spero, dispergentur.

Ad nos autem non venere ii legati, quos eodem tempore (quo Archidux in Hispaniam proficiscebatur) ad Illustrissimum Ducem Imperator destinarat. Ac Princeps Auraicensis non amplius à nostris metuitur, sed suorum potius odium incurrit, dum exercitum in Germaniam reduxit inopia, inedia, morbisque pene consumptum: ac ipsis, ad quos divertit, valde ingratus gravisque exstitit, dum sub spe stipendiorum persolvendorum (quod efficere non potuit) diutius apud eos hæsit.

De Apologia contra ejus libellos, cujus in literis meministi, nihil hic intelligere potui. Verùm Doctor à Ryo unà cum Varga quædam pro justificatione sententiæ contra Auraicensem conscripsit, quæ forte prælo brevi committentur, & ut tibi in aurem dicam, palato meo non valde satisfaciunt. Verùm Minervam sus docere non debeo, præsertim cum ea Ducis de ipsis sit opinio, ut rectum non credat, quod non ipsorum trutina sit expensum. Nec scio, quam grate ei sit futurum, si de querelis nostratium eum admoneas, vereorque ne illos in suspicionem malamque ejus gratiam adducas.

Bibliothecarum, quarum in literis tuis meministi, inventaria confici curabo, verum cum quædam ex iis satis prolixa sint, tempore indigent.

De eulogio, commendationeque Ducis merito tecum gaudeo, nobisque serio aliquando gratulabor, si iis Regiæ Majestatis liberalitas incitari queat. Quem

(14) *Chantonejus*] Thomas Perenottus, Cardinalis Granvellani frater, Philippi II. in Gallia legatus.

Digitized by Google

Quem tu Folcardum esse credidisti, alius est, frater eo major, Vibrandus nomine, qui vicesimum vix attigit annum, ac in juris Civilis studio tantum, Leonino (15) teste, profecit, ut inter ejus discipulos primas teneat: quem ego Licentiatum post Pascha factum Dolam mittere decrevi, quò ibi & linguam Gallicam addiscat, & jura publice privatimve profiteri incipiat. Folcardus autem ejus frater ante biennium quoque Licentiatus factus & in ecclesia Atrebatensi Canonicus, ibidem residens, sacrisque sua sponte dedicatus, sacerdotalem ordinem quadragesimæ proximæ assumere decrevit. Conjunx tua unà cum familia huc jam dudum redire decreverat, sed hyemis rigora, incassoque frigore, & glacie prohibita hactenus fuit; &, rebus terra marique turbatis, non video, quodnam illa iter tuto ingredi possit. Si tamen aliqua securitatis spes affulgeat, horabimur lubenter, ut seipsam atque te desiderii compotem faciat. Maurificorum motus spero vos isthic facile compescituros.

Quod in meo privato negotio omnem mihi quodammodo spem præcidas, non possum non hercle dolere. Verùm, quod hac non successit via, alia tentandum est. Nicolaus meus, ad Patriam dudum reversus, de matrimonio cogitat, ac Adriano meo officium cessit, qui si illud retinere non voluit, Lambertum tuum lubenter præferri curabo.

Bellum Danicum cum Rege Suetiæ compositum ajunt. Cum Anglis nobis res adhuc dubiæ sunt, ac Assonvillius ea legatus hactenus impetrare non potuit, ut ad Reginam ipsam mandata sua perferret, Regisque Orator, atque ipse custodibus traditi sunt: verùm muliebres iræ non diu durare solent, & ipsos Anglos, minus nostro, quàm nos ipsorum commercio carere diu posse putamus. Hac autem occasione, quæ à D. de Wackene D. T. olim super re maritima concepta, sub incudem revocavimus, & si res adversus Anglos in bellum forsitan erumpet, conveniret Regem de Admirali officio cæterisque tempestive providere.

Ve-

(15) *Leonino*] Elbertus Leoninus vulgo de Leeuw J. U. D. & professor Lovanii. Obiit an. 1598. Geldriæ Cancellarius pro fœderatis Ordinibus, quorum partes secutus est. *V. Fast. Acad. & Bibl. Belg. Val. Andreæ.*

Digitized by Google

Veterem Tolenſis Magiſtratus adverſus Decanum Paſchaſium controverſiam Illuſtriſſimus Dux Conſilio, quod vulgò turbarum vocant, commiſit.

Reverendiſſimus Janſenius Epiſcopus Gandenſis, nuper rurſus Paraphraſin in Pſalmos Davidicos edidit, ac Commentarios etiam in Eccleſiaſticum prælo parat. Exemplaria autem in Proverbia ac Pſalmos tibi deſtinata, apud me ſunt, quæ cum conjugis tuæ ſupellectile iſthuc mittam, cùm veredarii illa ad vos ferre recuſent. Cùm huc ad me, ut nonnullis de rebus una communicaremus, ille divertiſſet, occaſione oblata, de quibusdam, quæ ad decorem Eccleſiæ noſtræ pertinerent, contulimus, ac inter cætera conſiderantes titulum dignitatemque, quam ego in Eccleſia Sancti Bavonis gero, facili ratione poſſe retineri: ut videlicet cedentibus poſt mortem meam Præpoſituræ bonis, quæ in ſingulos annos una cum his, quæ ab Abbatia Sancti Petri illis adjecta ſunt, ad duodecim millia florenorum aſcendent, duas Præbendas ex quatuor, id eſt, octingentos florenos futuro Præpoſito relinquat: cùm Pontificis Regiſque intentio non fuiſſe videatur, ut amplius quàm unam Præbendam, per quam Capitularis efficeretur, obtineret. Lubenterque ſibi Epiſcopus tantillum decedere contentus eſt, qui pene duplo opimiorem dotem, quàm cæteri Epiſcopi, ſit habiturus, & meâ induſtriâ, nec exiguo ſane ſumptu, omnia ædificia reparata egregieque inſtructa. Cum autem omnes Epiſcopatus veteres videlicet Cameracenſis, Leodienſis, Atrebatenſis, Trajectenſis, ac Tornacenſis, hanc Præpoſiti dignitatem, primam poſt Epiſcopalem, in ſuis Eccleſiis habeant, ignominioſumque mihi videatur, primum me ac ultimum haberi Præpoſitum, dignitatemque in me cœptam itidem morte mea extingui, ſupplicandum duximus & Regiæ Majeſtati & Sedi Apoſtolicæ, ut eam remanere ſinant. Neque ullius in hoc vertitur præjudicium: cùm Epiſcopus lubenter conſenſerit, neque ad Capitulum aliquo modo ea res pertineat; habebitque Rex dignitatem magis honorabilem, in qua jure indulti ſui uti queat. Quamobrem quæſo, ut D. V. hanc rem Majeſtati Regiæ exponere non gravetur, ejusque conſenſum deſuper petere, literas commendatitias ad Sedem Apoſtolicam

Digitized by Google

cam concedere, prout ea omnia, ex instrumento (17) hisce adjuncto, plenius D. V. intelligere poterit. Hisce non aliud addam, quàm quod D. V. omnia fausta ac fælicia precor. Bruxellæ. XVIII. Febr. CIↃ IↃ LXVIII.

EPISTOLA LI.

De Nepotibus in Academia Salmanticensi degentibus, deque ipsorum re pecuniaria. De fratris filio familiæ alicujus Magnatis inserendo. De Archiducis Caroli legatione. Imperio nihil amplius juris in Belgas permittendum. Veniæ formula absoluta, ad Regem missa. Viglius semper mitiora suadens. De Principe Auraicensi, rebusque Gallicis. Generales Belgii Status convocati.

TErnas literas tuas, CL. D. HOPPERE, eodem die, hoc est, VI. Febr. scriptas, XXI. ejusdem accepi; ac cum his fasciculos ex Salamantica ad te missos. Quas autem eodem tempore ad conjugem dederas, per D. Albertum van Loo ad eam perferri curavi, ac nunc abeunte (uti speramus) hyeme, intra unam alteramve hebdomadam ipsam hîc adfore arbitramur. Salamantices nostri omnes se pecunia valde indigere scribunt, & si per Bravium mille ducenti floreni numerati fuissent, hac angustia solicitudineque carere potuissent: quanquam jam eum ad vos rediisse, ac per D. V. literis eum interpellatum putem, ut fidem juxta Schetzii mandatum complere velit, aut, ut mihi mature significes, rogo, per quem alium pecuniam curare ad eos possim, de quo & antea D. T. diligenter rogavi, ac si per Fockeros id fieri posse putatis, facilis deinceps nobis via erit. Videbis etiam ex exemplo literarum Sixti à Dekama, quid ille conqueratur, & cùm se ad matrem causas plenius scripsisse dicat, vereor, ne illa plus satis sit sollicita, meumque consilium, quo illi hanc profectionem suasi, inculpet. Quamobrem te nobis tuum

(17) *Instrumentum*] V. in not. ad. N. 8. Testam.

Digitized by Google

tuum consilium impertiri velim: an potius cum fratre Complutum sit ablegandus, ubi cœlum amœnius esse, & tibi quoque eos magis vicinos fore, intelligo; aut, si neque ibi manere volet, bonis avibus in Italiam transeat, nosque sua sollicitudine liberet. Illum vero puto ea jam ætate esse, ut suæ vitæ modum servare sciat: atque in studiis suis persequendis privato præceptore non indigeat. Sed cum frater minor Franciscus forsitan Magistro ac Rectore opus habebit, dispicere te velim, quid de eo fieri conveniat.

Vereorque & ego, ne fratris mei Gerbrandi filius in literarum studiis multum proficiat, & satis intelligo non omnes excellentes Doctores fieri posse. Quamobrem, si commode isthic familiæ alicujus Magnatis inseri posset, id mihi non minus gratum esset, quàm in aliqua Academia tempus consumere. Est juvenis statura non indecenti & indole bona, quique, te suasore, omnia facturus lubenter erit, quæ ingenuum adolescentem decent. Cogitavi autem aliquando, anne posset commendari D. Baroni à Dietrickstein, ut in Archiducum servitium reciperetur; seu D. Ludovico à Quiczada apud Illustrissimum Dominum Joannem ab Austria, vel si aliam meliorem conditionem excogitare poteris, in ea velim, ut nos adjuves. Ego pro vestitu cæterisque necessariis lubenter ducentos trecentosve florenos erogare in singulos annos non detrectabo, modò eo loco sit, quo eum putabis aliquem fructum experientiamque rerum facturum.

Scribo duntaxat impræsentiarum ad M. Buchonem, studiose differens aliorum literis respondere, donec de re pecuniaria per D. T. certior redditus fuero.

In Archiducis (18) Caroli legationis successu multi oculos intentos habent, & gravia, nisi Rex juxta Imperatoris vota responderit, nobis minantur. Verùm ego in Religione nihil ipsis concedendum puto, multo verò minus quicquam Imperio ampius juris in nos permittendum, ne illius obtentu ea jubeant, quæ Religionem Rempublicamque nostram labefactare valeant. Venise

(18) Hic Archidux Carolus Ferdinandi I. Imp. filius fuit, frater Maximiliani II. Imp. Porro apud Philippum Regem effecit nihil. De ejus legatione & rebus apud Philippum gestis loquitur *Greg. Leti. Hist. de Philippe II. liv. XXI.*

Digitized by Google

Veniæ gratiæque formulam tandem Dux absolvit, atque ad Regem, per hunc (uti reor) cursorem mittit, quò eam, si visum fuerit, approbet. Ea vero formula, quæ ab his, qui eas causas tractant, concepta erat, si edita fuisset, exceptiones innumeræ illam pene illusoriam reddidissent. Et subinde vereor, ne, ut hîc apud authores, quando non omnia mihi probentur, non bene audiam, sic apud Præsidem Cardinalem (19) vestrum, sinistri aliquid ab eis de me scribatur: sed Regi ipsi integritatem meam satis perspectam esse confido. Et si quid ego mitius consuluero, ad id me Regis honor, ac apud DEUM meritum, commiseratioque Reip. quam ad tranquillitatem ac Catholicam Religionem reductam velim, potissimum impellunt: teque patronum in hoc, si opus erit, exhibere velim. Intempestive Maurorum apud vos motus oboriuntur, cùm undique satis negotii Majestati suæ excitetur. Et miror Hispaniæ Reges tamdiu istum serpentem in sinu foviisse.

Princeps Auraicensis Argentinæ esse dicitur, verùm parvam argenti conficiendi spem ibidem invenit, ut militibus per vicinos pagos dispersis, stipendia persolvat, ideoque illi paulatim diffluere feruntur. Verùm alter exsurrexit ex ducibus Bavariæ, qui à Comitatu Geminipontis cognominatur, qui novas copias illic pro Condacensi jampridem colligere satagit. Verum Galli exercitum in Lotharingia contrahentes repulsuri eum videntur, eisque Mansfeldius cum copiis aliquot nostris auxiliaribus conjungere (assentiente ita Duce ad preces Francorum Regis) decrevit.

Idem Dux ad xx. diem Martii proximi Generales Status hujus Provinciæ huc convocavit, media quædam rei pecuniariæ colligendæ propositurus: quæ, uti nova videbuntur, sic

(19) Is erat *Didacus* Cardinalis *Spinosa*, de quo *V. Stradam.*, & *Ciacconium*, *tom.* 3. *col.* 1031. *Præsidentem Castellæ* vocant Hispani summum, quem ille gessit, magistratum. Porro Regi Philippo, uti fidus, ita quoque percharus fuit; de quo refertur, quod, cum post Cardinalis obitum, per vicum in quo Didaci corpus jacet, transiret, filio, qui aderat, sic effatus sit: *Hic jacet ministrorum, quos habui, optimus.* Obiit autem 5. Sept. 1572. ætat. 70. Plura dabit *Ciacçon. cit.*

Digitized by Google

sic forsitan difficulter eis Provinciales assentientur, sed nihilominus tentare visum fuit. Orandus autem est DEUS ut fælicem largiatur successum. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ. XXVI. Febr. CIↃ IↃ LXVIII.

Cum Dominus Tyletanus hisce diebus ad me miserit libellum, continentem nomina novorum librorum, qui Francofordiæ in nundinis autumnalibus prostiterunt, eundem ad te mitti petiit, quò Inquisitoribus isthic exhibere posses, rationemque commonstrares, qua cognosci poterit, qui ex Catholicorum hæreticorumve officinis prodeant, ut ex ejus literis libelloque juncto D. T. plenius intelligere poterit.

EPISTOLA LII.

De re pecuniaria nepotum suorum in Hispania degentium.

CL. D. HOPPERE, Mercator, per quem te mihi scripsisse literis VI. Februarii datis significasti, nondum appulit, aut certe illas mihi nondum reddidit. Verùm post novissimas meas ad te literas quidam cum literis cambii, mense Novemb. subscriptis ad me venit, CIↃ cc. florenos exigens, quos in Buchonis nepotis mei usus acceperis. Cùm vero nullas literas, quibus de eo admonerer, abs te adferret, neque ad Bravium ab Schetzio datæ literæ cambii remissæ fuerint, & nepos meus quatuor duntaxat regalium millia mense Novembri abs te accepisse scribat, fui nonnihil perplexus, quid facere deberem: tandem autem eum, qui pecuniam exigebat, rogabam, ut tantisper dilationem solutionis concederet, donec literas tuas acciperem. Quamobrem rogo, ut certiorem me facias, si à Bravio nihil sit adhuc acceptum, ac si nihil brevi accepturum te speres, ut cambii literas ad me remittas, quò pecuniam meam repetere possim, & si mercatori, qui mihi tuas literas obtulit, solvere jubeas, id literis tuis mihi significare non graveris. Incommode enim ea res nepotibus meis accidit, & mihi quoque satis cogitare potes molestum esse tria florenorum millia in octo mensibus pro

Digitized by Google

pro nepotibus Salamanticæ agentibus expendere debere. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ. Cal. Martii. CIↃ IↃ LXVIII.

EPISTOLA LIII.

De Hopperi uxore in Hiſpaniam ad maritum profectura. Conſiliarii duo Brabantini, & Abbatiſſa Nivellenſis, ſeculo defuncti. Librorum inventaria mittit.

CL. D. HOPPERE, quas ſuperioribus diebus ad te dedi literas, vereor, ne tardius ad te perveniant, licet eas Courtevillio, magiſtroque curſorum tempeſtive tradiderim. Quod autem illis adjiciam non multum erit, niſi, ut tibi ſignificem, uxorem familiamque tuam nondum huc ex Hollandia rediiſſe, & niſi nobis major affulgeat ſerenitas, non ſatis video, quomodo tuum, ipſiusque deſiderium adimpleri queat, tuæque moræ imputa, quod illi non citius ad te venire permiſeris. Quin & ipſe non ſatis me apud eam excuſare poſſum, quod diſſuaſerim, ne te in Hiſpaniam proficiſcentem comitaretur; verùm eam quoquomodo, ubi advenerit, placabimus. Mari certe parum tutum eſt iſthuc proficiſci, cùm Condaici Anglique omnia diripiant, &, vixdum bello Geuſianorum confecto, neſcio quo fato, præter opinionem Anglos videmur habituri hoſtes, qui tantùm argenti, merciumque ex noſtris navibus ex Hiſpania advenientibus diripuerunt, ut noſtro ſumptu bellum adverſùm nos gerere poſſe arbitrentur, niſi Regiæ Majeſtatis authoritas Reginam inſoleſcentem ad ſaniora conſilia reducat.

Ante duos dies Franciſcum Pariſium, (20) Nopenumque

(20) *Franciſcus Pariſius*] vulgò *De Paris*, renunciatus fuit Conſiliarius circa annum 1541. atque adeo Carolo V. & Philippo II. in Senatu Brabantiæ a conſiliis fuit. Conjugem habuit *Mariam van Eesbeke*, Vulgò *van der Hagben*, ex qua prolem reliquit. *V. Theatre Sacré de Brabant Tom.* I. *p.* 213.

Digitized by Google

que (21) Consiliarios Brabantiæ, ac Abbatissam Nivellensem (22) amisimus; verùm, ne alios quoque Martius hic nobis auferat, metuimus.

Inventarium librorum cùm Bibliothecæ Regiæ, quæ meæ custodiæ relicta fuit, tum illorum quoque, quorum Damantius socer meus curam habuit, ad te nunc mitto. Cætera vero, ubi descripta fuerint, subsequentur. Bene vale, CL. D. HOPPERE Bruxellæ. VII. Martii. CIↃ IↃ LXVIII.

EPISTOLA LIV.

De rebus privatis, ac de Hopperi uxore. De missione sua. De veniæ formula immutata. De causa Tsommonis Rollema. Mittit Regiæ, ac Tongerloënsis bibliothecæ inventaria. Assonvillius ex Anglia redux.

LIteras meas, CL. D. HOPPERE, XXVIII. Januarii scriptas, una cum præcedentibus te accepisse multum gau-

(21) *Noppenus*] Theodoricus, Sylvæducensis, olim Lovanii primus in Scholis Artium e pædagogio Porcensi anno 1518. dein Jurium Doctor renunciatus in Academia Aurelianensi apud Gallos. Anno demum 1548. Consiliarius Brabantiæ. In libro epitaphiorum Brabantiæ, quod est apud collegam J. F. Foppens, refertur ejus elogium quod fuit in Ecclesia Collegiata D. Gudulæ Bruxellis: *Hic situs est D. Theodoricus Noppenus a Buscoducis, dum vixit clarissimus & præstantissimus jurisconsultus, utrtusque juris Doctor, olim juris Civilis summus Professor in Academia Aurelianensi annos plus minus XIII. dein annos XX. & amplius Consiliarius Senatus Brabantiæ. Mortuus die quinta Mensis Martii* 1565. *Stylo Brabantiæ.* Dies & mensis concordant cum *Viglio*, annus obitus non item. Sed liber epitaphiorum (oscitanter, ut reor, conscriptus) sæpe errat in numeris.

(22) *Abbatissa Nivellensis*] Margareta, aliàs Anna de Noyelles inquit auctor *Gall. Christ. Tom.* 3. *pag.* 579. Sed *Le Roy* in Gallo-Brabantia, & *a Ryckel* in Vita S. Gertrudis, *Annam* nominant. J. F. Foppens habet M. S. Gallicum vetustum de Abbatissis Nivellensibus in quo appellatur *Margareta*, quod ipse decretorium putat.

Digitized by Google

gaudeo. Ego autem ad te ternas post id tempus rursus literas dedi, XVIII. Febr. ac I. septimoque hujus mensis die scriptas, quas itidem te accepisse spero.

De nepotum meorum pecuniario negotio jam dudum aliquid rescire desidero, an videlicet à Bravio pecuniam pro illis acceperis, an vero tua sententia sit, ut mercatori, qui secundas literas cambii de mille ducentis florenis mihi obtulit, persolvere debeam, cùm primas non acceperim, per quas forsitan eas, quas Schetzius Thesaurarius ad dictum Bravium dederat, remiseris. Fouckerorum autem procurator, qui Antverpiæ habitat, operam suam mihi obtulit in transcribenda ea, qua opus erit nepotibus meis, pecunia; ac Christophorus Hermannus, qui isthic agit, ob antiquam cum ipsius parente amicitiam, lubenter quoque hac in re mihi meisque gratificabitur; tantùm tuum in eo exspecto responsum, consiliumque.

Decamañorum mater, affinesque ad te illosque dirigendas literas (quæ hisce inclusæ sunt) ad me dederunt. Animadverto autem Sixtum ipsis nonnullam injecisse sollicitudinem, quod & Salamanticam suæ valetudini adversam se experiri; nullumque ibi studiorum fructum facere posse scripserit, quod vereor ex affectu magis, quam judicio processisse. Verùm ad te superioribus literis perscripsi, quid de eo mihi faciendum videatur, & fortassis maternis obsequetur monitis, deque Italia adeunda consilium mutabit, præsertim cum intellexerit non eamdem ibi mihi esse procurandæ pecuniæ facilitatem, quæ est in Hispania. Tu autem ne graveris, quæso, quam primum aliquid tui nobis consilii impertiri, & de quanta pecunia, quaque via, ipsis aliisque nepotibus providendum existimes, significare.

Conjunx tua superiore hebdomada ad nos valde oportuna rediit, ut celebritati primitiarum nepotis mei M. Folcardi intereesset, cœpimusque meliorem ei de securitate itineris Hispanici spem facere, ubi Condacensem Principem cæsum, ac insigni victoria Andegavensem Ducem (23) potitum intellexi-

(23) Andegavensis Dux, qui postea Henricus III. Galliæ, ac ante Poloniæ Rex. De hac victoria vide, si lubet, *Maimbourg Hist. du Calvin. liv.* 6.

Digitized by Google

telleximus. Jucundiſſimum mihi fuit, quod de meo negotio proximis literis D. V. renuntiavit, ac DEUM precor, ut ad deſideratum finem id perducat; priuſquam autem tuas literas accepiſſem, per amicum quendam, Ducem de diutino meo deſiderio ſubmoneri curavi, qui penitus eo intellecto ſe quoque aliquid ad Regem perſcripturum eſt pollicitus. Itaque omnino confido, ut ſi dextre negotium hoc D. V. Regi proponat, voti me compotem ſit redditura. Spero quoque eadem ratione, Tyſenachio conſultum iri, ac utriuſque poſtulationi uno beneficio Majeſtatem ſuam ſatisfacturam.

Arbitror veniæ formulam jampridem ab Duce tranſmiſſam eſſe, ex qua colliges, quæ hîc ex quorundam ſententia commutata ſint: ac mihi quidem ſuſpectum fuit, quod de iis, qui Magiſtratum geſſerunt geruntve, excipiendis, additum fuerat: quod, quo tendat, exemplo Tſommonis Rollema cognati tui edocti ſumus, quem hebdomada ſuperiore captum, atque huc ſub cuſtodia adductum dolenter ſane cognovimus. Et hactenus quidem cauſam percipere non potuimus; confeſtim autem ejus officium mercatori cuidam Hiſpano apud Middelburgum agenti, dum ille detinetur, commiſſum fuit: cum quo Tſommoni inimicitiæ rixæve aliquid interceſſiſſe audio, qui, an aliquid ad eos, qui hæc judicia exercent, detulerit, aut ſi aliunde malum hoc ei ſtructum fuerit, cum tempore ſciemus. Eadem de re Bontium ad te aliquid ſcribere arbitror, cujus literas hiſce junxi.

Inventaria aliquot librorum ad te rurſus mitto, cùm eorum, qui Regiæ Bibliothecæ per me adjecti ſunt, tum verò eorum, qui in Tongerloënſi Bibliotheca exſtant, quorum catalogus ab Monacho, non ſatis perito, deſcriptus, mendis non caret.

Aſſonvillius re infecta ex Anglia rediit: ſperamus autem morte Condacenſis, ac Gallica victoria Reginam nobis paulo mitiorem exſtituram, ac Ducem Gemini-pontis, cæteroſque, qui ad Rhenum jampridem ſuas copias jungere ſatagebant, eo nuntio ab incepto deſtituros. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ. XXVIII. Martii. CIↃ IↃ LXVIII. Ante Paſcha.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA LV.

Tſommo Rollema in carcere Brúxellenſi, de quo Viglii inimici in ſinu rident. Namurcenſis Penſionarius ultimo ſupplicio plexus. Advocatus Hollandiæ in carcere mortuus. De Univerſitate Lovanienſi. Viduam Theſaurarii Boiſoti commendat. De originali Confeſſione Auguſtana.

ANte quatriduum, CL. D HOPPERE, dedi M. Poſtarum faſciculum literarum ad te tranſmittendum. Quoniam autem intellexi, nondum abiviſſe curſorem, hoc epiſtolium adjiciam. De accuſationibus adverſus Tſommonem nihil adhuc licuit intelligere. Traditus autem cuſtodiæ in porta. (24) Treurenburgh; ita arcte ibidem conſervatur, ut nemini ad eum pateat acceſſus. Vereor autem, ne ipſius libertas forſitan nonnullos Eccleſiaſtici ordinis offenderit: & inprimis Strium Vicarium, cujus querulum, acerbumque ingenium noſti. Et ut plerique amici ejus caſum dolent, ſic non deſunt malevoli, qui, quod ille te, meque, ſeu cognatos ſeu patronos vocare ſolet, in ſinu rident. Spero tamen, ſi apud æquos judices cauſa agetur, actionum ſuarum probe eum rationem redditurum.

Namurcenſis Penſionarius, Namurcum nuper remiſſus, ultimo ibi ſupplicio plexus eſt. Hollandiæ autem Advocatus Eindius in carcere hîc vitam finivit: verùm adverſus viduam ac liberos proceſſus reſumitur, id, quod cæteris captivis metum quoque incutit.

Placuit Illuſtriſſimo Duci ad Regem transmittere Univerſitatis Lovanienſis reſponſum ſuper diligentia Profeſſorum. Et quia aliquid explicatius de D. Hunneo Tyletanus ad me ſcripſit, viſum mihi fuit non abs re me facturum, ſi literarum ejus articulum hiſce adjungerem.

Vi-

(24) Quæ eſt in oppido Bruxellenſi inter eccleſiam D. Gudulæ, & Viridarium Aulæ, in quo nutriuntur Damæ. Vulgò. *Le parc de Bruxelles.*

Digitized by Google

(25) Vidua quondam Thesaurarii Boisoti, Domini Tysenachii soror ornatissima matrona, ante biduun extremum diem clausit, quæ ob filii majoris, Orangii partes secuti, condemnationem, tristitia, Melancholiaque plus satis affecta, accedente quoque non sano medicorum consilio, in desperatam valetudinem inciderat: cujus casum Dominum Tysenachium ejusque uxorem, uti par est, ægre laturos non dubito, verùm humana humanitus sapientes ferre decet.

Præses Frisiæ, cui nuper D. V. pensionem procuravit, ea est valetudine, ut non diu ea fruiturus videatur.

Illustrissimus Dux à me hisce diebus nomine Regis petiit Originalem Confessionem (26) Augustanam, anno CIↃ IↃ XXX. Cæsari oblatam, quæ meæ custodiæ ac Archivo tradita erat, dignaque omnino est, ut servetur, quò hæretici, qui postea multa ei asperserunt, malitiæ suæ convincantur. Bruxellæ. Calend. April. CIↃ IↃ LXVIII. ante Pascha.

EPISTOLA LVI.

Queritur invideri sibi Hopperoque voluptatem familiarium litterarum. Timet a Germanis qui in Gallia militatum ierant, uti & a proceribus, exulibusque Belgis. Sperat a prudentia Albani modò pecunia non desit. Queritur omnium animos in suspen-

(25) *Catharina Boisot, Petri* filia nupsit *Carolo Tisnacquio* præfidi, (post *Viglium*) Consilii privati; & ipse *Petrus* Consiliarius, & postea Thesaurarius Generalis Ærarii Regii duxit N. fororem *Caroli*. Ordinum partes secuti sunt *Boisoti* plures: *Carolus* Zelandiæ. & *Ludovicus* Hollandici maris, pro *Orangio*, præfecti. De quibus apud *Stradam & historicos* passim.

(26) Editiones Confessionis Augustanæ quàm diversæ sint & discrepantes, Vide apud Clar. *Bossuet Hist. des Variat. des Egl. Protest. Liv.* 3. qui gavisus fuisset si Originale MS. quod *Viglius* custodiæ suæ commissum, & ab *Albano* repetitum profitetur, sibi contigisset inspicere. Juverit aliquando hoc notasse: unde verisimile fit, *Originale* illud ab Duce *Albano* in Hispaniam missum, ac ibi hodieque in Regia bibliotheca servari.

Digitized by Google

spenso teneri, unde boni vacillant. Eindius in custodia. Judicia accelerata, & majorum procerum causæ instructæ. Mansfeldius qui Ducissam deduxit, Luxemburgum reversus. Cancellarii Geldriæ viduam commendat, & pro se missionem petit.

Binas, CL. D. HOPPERE, superiori mense Martio ad te dedi literas, aliasque complures mense Febr. Verùm in suspitionem venimus, neque nostras vobis, neque vestras nobis satis fideliter reddi. Quod quibus de causis fiat, etsi conjecturam de eo aliqui faciant, tempus tamen ipsum melius fortassis declarabit. Male autem sit istis hominibus, qui nobis voluptatem, quam ex familiaribus literis deque rebus privatis, citra ullum Reipubl. detrimentum capimus, invident. Nam quod illi forsitan de publicis rebus isthuc a quibusdam suspicantur perscribi, id profecto nullius momenti esse potest, cum non sit aliud, quàm omnibus tritum atque notum.

Conjugis autem tuæ familiæque causa de eo cumprimis doleo, quæ cùm ex literis unicam consolationem capiant, quando absentis literarum solatio privantur, magis ad præsentiæ desiderium incenduntur. Proinde, quod minati antea fumus, fore ut isthuc uxor cum liberis ad te veniat, remorari amplius non possumus, cui ego nepotes meos comites aliquot adjungere cuperem, quos ad Salamanticensem Academiam brevi mittere decrevi. Nam in Gallia eos longius relinquere in ea sectariorum corruptela, libertateque, quam Regis Edicta novo fœdere confirmarunt, periculosum videtur.

Germani, qui militatum isthic ierant, nobis vehementer minitantur, ac undique rumores belli adferuntur; & non arbitramur voluntatem plerisque defore, si ad res ejusmodi gerendas stipendia præberentur, uti etiam ab exulceratis Procerum nostrorum, aliorumque, qui solum mutaverunt, animis, nihil boni æquique expectandum est: sed prudentia, fortitudoque Ducis Albani ab hoc metu, periculoque (uti speramus) nos liberabit. Et modo pecuniam nobis deesse

Digitized by Google

non ſinetis, vires viriqùe non deerunt; tametſi certe tanto tempore in ſuſpenſo teneri omnium animos, parum conſultum hactenus viſum fuit, cùm interea etiam bonorum animi, quadam rerum diffidentia perculſi, vacillare incipiant. Jam vero quotidie copias militares ad confinia confluere audimus, & Dux quoque equitum, peditumque numerum auget, brevique videbitur quò apparatus iſti evadent.

Jacobus Eindius Advocatus Hollandiæ adhuc in cuſtodia detinetur; verùm de ejus cauſa melius, quam de Mechlinienſium, Namurcenſiſque ſperamus.

Cogit autem Ducem inſtans belli inquietudo judicia accelerare, & jam intelligo majorum Procerum cauſas fere inſtructas eſſe, quamquam ego arbitratus ſemper fui, Regem antea de ipſis eſſe conſulendum: ſed id fortaſſis jam factum eſt.

Mansfeldius nuper ex Italia, quò Ducisſam deduxit Luxemburgum rediit, ipſaque per eumdem literis dignata eſt me de fælici itineris ſui ſucceſſu certiorem reddere.

Uxor Cancellarii Gelriæ mœſtitiæ plena Arnhemium ad funus mariti curandum rediit, ac inde ſupplicationem pro penſiuncula ad Regem ſe mihi tranſmiſſuram dixit, quam, ubi accepero, non potero non te rogare, ut apud Majeſtatem ſuam honeſtiſſimæ matronæ ſuffragari non graveris.

Aggæum noſtrum in Friſia eſſe audio, ſed, cum ille rumoribus facile terreatur, accelerare eum reditum Spiram intelligo, cùm metuat, ne cœlum ſuper nos ruat.

Secretariorum noſtrorum, quorum opera in rebus Conſilii Status utimur, cauſam tibi aliquando commendavi, ſed illi cùm tempora labi videant, Gubernatoresque mutari, ac merita ſua ab iis, qui de novo adveniunt, ignorari, & recognoſci non ſperant, plane animum deſpondent: ſæpiusque apud me Vanderanius cum lacrymis ſuæ fortunæ tenuitatem expoſuit, quæ numerolæ proli familiæque, ac ſcribarum multitudini alendæ, parum ſufficit. Proinde non poſſum eos non tibi ex animo commendare, quò Rex aliquem laborum, quos ipſi fideliter in Majeſtatis ſuæ rebus impenderunt, rationem habeat. Pro me ipſo verò non aliam commendationem abs te requiro, quàm eam, quam multis literis antea abs te poſtula-

Digitized by Google

ſtulavi, ut ſeneſcenti morbiſque undique obſtipato, quietem Majeſtas ſua tandem concedat. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. XXII. Aprilis CIↃ IↃ LXVIII.

EPISTOLA LVII.

Geuſii, ſparſis in vulgus libellis, populum ad ſeditionem excitant. Ludovicus Naſſovius exercitum parat in Friſia; Comites Bergenſis ac Culemburgius ad confinia Gelriæ; Nobiles Brabantini in agro Leodienſi, quos Comes ab Everſtein diſſipavit cæſis octingentis Meganus contra Bergenſem profectus.

METuens CL. D. HOPPERE, ne aliquis curſor in Hiſpaniam me inſcio expediretur, dederam Magiſtro Poſtarum literas, quarum exemplum nunc iterum mitto, ſi forte illæ interceptæ, aut neglectæ fuerint. Nunc vero cum Illuſtriſſimum Ducem noſtrum de iis, quæ proximis diebus hîc geſta ſunt, Regem certiorem facturum arbitrarer, Courtevillio haſce ad te deſtinandas commiſi, ut, quamquam ex ipſius Ducis ad Majeſtatem ſuam literis plenius omnia intelliges, per me tamen de ſumma rerum edocearis. Ea eſt: Quod Geuſiani noſtri, confecta in Galliis pace, oportunum ducentes fortunam adverſus nos tentare, non quidem palam nobis bellum denuntiaverunt, ſed ſuum inſecuti morem, ſparſis in vulgus libellis, populum ad ſeditionem attrahere conati ſunt: cujus generis ſunt, ſcedulæ, quas hiſce conjunxi, quibus ipſi ſententiam antevertentes, ſuo ſeſe judicio condemnare voluerunt, conſcriptiſque militibus atrocia nobis omnia minantur.

Ludovicus Comes à Naſſau in Tranſamaſana regione exercitum parat, quò ad eum tota fæx Friſiæ confluit.

(27) Bergenſis ac Culemburgius Comites apud Weerdam Culem-

(27) *Guilielmus* Comes Bergenſis e quatuor primis fæderatis.

Digitized by Google

Culemburgenſis oppidulum, in Monaſterienſi Epiſcopatu ſitum, ad confinia Gelriæ, cum nonnullis aliis Proceribus militem colligunt. Et noſtri nobiles Brabantini ac Namurcenſes, factionis itidem Geuſianæ collectis in Leodicenſi agro aliquot vexillis, conjungere ſe cæteris voluerunt. Verum dux iis motibus obviam ire cupiens, miſit Hiſpanorum aliquot cohortes cum Comite ab Everſtein, qui eos inſectati inter Ruremondam & (28) Erculens, oppida Gelriæ, juxta oppidulum quoddam Ducis Juliæ, vocatum Daelem, cum illis fortiſſime congreſſi, omnes diſſipaverunt: ceciderunt que, ut fama eſt, plus minus octingenti, nobileſque quidam, ac novem vexilla ab hoſtibus reducta. Sub idem tempus Comes quoque Meganus aliquot copiis inſtructus, profectus eſt contra eos, qui apud Weerdam convenerunt. Quod ſi & ille ſimilem habebit ſucceſſum, ex his principiis meliora ſucceſſura ſperabimus. Bene vale, CL. D HOPPERE. Et nos, qui duobus proximis menſibus nihil iſthinc accepimus, ex tuis literis Regiæ Majeſtatis proſperam valetudinem ac ſtatum cognoſcere magnopere deſideramus. Bruxellæ. XXVIII. Aprilis CIↃ IↃ LXVIII.

EPISTOLA LVIII.

Friſia in ſummo diſcrimine conſtituta ob Ludovici Naſſavii ſucceſſus, quem juvant proſcripti Friſones, quibus ſe junxit Conſiliarius Regius Tzalingus ab Eyſinga: contra quos Comes Arenbergenſis profectus. Gravia & Boxmeria ad partes Regias reductæ.

CUm heri, CL. D. HOPPERE, literas tuas, XX. Aprilis ſcriptas, accepiſſem, ac curſorem quendam à mercatoribus Antverpienſibus expeditum, hacque tranſeuntem, in Hiſpaniam properare intellexiſſem, ſignificandum putavi,

(28) *Erkelens* oppidum ad quartum a Ruræmunda lapidem, intra limites Ducatus Juliacenſis, ſed Geldrici juris.

Digitized by Google

vi, conjugem tuam, amicos, atque me magnopere gavisos esse de earum receptione, cum duobus pene mensibus nihil abs te allatum esset. Verùm iis non satiati, Denneterium summo desiderio exspectamus, quem literas tuas & mandata plenissima adferre indicasti. Nunc autem aliud ad te non scribam, quàm nos hîc omnes recte valere; Patriam, autem nostram in summo versari discrimine, cùm Ludovicus Comes Auraicensis Principis frater, arcem Weddanam in Westerwoldingerland / ac Old-ampt Groningensis, occupaverit, Dammonique oppido male metuamus, ad quod Frisii nostri strenuos sese adjutores exhibent; ii præsertim, contra quos superiori hebdomada Banni hîc sententiæ latæ sunt, quarum ad te exemplar mitto. Adjunxit quoque se illis Doctor Tzalingus ab Eysinga, Regiæ Majestatis Consiliarius, ac alii nonnulli. Verùm spero dignam illos punitionem consecuturos, qui fidelitatis debitæ immemores contra Principem ac Patriam tantum scelus attentare sunt ausi. Arembergensis autem eò profectus est, iis copiis munitus, quæ Illustrissimo Duci ad dissipandam eorum vim ac impressionem sufficere sunt visæ.

Gravia ac Boxmeria in nostram potestatem redierunt, profugientibus inde præsidiis, quæ fortunam Dalensem expectare non sunt ausa. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. Septimo Maii CIↃ IↃ LXVIII.

EPISTOLA LIX.

De Provisione Episcopatuum nihil hactenus executioni mandatum. Ludovicus Nassovius apud Groningam imperat.

SCripsi ad te, CL. D. HOPPERE, VI. Maii, me tuas literas, XX. Aprilis datas, accepisse, quas mox subsecutæ sunt XXI. Aprilis per Denneterium, ac aliæ XXIII. ac XII. Martii per Capellanum ac cocum tuum, missæ. Impræsentiarum autem non datur tempus, ut singulis respondeam, cùm cursoris discessus serius mihi significatus fuerit. Tantum igitur hoc te scire volui, nos scrupulo, quem ex diuturno literarum tuarum desiderio accepimus, levatos esse, uxo-

Digitized by Google

uxoremque ac familiam totam recte valere. Et nobis certe volupe fuit, cùm privata tua, tum publica, & quæ ad Regem pertinent, se recte habere.

Illustrissimus Dux aliis plurimis negotiis impeditus, in hoc rerum discrimine ea, quæ à Majestate sua super provisione Episcopatuum, beneficiorumque mandata fuerunt, nondum exequi potuit: sed ea se curaturum primo quoque tempore dixit; proinde ego quoque non habeo adhuc, quod super hisce tibi respondeam.

Denneterio quid in via acciderit, te non ignorare arbitror, de quo sane multum dolemus.

De Dalemensi negotio tuo hoc te securiorem deinceps fore putamus, quod adversarium Geusianis nomen dedisse cognovimus.

Comes Ludovicus occupata Damma, aliisque nonnullis pagis apud Groningam, imperium ibi exercet, & Status conscribit, edictaque publicat, ac nuper castrum Hammense Mepschii nostri, quod ille ad triginta florenorum aureorum millia æstimant, incendio consumpsit, quod illum præ cæteris, conatibus suis obsistere intelligo, mittoque scedulam, ex qua cognosces, qui ex nostratibus potissimum ei adhæreant. Quotidie autem ad eum major multitudo confluit, verùm cùm Arenbergensis jam pridem in Frisiam advenerit, suppetiasque ei Dux mittat, ac eidem Meganus in auxilium proficiscatur, spero, nos brevi de fælici successu nova vobis scripturos. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Datum Bruxellæ XXI. Maii CIↃ IↃ LXVIII.

EPISTOLA LX.

De missione impetranda enixe contendit; statum Consilii privati describit; Vice-præsidem desiderat, si ab officio omnino absolvi nequit: offerens partem stipendii & sigilli custodiam. De rebus privatis, & libris ad Hopperum mittendis. Gratia Regia, veniaque procrastinata malum peperit. Consilii Tridentini executionem Dux urget. Synodus Ul-

Digitized by Google

Ultrajectina. Benedictus Arias Montanus Viglio innotuit. Cancellarii Geldriæ viduam, ac D. Noircarmium commendat. De Aggæo, rebusque privatis.

QUinis tuis literis CL. D. HOPPERE, XII. XXIII. & XXIX. Martii, ac XX. & XXI. Aprilis scriptis, cœperam aliquid respondere per eas, quas VII. & XXI. Maii ad te dedi, & antea quoque aliquid ad te scripseram XXII. & XXVIII. Aprilis. Gaudeo inprimis falsam fuisse suspitionem, vanamque sollicitudinem nostram de literis detentis, interceptisve.

De privato negotio meo habeo gratiam, quod tam diligenter illud procuraris, verùm ex literis Regiæ Majestatis nihil plus spei quàm antea, concipere possum; ac sæpius à me quæsita occasione, ut cum Illustrissimo Duce, ad quem Majestas sua de eo scripsisse se ait, loquerer, nondum eam invenire potui. Et quanquam, quoad vivam, ac potero, non recusabo Majestati suæ inservire: attamen servitutem hanc, quæ me quasi glebæ adscriptum tenet, longius perferre nequeo: quatuor enim duntaxat habeo collegas, quorum sæpe unum, alterumve abesse contingit, & in defunctorum, absentiumque locum Rex alios hactenus surrogare distulit: ut ego necessariò bis in die visitare privatum Consilium debeam, cùm aliàs sine capite memineris non diligenter negotia tractari. Sigillum quoque me perpetuò detinet, ut longius à Curia abesse nequeam. Adhæc pedes, manus, linguaque crassior officium suum deinceps denegant. Proinde si nulla ratione à Præsidatus officio me Majestas sua absolvere adhuc velit, Vice-præsidem tamen nominare possit, qui me absente officium hoc obiret. Et quò ego ab obligatione quotidianæ visitationis Consilii absolvar, stipendii mei partem lubens ei cessero, si Rex gravabitur stipendii auctarium ei præbere; cùm æquum non sit, ut ille laborem cum citra aliquod commodum obeat. Idque Majestas sua per provisionem ordinare posset, remanente facultate de officio Præsidis, quandocunque placuerit, absolute disponendi. Cuperem & mihi permitti, cùm aberò, eidem Vicepræsidi sigillum committere, quo hac ratione aliquo modo me præ-

Digitized by Google

dictæ ſervituti eximerem. Et nihilominus, pro ea devotione, quam ſemper erga ſervitium Majeſtatis ſuæ habui, non ſum defuturus, quandocunque negotia meam præſentiam, operamque requirent ſumma fide ac diligentia, Illuſtriſſimo Duci, atque Conſilio aſſiſtere. Quod cùm Duci declarare decreverim, tum id tuam D. celare nolui, eandem rogans, ut ſi oportunitatem habuerit Regi aliquid de eo ſuggerendi, id pro tua erga me benevolentia omni meliori via procurare ne graveris.

De Denneterio nihil præterea audimus, quàm de literis, quod antea indicavi, per eum miſſis, nobis ab alio redditis. Uxor, quod ſerio tibi affirmare poſſum, deſiderium abſentis longius non fert. Et cùm nobis de Regio adventu ſpes pene omnis præciſa ſit, aliqua ratio invenienda eſt, quò tibi conjungatur. Ego illam, ut poſſim, conſolor, ſed vereor ne operam ludam. Reinius patruelis tuus conſtituit poſt menſem aut duos ad te proficiſci, qui plenius ejus deſiderium tibi exponere poterit. Per eum ad te mittam Janſenii Commentaria in Proverbia Salomonis, ac Lindani quoque in Pſalmos annotationes, cum aliis ejus generis nonnullis.

De rebus pacificandis, gratiaque tandem impartienda, Duciſſa hinc abiens ſatis prolixe ad Regem ſcripſerat, verùm Duci viſum tunc non fuit eam deliberationem ingredi, nec adhuc aliquam ejus mentionem audio, tametſi Rex literis Gallicis conſilium requirere videatur; verùm an Hiſpanicis idem ſcribat dubito, cùm ea deliberatio potiſſimum pendeat ex ſententia Vergaſii, aliorumque, qui criminalibus judiciis præſunt. Certe dici non poteſt, quantum malum huic Provinciæ peperit diffidentia gratiæ, tamdiu ſub ſpe Regii adventus procraſtinatæ.

Concilii Tridentini executionem fortiter Dux urget, ac apud Trajectum indicta ab Archiepiſcopo Synodo, miſſus eo eſt Præſes Mechlinienſis, (29) atque Decanus Bruxellenſis, qui illi aſſiſtant, eamque rem promoveant: præſertim

(29) Præſes de quo hic, erat *Joannes de Glymes* dictus *de Bergbes*, Eques, & toparcha de Waeterſdyck, antea Conſiliarius Senatus Hollandici, poſtea Supremi Senatus apud Mechli-

Digitized by Google

tim cum ſuper difficultatibus ab eis motis nihil apud Pontificem, Regemve impetrarint; & ipſi tuæ (uti ferunt) confiſi ſollicitationi, hactenus in utramque aurem dormierint.

(30) Benedictus Montanus nuper huc advenit, ac à me convivio hilariter acceptus promiſit, ſe ſæpius me inviſurum, gratiamque mihi feciſti quod ad ejus notitiam literis tuis viam præſtruxeris.

De Epiſcopatibus partim ex literis tuis, partim Regiis ſententiam Majeſtatis ſuæ cognovi, verùm non fuit hactenus otium, ut Dux de ejus executione reſolveret; & certe, ita turbulenta hæc ſunt tempora, ut nunc præmaturum videatur, quod antea nimium differri querebamur.

Tiletani Majeſtatem ſuam rationem habuiſſe valde gaudeo: meretur enim is, ſi quis alius, hujuſmodi beneficentiam.

Super controverſia ſalinaria jam nos deliberavimus, ſed reſtat ut Illuſtriſſimi Ducis judicio ſententia noſtra approbetur.

De Cancellarii Gelriæ morte jampridem ad te ſcripſi, ac cùm ille ſemper incorrupte munus ſuum adminiſtrans, ac ſatis tenui patrimonio præditus, uxoris optimæ matronæ bona majore ex parte in Regiæ Majeſtatis ſervitio conſumpſerit, eidemque immortuus fuerit, te etiam atque etiam, mi HOPPERE, rogo, ut apud Regiam Majeſtatem intercedas, quo penſiunculam, quam per ſupplicationem hiſce adjunctam petit, conſequatur, & marito amiſſo ſubſidium reliquæ vitæ deeſſe ei non patiatur.

D. Noircarmius iterum atque iterum me rogavit, ut ipſum, cauſamque ejus tibi commendare pergerem.

Conſtitui aliquot nepotes meos propediem Salamanticam mittere, quibus etiam aliquot nobiles Friſiæ ſeſe adjungere decreverunt. Wibrandum autem meum Lovanii adhuc relin-

chliniam. Decanus vero eccleſiæ Collegiatæ S. Gudulæ Bruxellis, *Laurentius Metzius*, poſtea ſecundus Epiſcopus Buſcoducenſis.

(30) *Benedictus Arias Montanus*, Hiſpalenſis, toto orbe celeberrimus a Regia Bibliorum editione. *V. Miræi Script. ſec. XVI. in edit. Fabricii fol.* 248.

Digitized by Google

linquendum duxi, ne ſtudiorum ipſius fælicem progreſſum interrumperem. Quod illum literis tuis ad eadem hortari obtuleris, gratiam magnam habeo.

Aggæus noſter feſtis Paſchalibus Friſiam inviſens, cùm res iſthic ab Comite Ludovico, Gueſianisque turbari cognoſceret, mox, rebus infectis, Spiram revolavit, conſiliumque cœpiſſe videtur de ea conditione retinenda, quod & ego certe conſultius duco, licet Ryordi ab Roerda filius, nuper ex Italia, Germaniaque rediens, ſperans ſe ei ſucceſſorem fore poſſe, multum perſuadere conatus ſit, ut Statuum noſtrorum Penſionarius fieret, quod ego illi non ſatis olim conſulere potui, quod multa in illud officium incidant, quæ ſubinde Curiæ ingrata exiſtunt: ob quæ Namurcenſis Penſionarius, Vaſtelius, ac Cammius (31) Mechlinienſes, ac Jacobus ab Einden Hollandiæ Advocatus hîc carceri ſunt mancipati. Ryoerdi autem filius animadvertens ſe ibi ſpe ſua excidiſſe, nunc Conſiliariatum Eyſingæ, qui ad rebelles deſcivit, inſtantiſſime ambit. De cæteris poſt per otium ſcribam cùm hanc epiſtolam in occaſionem abituri curſoris pararam. Bene vale, HOPPERE. CL. Bruxellæ XXVI. Maii CIↃ IↃ LXVIII.

EPISTOLA LXI.

De triſtiſſimo belli exitu in Friſia, & Comitis Arembergenſis cæde. De proſcriptis proceribus, & ultimo contra nonnullos ſupplicio decreto. Sententia contra Egmondanum & Hornenſem ſub incude: Dux non firma utitur valetudine.

CUm noviſſime ad te ſcriberem, CL. D. HOPPERE, inter ſpem metumque anxii eramus: deque ſucceſſu belli, quod in Friſia apparabatur, promittebam me primis literis ſucceſſum ejus ad te perſcripturum, is vero præter omnem opinionem noſtram triſtiſſimus accidit: quem te ex exemplis literarum Domni Mepſchii, quàm ex meis cognoſcere malo.

Accu-

(31) Vide Sup. ad Epiſt. XXIX.

Digitized by Google

Accuſant Hiſpani militem Germanicum, Germanici Hiſpanicum : ſed interea illuſtris heros Arembergius fortiter pugnando cecidit : faxit DEUS, ut infortunium omne noſtrum cum eo finiatur. Non lubet hîc referre de planctu ac lachrimis Comitiſſæ Arembergenſis, quæ in hac urbe eventum rerum expectabat : multorumque aliorum mœſtitia ac luctu, de quibus ipſe facile conjecturam facere poteris. Ut autem cognoſcas, quid poſt illud prælium acciderit, jungam Mepſchii quoque literas, quas hodierno die accepi

XXVIII. Hujus menſis die ſententiæ Banni ac confiſcationis bonorum adverſus Principem Auraicenſem, Ludovicum ejus fratrem, Brederodium defunctum, Comiteſque Bergenſem, Hoogſtratanum, & Culenburgium latæ ſunt, ac poſtremo domus, in qua Geuſianorum conventus fuerat, dirui juſſa. Cras vero decretum eſt ad ultimum ſupplicium procedere contra nonnullos nobiles, in quorum numero etiam eſt Bejema, & Galama, ac jam ſub incude eſſe dicitur ſententia adverſus Egmondanum ac Hornenſem: quamquam arbitrer de ipſis Illuſtriſſ. Ducem ad Regem antea ſcripturum. Dux autem non ſatis firma, commodaque valetudine fruitur, ut plerunque metuamus, ne ſi illi forſitan aliquid accidat, majoribus turbis periculisque implicemur. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. pridie Cal. Junii. CIↃ IↃ LXVIII.

EPISTOLA LXII.

De nepotibus ſuis in Hiſpaniam miſſis. Tædet eum temporis, criminaliumque proceſſuum, quos Dux accelerat, ut ad caſtra, quæ in Friſia, proficiſci queat. De Janſenii Gand. Epiſcopi negotio. Viglius beneficentiam Regiam non ſui, ſed Collegii a ſe Lovanii inſtituti cauſa, expetiit. Queritur miſſionem ſibi negari ab Albano. FIDELIS SERVUS PERPETUUS ASINUS. Gubernatores Miniſtris Regiis utuntur, veluti equis meritoriis. De Conc. Trid.

Digitized by Google

Trid. Ultrajecti recipiendo, & de quinque præbendis Archiepiscopo tributis.

CL. D. HOPPERE, post literas, quas v. hujus mensis ad te dedi, binas tuas XXV. ac XXVII. Maii datas, accepi, gratiamque habeo, quod ad meas, quas antea ad te dederam, tam copiose responderis. Nepotibus meis ante mensem proficiscendi in Hispaniam facultatem concessi, eosque jam iter ingressos esse, spero, quos D. T. etiam atque etiam commendo. Atque ad Matthiam Gastium bibliopolam, quæso, scribas, ut illuc eos advenientes consilio suo adjuvet, instruatque. Viaticum quidem illis, quale mihi sufficere ad id iter visum est, dedi, ne eo plus satis muniti alicubi in via hærerent, ac locorum visendi causa (ut juvenibus mos est) vagarentur. Ubi vero eos Salamanticam advenisse intellexero, curabo, ne quid eorum necessitatibus desit.

Tua conjunx etsi magnopere ad te venire desideret, veretur tamen ne tardius eam voces, ac propter varia impedimenta iter suum longius protrahatur. At ubi tu sententiam absolute perscripseris, lubenter eam, ut omnes difficultates resecentur, adjuvabimus.

Doctoris Reineri filium non video quomodo rotulæ, ante ejusdem renovationem, inscribendum curare possimus.

Valde optaremus tandem aliquam funesti hujus temporis criminaliumque processuum finem, quæ non populum tantum nostrum, sed vicinos omnes exasperant. Adversus (32) Stralium, Bakkerzelium, Eindium, cæterosque Pensionarios processus summa cum severitate instruuntur, quam Vargasio vulgus imputat.

Nostri Consilii in his cognitionibus nullæ sunt partes, odiis tamen periculisque immune non est.

Dux ad finem horum processuum, quantum potest, properare videtur, constituens brevi ad castra proficisci, quæ in Frisia, cum magna Patriæ nostræ calamitate, sese hoc tempore jungunt. Ubi quanta nostratium hominum sit perturbatio ac perplexitas, conjecturam facere potes.

(32) *Antonius Stralius* Antverpiensium Consul, de quo historici passim.

Digitized by Google

Quæ vero ibi geruntur ex Mepſchii literis, quarum exemplar hiſce adjunxi, percipere licebit.

Janſenius penſione mavult eſſe contentus, quàm Monachorum regimen ſuſcipere, ſed vereor ne ea philoſophiæ ratio ſemper ei conſtet. Non tamen ejus conſilio refragari ſtatui, ne, quod in illius commodum antea conſului, in proprium feciſſe videar. Quod ſi tamen accederet penſio Hiſpanica, meliorem vivendi rationem haberet; nec arbitror Regis eſſe ſententiam, ut viventi mihi detrahatur, qui ſemper beneficentiæ ſuæ ſpem mihi fecit, & non mea, ſed collegii à me inſtituti cauſa expetendam eam dixi. Sed parum de eo ſum ſollicitus, verum de eo multo magis, quo modo ex hoc piſtrino me extricem, nam cum Duce nuper de meo negotio collocutus nullam conſolationem accepi, ſed exhortari ille me pergit, ut ad meliora tempora ſervitium meum continuem: quorum quidem temporum modicam hactenus ſpem, ſed omnia in deteriora prolabi cernere licuit. Quod me profecto non parum contriſtat, videoque mihi conſilia mea plane ſiniſtre cedere. Dum enim ſpe miſſionis favorabilioris do operam, ac plus pene, quam vires ferre poſſunt, quàmque odii periculique vitandi ratio expoſcit, ſervitia mea comprobare ſatago, in illud me incurrere video, quod proverbio dicitur: Fidelis ſervus perpetuus aſinus. Scribebam autem nuper ad te media aliqua, quibus ſublevari poſſem, eaque Duci propoſui, ſed iis non attentis me ſimpliciter continuare juſſit. Quæſo autem ut per occaſionem apud Regem idem tentes, etenim ipſi hactenus, patrique ſervivi, ipſiusque eſt merita noſtra expendere, cùm Gubernatores, quibus ſervimus, ea ad ſe parum pertinere exiſtiment, ac nobis uti equis meritoriis abutantur.

(33) Trajectenſium Eccleſiarum Deputati hîc fuerunt ſub idem tempus, quo noviſſimas tuas literas accepi, ſpemque inde illis feceram, Regem ſuper moderatione Concilii (cujus gratia huc advenerant) aliquid reſolviſſe. Verùm illis viſis

(33) De Concilii Tridentini apud Ultrajectenſes acceptatione, publicationeque, multis actum in *Bat. ſac. part.* 2. ſub. Schenkio. Paucis in mea *Hiſt. Eccl. Ultraj. art.* 4. De quinque præbendis Archiepiſcopo tributis ego *art.* 2 *d. Hiſt.*

Digitized by Google

visis nihil, quod ad Concilium pertineret, ex eis cognovimus, tantumque scriptum super quinque Præbendis Archiepiscopo per Bullam Paulinam assignatis junctum fuit. Cùm autem ea media Episcopo semper displicuerint, proposui aliud de duobus millibus florenorum loco earundem: verùm & hoc forsan medium utraque pars detrectabit; quanquam mihi non absurdum videatur, ut omnes contentiones, quæ, ubi de bonis agitur, graviores fere esse solent, tolli semel possent. Archiepiscopus autem hac ratione tantum consecuturus esset, quantum illi dare in initio visum iis fuit, qui ad eam rem fuere deputati. Quod vero ad Concilii acceptationem pertinet, Dux nullas restrictiones moderationesque admittendas esse censuit, sed Regis voluntatem esse declaravit, ut cunctæ Ecclesiæ uniformiter illud observent, cum quo responso hinc dimissi, nescio an rectis consiliis seriisque jussis acquiescent. Vale HOPPERE CL. Bruxellæ. XXI. Junii. CIↃ IↃ LXVIII.

EPISTOLA LXIII.

De Hopperi uxore in Hispaniam advocata & profectura. De Knyphio Groningensem episcopatum consecuto, ac de peste ibi grassante.

SCripsi ad te XXVII. Septembr. CL. D. HOPPERE, ac paulo post accepi eodem pene tempore literas tuas, undecimo, ac XIV. Sept. datas. Verùm Cornelius, quem te missurum indicas, nondum huc pervenit, ac postquam de Regis adventu spes nulla apparet, recte mihi constituisse videris de uxore familiaque isthuc advocanda. Verùm rebus, tam hîc quam in Gallia oppido turbatis, imminenteque jam hyeme, tardius illa hinc movere poterit; quam interea Goudæ mansisse vellem, cum plerique huic oppido non satis confidunt: verùm ego nihil periculi fore spero, cùm noster exercitus hostium lateribus adhærens facile prohibiturus videatur, ne quid illi magni exequi possint. Quis autem rerum futurus sit successus, certius citiusque vos ex ipsius Ducis

Digitized by Google

cis literis cognituros arbitror, cùm nos cursorum abitum plerumque ignoremus. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. xv. Octobr. CIↃ IↃ LXVIII.

(34) Reverendissimus D. Knyphius, Groningæ cum debita solemnitate ad possessionem Ecclesiæ suæ receptus est, nullis pene reclamantibus; & calamitate accepta feroces illius populi animi emolliti sunt. Propter pestem tamen ibi grassantem intra civitatem diu se continere non fuit ausus, quemadmodum & Locumtenens Mepschius, aliique primarii ea urbe periculi devitandi causa excesserunt, Sed hyeme jam redeunte, salubrioreque aëre brevi omnes illuc redituros speramus. Datum ut in literis.

EPISTOLA LXIV.

Rembertus Dodonæus Medicus in Hispaniam accitus eò ire renuit, quòd Biesium ad aulam Imp. accessisse pœniteat. Viglius deplorat conditionem suam, quam pro 50000 fl. diutius sustinere nollet. Unde pericula & terrores? Albani prudentiam contra principis Auraicensis exercitum, laudat. Missionem suam non tam petere, quam extorquere statuit. De Abbate constituendo apud S. Petrum Gandavi, & de Jansenii commodo utilitateque. An Regi ad Emdensem Comitatum jus competat, respondere non valet. Comes a Bousu contra Waterlandios, Frisiosque.

COrnelius tuus, CL. D. HOPPERE, quem isthinc profectum ex literis tuis, XXIV. Sept. datis, intellexi, nondum huc advenit.

Doctor

(34) *Joannes Knyffius*, Ultrajectinus, Ord. F F. Minor. de Observantia, primus Episcopus Groningensis, de quo V. *Heussenii Hist. Episc. Groning. p.* 15.

Digitized by Google

Doctor Rembertus (35) de acceptanda conditione, de qua ad me atque ipsum scripsisti, valde dubitat, & magnas certe rationes habet, cur non temere se in hac ætate in aulicam servitutem conjiciat; præsertim tam parvo salario, cum Biesius nuper (amicis licet dissuadentibus) mille annuis (36) ad Curiam Imperialem se pertrahi passus sit, & arbitrantur nonnulli, jam eum pœnitentia ductum optare, ut Lovanii mansisset. Quæ de Dalemensi negotio mandasti, ea gener tuus diligenter exequetur, & nos quoque quantum licebit juri tuo omnem lubenter impartiemur favorem.

De conjugis viatico, Regisque erga liberos tuos liberalitate multum gratulor, gaudeoque, ac spero te atque illos operam daturos, ut aliquando fructum Regi servitio suo rependant.

Cornelii autem tui adventum tanto avidius expecto, quod proximis literis tuis super meo negotio Regiæ Majestatis responsum scripturum te promiseris. Spero enim tandem, quod sua Majestas ante triennium concessit, eo me perfrui permissuram, consideraturamque in quantis angustiis, molestiis, periculisque ab eo tempore in servitio Majestatis suæ perseveraverim, quod certe pro quinquaginta millibus florenorum rursus sustinere nollem. Nec proximis certe hebdomadis aliquot, cum in propinquo hostilis versaretur exercitus, metu ac periculo caruimus: nam, præterquam quod ii, qui ex nostra Provincia exulant, ac nunc armis vindictam prosequuntur, uti fere fieri solet, quæ ipsi commiserunt, ministrorum culpæ imputant; ita etiam multi certe sunt in hac urbe atque aliis, qui non ipsis tantum, sed toti illi causæ favent: uti satis colligere licuit ex diversis eorum sermonibus minisque, ubi illos armis superiores esse posse speraverunt. Quæ res ita multos terruit, ut ad tutiora loca hinc profugerint, bonaque sua transportaverint; conjugique tuæ, quæ huc non diu antea redierat, dissuadere nolui, ut Goudam se rursus reciperet, seque quotidiano metui eximeret.

Ve-

(35) *Rembertus Dodonæus*, origine Frisius, nativitate Mechliniensis, Maximiliani II. & Rodolphi II. Impp. medicus post *Nicolaum Biesium*.

(36) *Mille annuis*] lege: aureis.

Verùm Ducis prudentia ac virtute hactenus servati sumus, inque iis angustiis Principis Auraicensis quærentes consilium fertur, ut partim fame, partim incommoditate temporis, reditum meditari videantur. Ac quanquam ea pars Brabantiæ, Hasbaniæ, atque Leodiensis ditionis, quam utrique exercitus attigit, gravissimis damnis afflicta fuerit, id tamen concoquere debebimus, dum Provinciam salvam in Regis potestate ac dominio retinemus. Ego vero, qui interea cum Duce Aschotensi ac uno atque altero Consiliario, res hic ex jussu illustrissimi Ducis Albæ dirigimus, libens hanc operam meam impendi, sperans hunc extremum actum servitii mei fore, dicturumque brevi, Vos valere & plaudite. Id si cum bona gratia Regis, quod semper optavi, allaboravique, consequi potero, non in extrema felicitatis meæ parte ponam. Sin secus vero, statui omnino etiam hanc abrumpere, cùm videam, quam Rex dare procrastinatur, ætas ac valetudinis imbecillitas, vicesimaque jam stipendia præstent. Et, quanquam Illustrissimus Dux forte refragabitur, nihil tamen obligationis prætendere poterit, quo id deneget, impediatque, quod mihi jure debetur. Quinimo multæ aliæ sunt causæ, quas literæ non capiunt, quæ me ab ulteriori servitio deterrent.

De literis Cambii pro nepotibus meis transmissis & abs te receptis, spero me aliquid ex Cornelio tuo intellecturum; & ea certe pecunia accepta, viatici satis in proximum annum habebunt, modo id frugaliter dispensent, quod te eos subinde monere velim.

Hisce diebus Magistrum Christianum Weert (37) apud Mechliniam amisimus, & ibidem quoque sat periculose laborant Masnuwyck ac Vasteel, Orutiusque, Brugensis designatus Episcopus, ipse quoque hoc judicium breve relicturus

(37) *Christiano de Weert* successit *Balduinus Jacobi*; *Joanni de Masnuy* (ita enim legendum) *Joannes Coomans*; *Jacobo Wasteel*, *Joannes Richardotus*, qui postea præses Artesiæ, Consiliarius Status, & demum præses Consilii privati fuit; & *Remigio Drutio* Consiliario ecclesiastico, ac secundo Brugensium Episcopo, successit *Ludovicus Porry*. *Catal. senatus Mechl. in suppl. Burkens tom.* 2.

Digitized by Google

turus est, quibus egò idoneos obtingere cupio successores.

In Dekamani atque Eysingani locum nondum quoque quisquam surrogatus est, & Præses itidem ibi defungi cupit; magnopere autem refert virum aliquem Catholicum, præstantem, ac serium ei Consilio præfici, qui populum insolescentem in justitiæ metu continere possit. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. Cal. Novembr. CIↃ IↃ LXVIII.

Prior ac Conventus S. Petri apud Gandavum plurimum nos hîc sollicitant, ut de novo Abbate ipsis provideatur. Ac cum Rever.^mus D. Jansenius administrationem ejus respuerit, rectissime certe Rex fecerit, si alius ex eodem Monasterio deligatur: nam Affligenienſis uti a plerisque non satis idoneus habetur, ita sibi extraneum præferri non satis æque monachi S. Petri ferent. Tyletanus quoque ac ipse Rever.^mus Jansenius (quibus super prælato futuro pensiones assignabuntur) moram hanc in suum detrimentum cedere conqueruntur. Quamobrem si quid in eo negotio accelerando D. T. præstare poterit, magnopere rogo, ut id faciat. Ego autem Jansenio consuluissem, ut administrationem non recusasset, cùm commodiorem habuisset rationem necessarios sumptus ferendi. Verùm ipse cùm offerretur, sibi abunde per tria milia prospectum fore judicavit: at nunc aliter sentire incipit, ac meam opem implorat, quò necessitatibus ejus subvenire velim, id quod antea satis verebar: sed sic tum placuit Regi. Speramus autem pensionem olim promissam, &, ut hîc aliquando intelleximus, super episcopatu quodam in Hispania Rever.^mo Gandavensi assignatam, eidem relinquendam esse, quo & ipse haberet quo Munus suum commodius obiret, & ego quoque ab ejus petitionibus, successionisque telo magis liber immunisque essem. Et si quid, mi HOPPERE, circa hoc juvare queas, mihi ipsique pergratam rem feceris.

De jure quod ad Emdensem Comitatum Rex prætendere posset, ante multos annos diligenter dispexi, sed longiorem id discursum requirit, quàm literæ capiant; & monumenta ad manum non habeo, quæ memoriam meam revocare queant. Et si quæ de Regis brevi adventu rursus nuntiantur, effectum fuerint fortita, plenius coram nobis eam quæstionem excutere licebit.

Ca-

Digitized by Google

Cœpere etiam hiſce proximis diebus, incitante Auriacenſi, noſtri Waterlandii, Friſiique, qui juris ſunt Hollandici, tympanum ſonare, ſignaque oſtendere. Verùm antequam majores copiæ confluerent, Comes a Boſſu eos diſturbavit, captivosque nonnullos in crucem egit.

In Flandria quoque eorum anteſignani, qui adverſus Sacerdotes tam crudeliter graſſabantur, apprehenſi ſunt, dignasque jam pœnas luerunt. Datum ut ſupra.

EPISTOLA LXV.

De pecunia nepotibus ſuis in Hiſpania adnumerata. Buchonis ingenium Hoppero probatum. E Belgio in Hiſpaniam mittitur ſtudiorum cauſa, ut academiarum, Galliæ & Germaniæ pericula evitentur, in religionis nempe negotio, qua ſuſpicione ſi nepotes ejus laborarent, eos ad triremes ablegari, in beneficio poneret. De miſſione tandem impetranda, mentem ſuam declarat. Non ea conſilia capiuntur, quæ patriæ proſperitatem procurent. Capitulum S. Bavonis quantum abſentibus Canonicis annue pendat. De Aggæi ſecundis nuptiis, & novis in religione opinionibus. De reformanda Groningenſis urbis adminiſtratione quædam concepta a Duce, quæ non placuerunt,

SUperioribus diebus, CL. D. HOPPERE, aliquot ad te dederam literas, verùm incertus ſum, ſi illæ aut tempeſtive aut unquam ad te venient. Nam per Galliam non ſatis tuta ad vos profectio eſt, & Duce abſente, fere non ſunt, aut ſciri ille non vult, quando curſores ad vos expediuntur. Itaque noviſſimarum literarum duplicatum hiſce adjunxi, quas in occaſionem paravi, quo te inprimis certiorem facerem, Cornelium tuum huc decima hujus appuliſſe, unde Goudam ad conjugem tuam abiit. Perlubenter autem ex literis per eum allatis, intellexi, quas Schetzius Theſaurarius noſter ad

Digitized by Google

Franciscum Bravium dederat; una cum meis ad nepotes redditas tibi esse. Per præcedentes autem significavi, me sexcentos florenos, quos Bucho istic acceperat, mox renumerasse, ut necesse non sit isthic quicquam reddi; cùm autem jam mille octingentos acceperint, illud tantum providendum est, ut frugaliter eam pecuniam dispensent, neque ex abundantia in usus non necessarios voluptuariosve eam prodigant. Sed cogitent hîc in dubio rerum statu multa mihi aliisque evenire posse, ut non ita cito de alia pecunia eis provideri queat.

Gaudeo tibi Buchonis ingenium non displicere, faxitque DEUS, ut & spei nostræ satisfaciat, & cæteris nepotibus eo exemplo præeat, ne in illis operam oleumque perdidisse, aliquando conqueramur. Erant & alii multi ex nostra Regione Salamanticam adituri, sed variarum (38) terra marique pericula eos absterruerunt. Nec est quod Hispani sibi ab illis metuant, cum hîc boni viri liberos ad Hispanicas Academias ea potissimum de causa mittant, ut aliarum Galliæ Germaniæque pericula, evitent. At mei certe, si quid hujusmodi rei præ se ferrent, ad triremes ablegari in beneficio ponerem. Velim autem per Gastium cures, ne omnes una habitent, sed Hispanis convivantes, linguam citius, moresque addiscant.

Postquam, mi HOPPERE, adeo incertus est Regis ad nos adventus, recte mihi statuisse videris de conjuge, familiaque isthic advocanda, gaudeoque tuo consilio Regiæ Majestatis voluntatem liberalitatemque in viaticum accessisse.

De meo autem negotio summopere cupiebam per literas, quas Cornelius adferret, aliquid de Regiæ Majestatis resolutione similiter quoque intelligere; verùm, ut ex literis tuis cognovi, nulla mihi ejus spes affulget. Cùm enim Majestas sua ad Ducis responsum rem rejicit, non daturam suam Excellentiam aliud arbitror, quam quod antea ad te scripsi: scilicet, quod me hortetur, ut in servitio persistam. Et quamdiu ille videbit meum obsequium aliqua in re ipsi servire posse, nunquam dimittere me volet: parum secum perpendens

(38) *Variarum*) Ita vitiose in MS. & apud Gabbema. Lege: *Varia.*

Digitized by Google

dens ætatis valetudinisque incommoda, cæteraque quæ me ab rerum publicarum tractatione avocant. Quamobrem, ut superioribus ad te scripsi, si nequeo cum bona gratia missionem impetrare, cùm omnino non sit mens longius inservire, abrumpere tandem ipse cogar: ejusque causas, si una ad horam essemus, tibi indicarem, quas te ipsum non improbaturum arbitror. Ac ne aliud dicam, toties me mutare Dominos, & novis assuefieri imperiis senex non possum; nec ea consilia institui video, per quæ Patria nostra ad veterem aliquando statum prosperitatemque redituram speremus, sed in deteriora quotidie labi conspicimus.

Quod Hesselii nostri filio tuam beneficentiam impenderis, gratiam ipse pro affinitatis ratione ago; brevique huc adfuturo, non omittam inculcare quantum tibi eo nomine debeat.

De Nicolao meo pridem ad te ex veritate scripsi, ubinam ille ageret; & cum xx. annis mihi inserviverit, non possum, nec debeo eum favore meo destituere.

Capitulum Sancti Bavonis ex statuto absentibus Canonicis duntaxat XII. libras grossorum (39) pendit, nec unquam pro Buchone meo aliisve, quos commendavi, obolum præterea impetrare potui.

Aggæus noster superiore mense in Frisia fuit, nuptiasque repetiit, ducta in matrimonium Hesselii à Mockema, quem aliquando in ædibus meis vidisse te arbitror, sorore, eamque secum Spiram adduxit. Ego ad illum rarius scribo, quod sententiæ nostræ de Repub. non conveniat, aliisque opinionibus sit imbutus, quàm quas ego unquam probare potui, & habet semper queruli aliquid in literis, quod facit, ut minus eas appetam.

Illu-

(39) *XII. lib. gross.*) Hæc hodieque ratio stat, & absentibus a residentia Canonicis hæc summa, nec major, numeratur. *V. inf. Epist.* CCV. ubi proponente *Viglio* præposito, de augendo subsidio *Gregorii Hopperi* absentis studiorum causa in Duacena Universitate; Capitulum mordicus statutis suis inhæsit: & nec præsentia *Viglii*, tanti Viri, nec consideratione *Joachimi Hopperi*, magnæ in Hispania apud Regem potestatis, quidquam moratum fuit, aut de rigore statutorum Capitularium remisit.

Digitized by Google

Illuſtriſſimus Dux, antequam in expeditionem adverſus Principem proficiſceretur, ſuper reformanda Gronigenſis urbis, territoriique Reip. adminiſtratione quædam conceperat, quæ ex exemplo hiſce adjuncto cognoſcere poteris. Verùm neque nos omnia probare potuimus, neque executioni mandari poſſe arbitrati ſumus, ac in univerſum ex quorundam conſilio criminalium ac civilium cauſarum formæ ei non ſatis placent: verùm difficile eſt antiquos abolere mores, novoſque inducere. Bene vale CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. XVII. Novembris. CIↃ IↃ LXVIII.

EPISTOLA LXVI.

Significat literas Hopperi ſibi redditas eſſe, hoſtem a finibus repulſum, & Comitem Hochſtratanum mortem obiiſſe.

HOPPERE CL. binas abs te accepi literas XXVII. Novembr. ac prima hujus datas, cùm ipſe quoque hoc menſe bis, v. videlicet, duodecimaque ſat prolixe ad te ſcripſerim; verùm curſorum raritas, & difficultas, quas in noſtris recipiendis iidem exhibent, faciunt, ut minus frequenter ſcribamus; veremurque ne ad te ea fide, celeritateve, qua deſideramus, perveniant. Cùm autem Illuſtriſſimus Dux hîc nudius tertius ſit reverſus, Courtewilliumque rogaſſem, ut, ſi quando curſorem ad vos expediri intelligeret, mihi id ſignificare non gravaretur, hac ipſa die ſub noctem quendam ablegatum iri indicavit. Itaque licet negotiis obrutus eſſem, atque hoc tempore domum purgare deberem, meque ita componere, ut inſtante ſacratiſſima ſolemnitate Dominum noſtrum digne ſuſcipere valeam, attamen hoc brevi epiſtolio de tuis acceptis certiorem te faciendum putavi.

De rebus vero noſtris id ſolum impræſentiarum dicam, nos hoſte liberatos eſſe, qui tamen in Campania Franciæ aliquamdiu ſubſiſtens, timorem nobis reliquit. Verùm fama eſt Auraicenſem partem exercitus ſui in auxilium Condacenſi mittere, alteram vero ſecum in Germania ad hypocauſta reducere.

(40) Co-

Digitized by Google

(40) Comitem autem Hochſtratanum certò intelleximus mortem non longe à Remis ex vulnere, quod in conflictu in Brabantia accepit, XL hujus oppetiiſſe. Speramus autem eum tempore cæteros quoque ſuam mercedem accepturos eſſe. Conjunx tua cum tota familia adhuc Goudæ agit, amicique omnes recte valent, uti & DN. T. ex animo precamur. Bruxellæ. pridie natalis Domini. CIↃ IↃ LXVIII.

EPISTOLA LXVII.

De Principis Auraicenſis, Ducisque Albani exercitibus afflictis. Francorum Rex auxiliares ab Albano copias poſcit. Exequiæ pro Hiſpaniarum Principe, Reginaque parari juſſæ. Drutius Brugenſis, & Canerus Leovardienſis Epiſcopi. Præſidis Ultrajectini mortem & Cripii promotionem nuntiat. Hefſelius Conſilii turbarum negotiis plus ſatis implicitus. Secretarios. Status denuo commendat, cauſam exponit unde inopia laborent, atque inquirit, an ex confiſcationibus mercedem percepturi ſint. De miſſione ſua.

EPiſtolium tuum, HOPPERE CL. XIV. Octobr. datum, accepi, ac ab eo tempore nihil mihi abs te redditum eſt, quanquam tu illo ſignificabas, te poſtridie prolixius ſcripturum: verùm accidere vobis iſthic arbitror, quod itidem nobis hîc; ut literis noſtris tabellarii non lubenter onerentur, aut ii, penes quos authoritas eſt illos expediendi, nihil ſcribi aut ſciri velint, niſi quod ab ipſis proficiſcitur. Ego autem noviſſime ad te ſcripſi XVII. Novembris. cujus hiſce exemplum adjunxi. De conjuge tua, poſtquam Cornelius hinc diſceſſit, nihil audivimus; arbitror tamen pro eo deſiderio, quod habet, ut vos inviſat, omnia illam in iter parare.

Prin-

(40) *Antonius Lalinius* Comes Hochſtratæ. De pugna, apud Getam amnem V. Stradam, Decad. I. l. 7.

Digitized by Google

Princeps Auraicenſis cùm animadvertit exercitum ſuum fame, frigore, multiſque aliis incommodis affligi, & per Moſam tranſitum denegari, in Galliam ſe ſubduxit, quem Dux noſter uſque ad Caſtellum Cameraceſii oppidum ſecutus eſt, ubi hactenus ſubſtitit, quem dum Princeps ultra non progredi animadvertit, ipſe quoque in limitaneis Galliæ locis fame, itineribuſque laſſatum exercitum reficiendum duxit: cujus conſiliorum dum exitum Dux expectat, ipſe quoque eodem loco manſit: quanquam verſus Campaniam tendere Principem ferant: ſive ut ad hypocauſta militem reducat, ſive ut exploret, an cum Condacenſi junctis copiis meliorem rerum ſucceſſum ſperare poſſet. Et altera ex parte Francorum Rex Ducem ſollicitat, ut in Galliam copias ſuas in ipſius auxilium traducat, ne denuo indignum aliquem tractatum inire cogatur.

Cùm autem jam per ſex pene menſes Dux caſtra continuo ſecutus fuerit, ipſe magis optare videtur, ut ad nos redeat, exequiaſque ſolemnes, quas pro Principe, (41) Reginaque celebrare decrevit, quasque in reditum ſuum diſtulit, omni celeritate apparari juſſit.

(42) Drutius ac Cunerus, receptis ex Roma bullis, quiſque ad ſuam Diocæſin ſe conferre deſiderat. D. Knyphium ab exercitio ſui muneris peſtis apud Groningam graſſans impedit, qua etiam extinctum eum huc falſo nuntiatum fuit, cùm eum belle valere intelligam.

Superiore autem hebdomada Præſidem Trajectenſem (43) amiſimus, qui ſubitanea morte extinctus eſt, & arbitror me ante tibi ſcripſiſſe de obitu M. Chriſtiani Weerdt Conſiliarii apud Mechliniam. Cripius (44) autem in locum Milii, generi

(41) Intellige de Carolo Hiſpaniarum Principe, Philippi filio, ac de Iſabella Henrici II. Galliarum Regis filia, Philippi uxore.

(42) *Remigius Drutius* Brugenſium, & *Cunerus Petri* Leovardienſium Epiſcopi.

(43) Hyppolitum Perſyn.

(44) *Cripius*) Guilielmus, qui poſtea fuit Cancellarius Gelriæ. In Catalogo Senatus Hollandiei apud *Van Leeuwen Bat. illuſt. p.* 1476. *col.* 2. lego: *Mr. Willem Cryp Penſionaris van Delft, wert Ordinaris loco A. Van der Myle* 20. *Sept.* 1568. In Ge-

Digitized by Google

generi tui fratris, qui ſtatum ſponte dimiſit, ſurrogatus eſt; quid Milio Conſiliario ac fratri ejus acciderit, ex Loii literis cognoviſſe te arbitror.

(45) Heſſelius affinis meus adhuc apud Antverpiam cum Vargaſio ſaxum hoc longe moleſtiſſimum volvit, ob quod non minus odii, quàm ex decimi denarii commiſſione in Flandria contraxit, bellisque hactenus promiſſis lactari ſe paſſus eſt, quæ vereor ne in fumum abeant. Conjugem certe ejus peſſime habuit, quod his cauſis ſe tantopere involverit, cùm, ut te meminiſſe exiſtimo, inter pacta nuptialia conveniſſet, ut Procuratoris Generalis officium dimitteret, ſeque contracta invidia explicaret. Secretariorum noſtrorum cauſam antea aliquoties DN. V. rogavi, ut Regi commendare vellet: & profecto Bertius, Scharembergeruſque bonam aliquam recompenſam meruere, qui, hoc proximo ſemeſtri caſtra ſecuti, magnos ſumptus, laboreſque pertulerunt. Senior autem Vander Aa novem prolibus gravatus, ac ætate morbiſque confectus, & ex oculis pene perpetuò laborans, plurimum veretur, ne mors recompenſam præveniat, ac aliquoties lachrimans me obteſtatus eſt, adjutor ut eſſe vellem, quò ipſius inopiæ Regia Majeſtas, quemadmodum dudum promiſit, ſuccurrere dignetur. Et profecto eorum, qui Regi hîc inſerviunt, hoc pejor eſt cauſa, quod mutatis Gubernatoribus, quæ antea meruerunt, ab ipſis non agnoſcuntur: fereque propenſiores ſunt, ut ſuos, quàm Regios miniſtros locupletent. Exemplo eſſe poteſt Armenterius unus, qui

Genealogia Viglii, dicitur, ejus e ſorore Mintzia neptis Ida Hoytema, nupſiſſe *Guilielmo Cripio Penſionario Delphenſi ac poſtea Regio Conſiliario in Hollandia.* Is anno 1574. in Senatum Mechlinienſem adlectus eſt apud *Butkens Suppl. tom. 2. p. 316*.* Et 15. Sept. 1582. Cancellarius Gelriæ creatus eſt apud *Knippenberg Hiſt. Eccleſ. Ducat. Gelriæ p. 287.* Quod hîc de Myliis (*Van der Myl*) indicatum vult *Viglius*, id apud *Leeuwium* quære p. 1018. & 1019. ubi *Adriani Mylii* Conſiliarii frater *Cornelius*, *Hopperi* gener eſſe docetur. Porro ex *Leeuwii* dictis colligo, ambos a fide Catholica defeciſſe. Id ſcilicet illis *acciderit.*

(45) *Heſſelius*] Jacobus, cujus fortunam explicui ad N. LXXI. Vitæ.

Digitized by Google

qui pancis annis solus plura acquisivit, morienaque reliquit, quàm omnes hujus Curiæ pene Secretarii in bonis habent. Tanta est differentia inter servitores: & tamen nemo illorum est, cujus si recte servitia pensentur, qui non longe majora fuerit promeritus. Ajunt parari ab his, qui confiscationum administrationem habent, quendam, ut dicunt, statum, quo Rex dispiciat, quid cui donare velit. Sed ii hactenus unam duntaxat paginam inspexerunt, quantum videlicet uniuscujusque bona valere videantur; sed quid ex illis debeatur, solvere hactenus recusaverunt; & nescii plerosque ex istis hominibus parum fuisse solvendo, ut, cui multum Rex se dedisse putabit, is parum aut nihil inde consecuturus sit.

Mihi vero si obtingere posset hoc, quod toties efflagitavi, ut Regia Majestas servitiis meis conducta benigne missionem concederet, longe omnibus aliis præferrem, felicissimumque me existimarem.

Ab nepotibus meis, aliisque, qui Salamanticæ sunt, literarum aliquid accipere, ac intelligere aveo, quomodo vitam studiaque instituant, ac Hispanicis moribus linguæque se accommodent.

Ex Aggæi literis Spiram cum nova conjuge eum appulisse, nec minus quam te uxorium esse intelligo. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. v. Decemb. CIↃ IↃ CXVIII.

EPISTOLA LXVIII.

De nepotum suorum rebus privatis. De Catalogo librorum prohibitorum renovando. Quæ hac in re difficultas? Dolet Imperatorem (Maximilianum II.) *Albani actiones sinistre interpretatum esse; suggerens interim remedium. De venia, gratiaque generali quæ spes? Vergasii severitas non minuitur. Meditatam per Albonum reformationem Reip. non probat.*

CUm quinta hujus mensis, CL. D. HOPPERE, Magistro postarum literarum fasciculum commisissem, postridie accepi

Digitized by Google

accepi tuas XV. ac XVIII. Octobr. scriptas, conjunctasque iis, quibus inscriptæ erant, fideliter reddi curavi: itaque cum tunc quæ occurrebant perscripserim, minus nunc materiæ superest.

Ab Nepotibus meis, Decamanisque aliquid literarum una allatum gaudeo, hortarique te velim in primis ipsos Decamanos, ut ad matrem frequentius scribant, quò ipsorum valetudinem meumque in subministranda ipsis pecunia officium illa intelligat.

Spero autem per Bravium in numeranda pecunia nihil fore difficultatis, & sexcentos florenos, quos M. Bucho mutuo isthic accepit à Bruxellensi quodam, me actutum renumerasse ad DN. T. perscripsi. Quæso autem, ut si commodam rationem tenebis, aut aliquem nosti, per quem pecunia destinari, aut permutari illic possit, mihi indicare non graveris, & circa quod tempus, quamque summam iterum ad illos mitti conveniat, admoneas; frugaliter autem sumptus facientibus necessaria deesse non sinam.

Conjunxi quoque hisce fasciculum, quem ad eos Salamanticam per DN. T. curare velim. Ad Tyletanum scripsi de Catalogo librorum prohibitorum, qui diu renovatus hîc non fuit, nec certe ratio nobis satis constat, qua, tot novis quotidie succrescentibus libris, malos à latebris bibliopolarum, qui ex his majorem, quam ex bonis libris quæstum faciunt, excludamus. Quum primum autem aliquid responsi ab Tyletano accepero, tuis, Inquisitorumque votis satisfaciam.

Doctori Milio primus debetur locus ad Præbendas Condacenses, cùm eis, qui in Rotula præcedebant, provisum jam sit. Capellano meo mandavi, ut ejus curam habeat, lubenterque una intendam, ne Milio aliqua fiat injuria.

De Reginæ nostræ obitu valde & hîc dolemus, atque ei, cùm in omnibus oppidis justa persoluta sint, tum hîc exequiarum apparatum facimus (46) contra Illustrissimi Ducis reditum.

Imperatorem fuasu quorundam, Excellentiæ suæ actiones si-

(46) *Contra &c.*] Turrissimus Flandricissimus. *Tegen des Hertogs wederkomst.* Sed ita est in MS. & apud Gabbema.

Digitized by Google

siniſtre interpretatum, non potui & ego non dolenter ferre, præſertim cum inde fiat, ut & cæteri Principes, qui erga Regem non male affecti fuerunt, in eandem ſententiam facilius inclinent; licet ego ſuggerere non omiſerim, quæ ad objecta diluenda facere mihi videbantur. Verùm cùm jam pridem Archiducem Carolum iſthuc adveniſſe intelligamus, vos, ſpero, huic malo remedium iſthic adhibituros.

De venia, gratiaque generali Dux aliquam ſpem facere nobis incipit, meque ejus formulam concipere juſſit, ſed Vergaſii ſeveritas nihilo ſit remiſſior. Ubi vero ad reformationem Reip. noſtræ, quam Dux meditari dicitur, atque ad rei nummariæ ſubſidia extraordinaria venietur, veremur, ne unum ulcus alteri ſuccedat: quibus remedia difficulter inveniemus, cùm commerciorum bonam partem una cum populo, qui ſolum mutavit, amiſerimus; ac ab militum gravaminibus nulla pene urbs, patriaque immunis exiſtat. Qualis autem reformatio inſtituatur, ex formula Groningenſis Provinciæ, quam ad DN. V. nuper miſi, colligi poterit.

Conjugem tuam ad nos ante profectionem in Hiſpaniam redituram ſperamus, ſi modò terra iter facere inſtituerit: interea ſe Goudæ continet, cum tota familia, niſi quod famulum, famulamque ad ædium curam hîc reliquerit. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. XII. Decembr. CIↃ IↃ LXVIII.

EPISTOLA LXIX.

De Tyſenachii in Belgium adventu gaudet & præſidali officio Conſilii privati ceſſit, ipſe permanere juſſus cum titulo præſidis Conſilii Status; quem, quòd Rex honorifice ad eum ſcripſerat, acceptavit. De ſalario & remuneratione modeſte monet. Pro ſucceſſore Nitzenii Aggæum Albadam reſpuit. Senatoris Rueda adventus, alii exteri expectati: quibus Belgas cedere debere, ironice profert. Epiſcopus Leovardienſis. Friſiam adiit. De choraulis Lova-

Digitized by Google

Lovanii ac Duaci locandis. Historiographi Regii munus Boëtius frustra petit. De controversia cum Angliæ Regina Elisabetha. De Hopperi uxore in Hispaniam navigatura. De nepote Folcardo rebusque privatis. Denneterium infirmum commendat. Judoci Tiletani ac Vulmari obitus.

CUm tuas literas, CL. D. HOPPERE, XXVI. Decembr. scriptas, XXII. mensis Januarii accepissem, paulo post, hoc est XXVIII. ejusdem mensis die, Dominus à Tysenach salvus ac incolumis huc appulit; unde duplici sum gaudio perfusus : & quod tam ample de rebus omnibus me certiorem reddiderit, & quod illum, quem jamdudum expectavi reducem, tandem conspexerim : jamque ei lampada tradidi, possessioque Præsidalis officii me cedente ab illo suscepta est. Quoniam autem Regi visum fuit, ut hîc permaneam, locumque in Consilio Status retineam, voluntati ejus refragari nolui, quamquam præsidis titulo nihil opus esse mihi videbatur, quem, uti scis, nunquam ambivi; & sane neque pedes, neque manus, neque lingua, munia, quæ olim D. à Sancto Mauricio (1) in repartitione officii Præsidalis attributa fuerunt, congrue obire possunt. Verùm cùm Regia Majestas tam honorifice, benigneque de eo suscipiendo ad me scripsit, ac Tysenachium adjutorem mihi dederit, faciam quod potero, atque in eam sententiam breve epistolium ad suam Majestatem adjunxi, quod cùm D. V. offeret, aut de eo ei referet, suam velim commendationem adjungat.

De salario mihi relinquendo, etsi Rex nihil scripserit, Majestatem suam interpellandam non putavi; facile contentus eo, quod Illustrissimus Dux forte de eo scribit. De remuneratione verò, cujus Majestas sua in literis suis meminit, quodque de ejusdem liberalitate in Collegium meum conferenda D. T. aliquoties perscripsit, cum tempore forsitan aliquid cognoscam : nam etsi quidam de mercedibus, ut vocant, ad Ducem scriptum arbitrantur, illi tamen hactenus visum non fuit cuiquam Regiam munificentiam declarare.

De

(1) *D. Sancto Mauricio*] V. Notas ad N. LVIII. Vitæ, tertio loco.

Digitized by Google

De ſucceſſore in Nitzenii (2) locum Dúx, habito diligenti ſcrutinio, aliquid quoque ad Regem ſcribit; verùm ille, in quem majora vota concurrunt, nihil de ea ſcit, vel ſaltem apud me pulchre diſſimulat, & eum quoque non magnopere eam dignitatem petere in hac temporum perturbatione arbitror. Ego vero illo, etiamſi nulla mihi affinitate conjunctus eſſet, magis idoneum in collegio neminem cognoſco; nam Aggæum, cætera idoneum, propter nimiam tamen lenitatem, & ob eam, de qua ſæpe coram locuti ſumus, opinionem, promovere non auſim.

Piratæ adhuc littoribus noſtris inſident, ſed brevi forte, ſi ſucceſſus conſiliis reſponderit, diſturbabuntur. Petitio, quam in locum decimi denarii ſurrogari viſum eſt, non ita, ut cupimus, ſucceſſum habet, ac, cum multa ſint Statuum capita, difficile eſt ſub unum pileum ea redigere.

(3) Rueda Conſiliarius huc ſub initium Januarii advenit. Is vero, qui ex Italia mittetur, adhuc expectatur. Tertius, Patavinus quidam, qui apud Dolam jus Civile aliquot annis profeſſus eſt, huc itidem eſt evocatus. Qui, ut noſtra ingenia forſitan non temere contemnent, ita ipſis lubenter honor viciſſim exhibebitur, & fortaſſis non magis quam noſtri, imperium ejus; (4) quod hactenus in novo iſto Conſilio ſolus exercuit, perferre poterunt. DN. autem V. ſuavitet

(2) *Carolus Nitzenius*] Præſes Senatus Friſiæ cùm extremum diem clauſiſſet, Collegarum ſuffragiis, novo more, ſucceſſorem accepit *Igramum ab Achlen*, quem hîc *Viglius* indicatum vult. Et ita quidem ſcribit *Winſemius lib. 2. Hiſtor. p. 134. in fol.* Sed ex hac epiſtola liquet, Senatum, non ſibi præſidem dediſſe, ſed propoſuiſſe Regi: quod jus *nominationis* vocamus.

(3) *Rueda*] Gabbema ſcribit *Roorda*, quod eſt nomen Friſonis. Arbitror *Viglium* indicare *Hieronymum Roda* conſiliarium Hiſpanum, & in tumultibus anni 1576. famoſiſſimum juxta & audaciſſimum, qui Gubernatoris Generalis & nomen & auctoritatem uſurpavit. Fuit hoc tempore, cùm *Viglius* ſcriberet, in *Conſilium turbarum* adlectus cum aliis exteris, uti mox innuit. In epiſt. XCIV. dicitur 8. Decembr. adveniſſe. Hic autem, ſub initium Januarii. Poſt ſub *Requeſenio*, in Conſilium Status cooptatus fuit. V. Epiſt. CCXXX.

(4) *Imperium ejus*] nempe Joannis Vargas. Porro quod ſubdit, in Hiſpanos ironice dicit.

Digitized by Google

viter mecum philoſophetur, noſtros, qui aliquam rerum peritiam ex libris magiſtriſque didicerunt, illis, quibus natura conceſſit, ut in ſcrinio pectoris omnia jura recondita habeant, cedere merito debere. Epiſcopus Leovardienſis Friſiam adiit, comitantibus eum Decano Sanctæ Gudulæ, ac nepote meo, Præpoſito Sancti Joannis, quem ſpero noſtrates omni debito honore ſuſcepturos. De dote autem quid ſperare debeat, ex ſcripto hiſce adjuncto æſtimare licebit: quanquam, quoad poterimus, ejus cauſam contra refractarios Monachos (5) tuebimur, ſed nimis propere in penſione vos alium ſurrogaſtis.

De Choraulis (6) aliquid Dux Majeſtatis ſuæ literis reſcribit, & ego meam operam lubenter, ſive apud Lovanium, ſive Duacum, aut utrobique accommodabo, ſi modo ſciam, quid Majeſtas ſua impendere velet: etenim juxta panni quantitatem veſtem confici oportebit. Præclare autem Majeſtas ſua factura eſſet, ſi duodecim apud Lovanium, totidemque apud Duacum in Collegiis communibus, ſi propria erigere forſitan gravabitur, educari curaret, attribuendo ſingulis Collegiis mille florenos annuos ex bonis fiſco addictis.

Ad Boëtii (7) noſtri petitionem, Dux nullo ejus in hiſtoria ſcribenda conſpecto ſpecimine, & quod videt nonnullos parum prudenter hoc tractare argumentum (neſcio quem novitium apud Hiſpanos Hiſtoriographum allegans) parum propenſus videtur; id officium pertinere dicens ad Courtewillium Ordinis Aurei Velleris Graphiarium, ut is res dignas memoriæ mandet.

De juramento ab his, qui ad Eccleſiaſticas dignitates nominantur, præſtando, Regiam Majeſtatem ad Ducem aliquid reſcripſiſſe arbitror, cùm id jam ab omnibus exigi juſſerit.

Cum

(5) Bergumenſes. Vide Epiſtolam proxime ſequentem. Cœnobium Bergumenſe Canonicorum Regularium ſedi Epiſcopali Leovardienſi a Pio IV. unitum fuit, quo cùm difficulter Epiſcopus potitus ſit, monachos dicit *refractarios*.

(6) *De Choraulis*] Significatos hîc puto pueros, choro addictos, qui adhibentur ad cantum muſicum & ad ſerviendum miniſtris altaris.

(7) Boëtius Epo Rordahuſanus Friſius, de quo *V. Suffridum Petri, Miræum, Val. Andream, Heuſſenium in hiſt. Epiſc. Leovard.* Nullus hujus ejus prætenſionis meminit.

Digitized by Google

Cum Anglis adhuc in eodem hæremus loco, & quamquam Regina authoritati Regiæ aliquid tribuere videtur, ita tamen contrariæ Religioni affecta est, Ducisque odio flagrat, ut hoc rerum statu nihil adhuc boni sperare liceat; interea nostri mercatores, dum vestram resolutionem super re maritima expectamus, sese sic instruunt, ut sperent sine periculo navigare se posse. Et quoniam conjunx tua mari se non lubenter credit, dissuadere tamen non possumus, ut quæ in Hispaniam ferri desiderat, navigio committat. Aliud autem iter, quo Tysenachius venit, perlongum ei videtur, præsertim cum liberis parvulis, tamque multis; quos hîc amicorum curæ commendare præstat, & uno alteroque contenta, pro itineris peregreque degentis solatio. Ego autem lubentissime illi omne Consilium, auxiliumque impatiar, ac, siquidem certi aliquid resolverit, omni studio vota ejus una dirigam.

De nopote meo Folcardo antea D. V. prolixe scripsi, & si quid de eo jam statutum est, precor, ut felicibus auspiciis id exequatur: sin autem adhuc apud D. V. hæret, consilium de eo in Germaniam cum Principibus ablegando, interdum apud me in dubium revoco, cùm mecum perpendo, quam illi periculosa erit conversatio inter homines de Religione minus recte, aut constanter sentientes; & nostri suspectos omnes habent, qui in ea regione egerunt. At quoniam fortassis utilius ei fuerit apud D. V. morari, quam apud Satrapam aliquem Hispanicum, moresque ejus D. V. haud displicere intelligo, si aliqua ratione à D. V. impetrare possim, eandem plurimum rogatum vellem, ut in familia tua uno alterove anno permanere possit, ita ut scribendo, aliaque ministeria obeundo sese exerceret, linguamque Hispanicam ac mores Curiæ absque aliquo corruptelæ periculo perdisceret. Viciſſim autem ego aliquot ex tuis liberis sumptum lubenter subministrare, curamque eorum gerere paratus ero.

De oblata matrimonii conditione per B..... conjunx tua aliquando mecum contulit, sed filiæ animum eo inclinare nequit, cùm ætas nimium sit impar; alterius vero cujusdam forma atque anni magis correspondérent, & patrem ado-

lescentis

lascentis erbitramur in ejus matrimonii favorem non illiberaliter eum tractaturum; verùm optaremus aliquid ei muneris posse obtingere in quo se exerceret, ne otio, (quod fieri solet) torpesceret: de quo forte conjunx tua plura apertius ad te scribet, aut coram. Zaiæ multum debeo, qui quantum exponere poterit mihi favorem, exhibet; velim autem occasionem mihi offerri, ut eum ei referre possem; lubentissimeque, si quando me adhiberi contigerit, ut de iis, qui gratiam Regiam promerentur, sententiam meam dicam, quod hactenus factum non est, ejus rationem haberi curabo. Nondum autem animadvertere potui ulli nostratium ea communicari præterquam Noircarmio.

Dennecerium nostrum (si totus convalesceret) D. T. non minus, quàm quemquam alium usui fore arbitrarer: est enim candidus, naturaque ad indole minimè mala præditus; manuque pollet & facili & grata, quem D. T. etiam atque etiam commendo; sin verò vetus morbus forte recurret, nihil erit consultius quàm huc eum tempestive remitti, cum aliqua Regiæ Majestatis commendatiuncula, ut saltem id quod de Secretariatu Ducissa tecum abeunti concessit, ratum firmumque Dux habeat.

Heri hìc amisimus optimum, doctissimumque virum, & ornamen Academiæ Lovaniensis, Judocum Tyletanum, ac paulo ante Vulmarum, (8) quorum obitum una cum multis bonis viris non possum non deplorare. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. IX. Feb. CIↃ IↃ LXIX.

EPISTOLA LXX.

De Folcardo nepote, de Episcopo Leovardiensi. Pro subsidiis ab Albano rogatis, & pro Anglici negotii

(8) *Vulmarus*] cognomento *Bernardus* J. U. Doctor Lovaniensis, qui & Concilio Tridentino interfuit. *Vide Joan. Franc. Foppens Biblioth. Ecclesiast. tom. 2. pag.* 1160. Interfuit quoque Concilio Status Bruxellis per Margaretam Parmensem condito, de quo *V. Hopperi comment. Gallicum part. 2. cap. 4. & 5.*

Digitized by Google

negotii ſucceſſu, vota facit. De variis rebus privatis. Res maritima magis quàm hactenus curanda. Res Catholicorum in Anglia, & Hugenottorum in Gallia. Obiter loquitur, quid cum innominato Comite agere ſtatuerit.

Cùm curſor, CL. D. HOPPERE, cui literas jam tradideramus, pedem in ſtripedio haberet, ecce aliæ à vobis adſunt, quæ illum ſunt hactenus remoratæ: itaque haſce cum illis unà accipies.

Denneterium melius valere gaudio. De Folcardo, quod voles, ſtatues: ipſum enim ſpero in omnibus obſequuturum, quanquam ob eam, quam indicavi cauſam, propemodum illum in familia D. V. (ſi fieri queat) manere malim.

De Epiſcopi noſtri Cuneri in Friſiam profectione, ipſiusque ſucceſſu, ne ipſe prolixus eſſe cogar, ex ipſiuſmet literis plenius intelliges; ac non deſperamus, cum Priore Bergumenſi tandem hoc, quod deſideramus, nos effecturos.

De ſubſidiis, dum Status inter ſe convenire nequeunt, Dux aliquid tandem determinavit; qui utinam volentes lubentesque acquieſcant.

Circa Anglicum negotium DEUM precamur, ut cor Regis dirigat, &, quæ conſtituet, proſperet: res enim magna eſt, quæ humana conſilia excedit, & à DEI numine potiſſimum pendet.

Caduceator, de quo D. V. ſcribit, nondum huc advenit, & lubenter ſubminiſtrabo, quod petet, quanquam nuper mille florenos annumeravi pro Salamanticenſibus noſtris ejus procuratori, à quo eam pecuniam M. Bucho acceperat.

Tractatus noviſſimos cum Gallis, Anglis, Scotis, Danis ac Statibus Imperii initos, deſcribi juſſi, primamque ad te cum hoc curſore mitto.

Itineri veſtro bene precor, ac concedere dignetur Omnipotens, ut cum victoria læti redeatis.

Doctoris Milii lubenter meminero, ſi quando occaſio dabitur. Langio noſtro ſignificavi, quod D. V. apud Reverendiſſimum Epiſcopum Brugenſem agere eum cupiat, & certe

Digitized by Google

certe Franciſcus Denneterius hoc favore, beneficioque eſt digniſſimus; eſt enim juvenis pietati literisque deditiſſimus, & jamdudum ſacerdos factus in concionandi munere ſubinde ſeſe exercet. D. autem V. gratias ago, quod meorum meminerit, ſed hoc tempore non habeo, quem magnopere commendare velim.

Heſſelius noſter filium ſuum Franciſcum Piſis amiſit, de quo eo magis dolet, quod jam ſpes ei à Duce facta erat conditionis Senatoriæ in Curia Hollandiæ, & quanquam nepotibus meis hæreditas accreverit, ſperabam tamen, ſi ſupervixiſſet, ex ipſo majora eis potuiſſe commoda obvenire.

Rem maritimam majori curæ habere debebimus, quam hactenus factum eſt, ſi navigationem, negotiationemque conſervare, & ab quotidianis piratarum incurſionibus littora noſtra tueri voluerimus: quod hîc quidam inculcare non deſinunt, & jam XII. inſtructæ ſunt naves apud Amſterodamum, quibus experiemur, an ii, qui hac hyeme ſe in Amaſo continuerunt, propulſari queant.

Catholicis, qui in Anglia Reginæ tyrannidi ſe opponere moliebantur, res haud bene ceſſit, ſed poſtea ſecuta eſt Gubernatoris Scotiæ mors, quæ fortaſſis ibidem aliquam mutationem adferet, ut Reginam ſuam apud Anglos detentam Scoti repetituri ſint, Et Gallorum fortaſſis favor accedet, quos jam certo intelligimus cum Hugenottis ſuis concordiam (de qua ſemper metuimus) iniiſſe, quæ non magis ſtabilis, quàm præcedentes, futura videtur; uti ſane duplicem Religionem una Regio non ſatis admittit.

Comitem M. A. nunquam me vidiſſe memini, nec ſcio, qua fronte ignotum compellam, aut novos amicos quæram, qui veteribus ſatisfacere nequeo. Et ut ille mihi omnia, ut ſcribis, communicet, non deſidero, & apud Illuſtriſſimum Ducem parvam mihi gratiam pararet, ſed ipſius Celſitudini, quæ Regiæ Majeſtatis ſervitium concernunt, lubenter ſuggeram, ut ille, quæ opus eſſe viderit, prædicto Comiti communicet.

Conjugem tuam, ut certi aliquid de itinere ſtatuat, perpellere hactenus non ſatis potuimus, & opus fore videtur, ut D. V. quod tutius, utiliuſque duxerit, ei perſcribat.

scribat. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ, XVIII. Februarii CIↃ IↃ LXIX.

EPISTOLA LXXI.

Ut nepos Folcardus frugaliter vivat, Hopperum moneat. Quantum Boëtio pro annuo salario (Historiographi Regii) pendendum. De itinere uxoris Hopperi, & Bournelli quodam negotio.

HEri, CL. D. HOPPERE, redditæ mihi primum fuere literæ tuæ, XXVII. Decembr. scriptæ, quibus me D. V. certiorem facit, de trecentis florenis in usus Folcardi mutuo sumptis, quos etsi mercatori (ubi petierit) solvere non recusabo, nepoti tamen velim dicas, ut frugaliter, eos dispenset, cùm pro currente semestri centum quinquaginta floreni antea ex pecunia per Buchonem recepta, ei annumerati fuerint: & jam pridem ad D. V. scripsi, gravate tantum in unum nepotem pecuniæ expendere; cùm sciat patris fortunam nullo pacto tantis sumptibus sufficere, & me plures nepotes, neptesque, qui eodem mihi gradu jungantur, habere, non ignoret, qui ex beneficentia fere sustentantur.

Boëtius noster ex Duaco huc venit, diligenterque suum negotium prosecutus est; verùm ego, etsi ei quantum potui sim patrocinatus, aliud hic ab Duce obtinere non potui, quàm quod Excellentia sua ad Regem scribit, & illum certe habebis, si impetrare queas, ut mille quadringentos florenos in singulos annos Regia Majestas ei donare dignetur. Laudant quidam plurimum ejus constantiam, sed occino aliquando vetigatum ei versiculum.

Scire volunt omnes, mercedem solvere nemo.

Conjunx D. T. mallet certe per Italiam in Hispaniam redire, sed nonnihil eam sumptuum magnitudo terret, cùm Dominus Præses à Tyssenach supra tria millia florenorum hic iter hoc impenderit.

Ro-

Rogatus nomine Bournelli, Gubernatoris Bapaumensis, ut negotii, de quo Dominus Dux ad Regem scribit, expeditionem D. V. commendarem, non potui hoc officium denegare, teque enixe rogo, ut ejus desiderio satisfacere non graveris. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. XXII. Febr. CIↃ IↃ LXIX.

EPISTOLA LXXII.

Consiliarius Rueda (Roda) *infirmus. Rollemæ causa. Adversus centesimum denarium reluctationes. Secretarius La Torre custodiæ traditus ob Bullæ Coenæ Domini impressionem. Ultrajectenses quare in Albani indignatione.*

CL. D. HOPPERE, præterita hebdomada literas, diversis temporibus scriptas, cursori, cujus abitus aliquantum retardatus hîc fuit, commisimus, & quoniam Duci visum est, propter publica negotia duplicatas alia via ad Majestatem suam mittere, eadem occasione trium tractatuum hisce conjunxi exemplaria, videlicet cum Statibus Imperii, Anglis ac Danis, reliquos, quos te petere intellexero, per opportunitatem quoque missurus. Cum his etiam mitto literas ab Aggæo nostro, ac ab Decamanorum nostrorum, qui Salamanticæ agunt, propinquis.

Consiliarius Rueda, qui ex Hispania huc cum Tysenachio advenit, satis periculose aliquot diebus laboravit, sed jam morbo defuncto salubriorem valetudinem medici promittunt. Rollemæ nostri causam sub incude esse audio, & quantum rescisci mihi licuit, de ejus absolutione bene spero.

Adversus centesimum denarium nonnulli Ecclesiastici reluctantur, ac in primis Middelburgensis Episcopus, suadente, ut nosti, Vicario, (9) qui ita rem cordi habuit, ut mortis ei causam præbuisse feratur; ac La Torre Secretarius

(9) *Vicario*] Joanne Sireyeno. De quo ad Epist. VIII.

tarius noſter nondum à cuſtodia (10) abſolutus eſt, qui licentia Bullæ Cœnæ Domini imprimendæ citra Conſilii permiſſionem conceſſa, cauſam hiſce turbis dediſſe inſimulatur: Trajectenſes noſtri adhuc in reatu ſunt, & quanquam fortirer Brederodio, Principique Orangiæ reſtiterint, propter tamen edictum quoddam in perturbatione ejus temporis imprudentius publicatum, gravem accuſationem ſuſtinent; & quod difficiles ſe exhibuerint in conſenſu poſtulatorum ſubſidiorum, Illuſtriſſimi Ducis indignationem contra ſe auxerunt. Dux quoque offenſus, ſive pertæſus nimia dilatione reſponſi nonnullorum Statuum ſuper noviſſima propoſitione, reſolutionem ſuper decimi denarii exactione eam ſumpſit, quam D. V. hiſce adjunctam videbit; quam non omnes æquis auribus animiſque percipient; ac utinam ſine alteratione obſequium ſuum accommodent.

Si quæ de rebus meis Excellentia ſua ad Regem ſcribet, iis, quæſo, ut te iſthic patronum ac fautorem exhibeas. Gratiſſimum autem mihi erat futurum, ſi omnino me ſervitute Curiæ Rex liberaſſet: ſed quando hoc à Majeſtate ſua, multoque minus ab Duce impetrare potui, da, quæſo, unà operam, ut hæc ſtatus mei mutatio mihi non fiat, aut damnoſa, aut dedecoroſa. Bruxellæ. Cal. Martii. CIↃ IↃ LXIX.

EPISTOLA LXXIII.

Piratæ a Friſiæ littoribus profugi. Marchio ab Havrech & Mansfeldius ægroti. Edictum de libris prohibitis ex qua officina? De uxoris Hopperi profectione. Courtewillius ad obſequia Regis inutilis effectus.

CL. D. HOPPERE, Cal. Martii cum duplicata pararetur, ad te aliquid literarum adjunxi: poſtea verò tuæ allatæ

(10) Domi ſuæ primò detentum, dein ſuſpenſum fuiſſe ab officio per unius anni ſpatium, ſcripſit *Borrius lib. 5. p. 207. vol. 2. prior. edit.* Idem ſcribit *Viglius* inf. in Epiſt. CV.

Digitized by Google

allatæ sunt VII. Febr. Gandalupæ datæ, ac jam Cordubæ vos esse speramus. Quos autem ad vos dederamus literarum fasciculos mense Febr. eos ab hugenottis interceptos ajunt, quod tamen à multis hîc non satis creditur, & stratagema aliquod esse putant; lubuit tamen mihi exempla aliquot literarum, ad te missarum, hisce adjungere, ut, quid antea scripserim, certius ex illis cognoscas. Cùm autem multorum literæ ipsis conjunctæ fuerint, pergratum mihi facturus es, si de singulis, quas à me acceperis, cerriorem me reddas. Piratæ, qui litora nostræ Friliæ inquietabant, intellecto apparatu, qui contra eos in Hollandia instruebatur, profugêre omnes, amissis tamen aliquot navibus per tempestatem subitò exortam, quæ & nostras prohibuit, ut illas impetere nequirent.

Veremur ne Domini ab Haurech morbus funestum habeat exitum. Mansfeldii quoque dubia est valetudo, cùm ea vulnera difficulter curam admittant.

Edictum (11) de reprobis libris hîc publicatum est, cujus ad te exemplar mitto, quod ex Vergiana officina prodiit, Aria Montano operam illi dante. Neque illis eam gloriam Secretum Consilium invidet, à quo me, adventu Domini Tysenachii, exemptum gaudeo.

Francisco Denneterio (12) Episcopus Brugensis in tuam gratiam Præbendam obtulit, idemque Cameracensis fecit; sed frustrà, ut futuris pullis præsentia ova præferat.

De uxoris tuæ profectione nihil certi scribere hactenus D. T. potui, sed hesterna nocte, cùm apud me cænaret, indicavit, se magis propensam esse, ut cùm proxima classe isthuc naviget, id quod minus ei sumptuosum erit, nec tanto tempore in itinere morabitur, speramusque ei nihil fore periculi.

Do-

(11) De hoc Edicto Vide *Borrium* lib. 5. fol. 225. *prior. edit.*

(12) In *Comp. Chronol. Episcopor. Brugens. pag.* 166. *ita lego:* „ 1571. die 29. Martii Franciscus Dennetieres S. T. L. nobili „ stemmate oriundus, clericus diœcesis Tornacensis, defectu „ diœcesani nobilis Brugensis, ad hanc præbendam (*ordine vigesimum, & nobili diœcesano graduato affectum*) ab Episcopo Driu„ tio assumptus, paulo post resignavit, obtento Canonicatu „ in Cathedrali Tornacensi. "

Digitized by Google

Dominus Courtewillius alterius pedis greſſu plane deſtitutus eſt, nec quoquam ſine duobus baculis progredi poteſt, ut valde dubitem, an Regiæ Majeſtatis obſequiis amplius inſervire poſſit; verùm nihil de eo mihi conſtituturus eſſe videtur niſi ex Ducis conſilio ac voluntate. Quamobrem Denneterium cuperem tantiſper D. T. operam dare, donec Courtewillius aliquid reſolverit, aut ſi vetus ejus morbus recurret, non aliud habeo quod conſulam, quàm quod antea ſcripſi. Commiſſionem Domini Tyſenachii Courtewillius ad D. V. miſſurum ſe dixit, ut alio exemplo nihil opus eſſe videam. Bruxellæ. XIV. Martii. CIↃ IↃ LXIX.

EPISTOLA. LXXIV.

Scribit conſilium tandem captum de Hopperi uxore cum proxima claſſe in Hiſpaniam mittenda, ductore Oudardo Canonico, & ſocio Protonotario à Croy.

CL. D. HOPPERE, Cum ſuper itinere conjugis tuæ varie, diuque diſputaſſemus, ac illam, ut certi aliquid ſtatueret, urgeremus, tandem in eam condeſcendit ſententiam, ut cum proxima claſſe, quæ hinc ſolvet, iter hoc aggrediendum duceret, cum aliud, quod per Italiam ab. D. T. propoſitum fuit, non modo longum, & difficile, verùm non parum ſumptuoſum fore omnes affirmarint, nec minus periculi habiturum videretur, quàm quod mari inſtitueretur. Itaque hodie Illuſtriſſimo Duci reſolutionem ejus expoſui, ſententiam quoque ipſius requirens, & auxilium implorans, qui & ipſe illam laudavit, & favorem omnem obtulit. Et ſunt hîc alii nonnulli, qui ejus ſe comitatui conjungent, videlicet (13) Protonotarius à Croy, Comitis à Ruelxii frater,

(13) *Protonotarius a Croy*] Nullum eo tempore Familiæ *De Croy* eccleſiaſticum virum reperio, præter *Gerardum de Croy*, eccleſiarum S. Petri Inſulis Flandrorum, & S. Salvatoris Harlebecæ, Præpoſitum. De quo plura apud *Sanderum Flandr. Illuſtr. tom.* 3. *p.* 26.

Digitized by Google

ter, atque aliquot cantores, qui pro Regia Capella undique collecti sunt.

Conjugi autem tuæ adjungere decrevimus, D. Oudardum Canonicum Ecclesiæ Sancti Bavonis, Capellanum Regiæ Majestatis, qui eandem operam in reducenda D. Courtewillii uxore olim præstitit, virum cum primis prudentem, & industrium, quibus propriam navem præberi curabimus. Collocutus autem sum hodie cum ipso Courtewillio, ut quas necessarias literas existimaret, ne uxorem familiamque, aut bona ipsius teloniarii, aut alterius generis homines istic inquietarent, D. T. indicare dignaretur, quò eas tempestive isthic expediri, & ad loca portusque, ad quos eam appellere continget, mitti curare possit. Nos quoque similiter apud Illustrissimum Ducem omnia promovebimus, quæ aliqua ratione nobis utilia, necessariaque ei videbuntur. Significaboque D. T. si modo cursoris, aut tabellarii facultas concederur, quis hujus consilii progressus successusque fuerit; quem, DEO adjuvante, fælicem ac prosperum fore, ac D. V. diu expectata optataque ejus præsentia fruituram speramus.

Ab Domino à Chantonay (14) literas accepi, quarum hisce exempla conjunxi, cui tuo meoque nomine gratias agam; & postquam conjunx hoc consilium cæpit, ea ipsum sollicitudine levabo. Bruxellæ. XVI. Martii. CIↃ IↃ LXIX.

EPISTOLA LXXV.

Festa Paschalia Gandavi a se peracta scribit. In Tsommonis causa, non tam causæ, quàm judicibus diffiditur. Quid ei objectum. Joannes Empens profugus & citatus. Gratia, veniaque necessaria, quam cupit non esse restrictam aut limitatam. De Ducis apud Status postulatione. Arx Gro-

(14) *Dominus à Chantonay*] Thomas Perenottus Regis Philippi in Gallia legatus, & frater Cardinalis Granvellani. *V. Siradam, & Van Loeuwen Bat. Illustr. p.* 889.

Digitized by Google

Groningensis. Orangius Bipontino Duci conjunctus. Gregorium Ayala Septuagenarium, nunquam remuneratum, enixe commendat.

SCripsi ad te CL. D. HOPPERE, novissimis Calend. Aprilis, cùm postremæ, quas accepi, 11. Martii abs te datæ essent; nisi quod alias quoque postea acceperim, XXVIII. Januar. raptim abs te scriptas; miramurque quid vestro cursori, quem paulo post secuturum mense Martio scripseras, acciderit, quo minus hactenus ad nos appulerit.

Ego his proximis Paschalibus festis Gandavum invisi, mansique ibi per duas hebdomadas. Tsommonis causam Gurdius gener diligenter sollicitat, nec tam causæ, quàm judicibus diffidit, cùm in carcerem conjectis rarus pateat exitus. Objici autem illi audio, quod erga Iconomachos dissimularit, cùm tamen ab Ducissa de diligenter præstito officio laudatus olim fuerit, nec ego quicquam secùs de illo his perturbatis temporibus audierim.

M. Joannes Empens, ejus apud Armudam antea substitutus, ac postea ad Baillivatum Vlissingensem promotus, hoc casu Tsommonis ita perculsus fuit, ut & ipse mox profugerit: successoremque mox accepit, & Edicto publico proclamatus, sub pœna banni, vix, ut arbitror, comparebit. Et, nisi vos tandem gratiam, veniamque miseritis, non deerunt alii, qui male sibi timebunt. Veremur quoque ne illa ita restricta, limitataque sint, ut multis annis ab metu nonnulli liberi esse queant, sub his præsertim judicibus. Quamobrem optaremus Regis præsentiam, cujus clementia rigorem istum aliquo pacto mitigari, lenirique speraremus.

De postulatione Illustrissimi Ducis super contributione præstanda per Status hujus Provinciæ, nihil ad te scribere opus credidi, postquam propositiones, omniumque aliorum copias Illustrissimus Dux ad Regem miserit: & jam aliqui minores Status authoritate, seriaque petitione Ducis permoti assensere, sub spe, quod difficultates obortas ex æquo & bono moderabitur. Et consensu ab Ordinariis Ordinibus impetrato

Dux

Digitized by Google

Dux in Gelriam Frisiamque proficisci constituit, ut & illis hoc Evangelium prædicet.

Groningenses non solum in arcis ædificationem consenserunt, sed sexaginta quoque millia florenorum in sumptus faciendos obtulerunt.

Orangius (15) Bipontini Ducis castris se junxit, ac, cùm suo conatu frustratus fuerit, experiri desiderat, an sub alienis fælicius militabit.

Germani, Anglique male nobis minantur; verùm, si auxilia petita ab Statibus impetrare potuerimus, nec belli nervus defuerit, minus ab illis nobis timebimus.

Puto tibi de nomine notum esse (16) Gregorium de Ayala Protonotarium ac scriptorem Apostolicum, Romæ Regiæ Majestatis negotia tractantem. Hic cùm nobis in multis causis publicis diligenter, fideliterque inserviverit, unde ne obolum quidem unquam mercedis ei referre potuimus, pudet me nonnunquam ejus opera in tam multis Curiam nostram usam fuisse, præsertim in directione Episcopatuum, similiumque causarum: nec unquam ei gratiam aliquam retribuere potuisse, cùm ii, qui finantiis apud nos præsunt, ubique angustiam ærarii prætexant. & ejusmodi causas ad se pertinere non existiment. Nec D. T. ignotam esse puto, quàm parum

(15) *Bipontinus Dux*) Wolfgangus Bavarus. Suppetias tulit *Maximiliano* Imp. contra Turcas, & dein Calviniſtis in Gallia contra *Carolum* IX. ubi febri quartana obiit die 11. Junii 1569.

(16) GREGORIUS AYALA) Antverpiensis, illiusque urbis Scabinus, post a *Joanne Austriaco* Belgii Gubernatore designatus fuit in Suprema Brabantiæ Curia Consiliarius per literas nomine *Philippi* Regis expeditas 19. Julii 1578. Ejus frater *Balthazar Ayala* fuit eodem tempore Consiliarius in Supremo Senatu Mechliniensi, Vir scriptis clarus, de quo in *Biblioth. eccles.* J. *F. Foppens tom.* 1. Memoria *Gregorii Ayala* extat hodieque Antverpiæ in Sacello S. Bonaventuræ apud F. F. Minoritas hisce verbis: *Hoc Sacellum D. Gregorius Ayala extruxit; Iconoclastæ dejecerunt; D. Gregorius Del-plano nepos maternus restauravit, anno salutis* M. D. LXXXVII. Epitaphium ejus, uti & uxoris *Nicolaæ Beuckelaers* extat Bruxellis in templo F. F. Minorum, sed deest annus obitus.

Digitized by Google

rum quidam illorum erga illos afficiantur; itaque non possum non tuam D. rogare, ut si quando offeratur oportunitas, Regiæ Majestati ejus servitia commendare non graveris. Ac cùm LXX. annum, ut audio, prope attigerit, hominem bene meritum, nec diu, uti videtur, victurum, pensiuncula aliqua donare dignetur; quò beneficio Majestas sua alios in ministerium suum propensiores reddat. Paravi hasce literas in occasionem cursoris, si quem vel hac transire, vel hinc expediri intellexero; nec plura nunc addam, quàm conjugem cum tota familia recte valere. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ. XXIV. Aprilis. CIↃ IↃ LXIX.

EPISTOLA LXXVI.

Jansenii Episcopi Gandavensis libros duos Hoppero mittit.

CL. D. HOPPERE, Reverendissimi Jansenii Episcopi Gandavensis Commentaria in Proverbia Salomonis, ac ejusdem Paraphrases in Psalmos Davidicos magistro postarum commisi: ut, si quando ad Curiam Regiam cursor non nimium oneratus dimitteretur, unâ ad D. T. perferri curaret. Quæ cum jamdudum D. V. desideraverit, non dubito, quin pergrata futura sint, & id epistolio aliquo ad ipsum Jansenium attestari poterit. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Datum Bruxellæ. XXVI. Aprilis. Anno. CIↃ IↃ LXIX.

EPISTOLA LXXVII.

De pecunia in Hispania pro nepotibus suis numerata. Quid singulis annue dare constituat. Folcardum Gerbrandi fratris filium, domicellum aut Joinck-herum agere non sustinet. Commendat privatum negotium suum. Dux Albanus de reditu in Hispaniam cogitat.

CL. D. HOPPERE, post longam expectationem nostram tandem literas vestras, XIV. Aprilis. datas, VI. hujus mer-

Digitized by Google

menſis accepimus: quæ nos magna certe voluptate adfecerunt: quòd Regem, dominationemque veſtram, omneſque noſtros recte valere inde intelleximus. Cùm autem jam curſorem mercatorum hac tranſire in Hiſpaniam reſciviſſem, viſum mihi fuit, ad quædam literarum tuarum capita paucis reſcribere.

A Bravio, quæſo te, ut mille ducentos florenos accipias, neque cambii literas remittas, cùm hîc fortaſſe Schetzius in renumerando moram nexurus ſit, ut ſcis iſtorum hominum morem eſſe, licet jam pecunia mea annum fere totum fruitus ſit. Is vero, quem ſcripſi, de ſimili ſumma mihi oſtendiſſe ſecundas cambii literas, non ad me rediit, & crediderim cum primis D. T. ad me aliquid ſcripſiſſe, quod redditum mihi non fuit: & cum ille dilationem non gravate præbuerit, tuam juſſionem hactenus expectavi, & ſi eam ſummam hîc me perſolvere volueris, Bravii pecuniam in ſequentis anni neceſſitatem cedere velim.

Contentus autem ſum Hectori ac Folcardo Gerbrandi, Dekemaniſque centum ducatos in ſingulorum annorum dimenſum præſtari. Magiſtro autem Bucchoni & Montzimano ſingulis uſque ad ducentos ducatos, ſi his omnino opus habeant: cùm enim tantundem facile ex beneficiorum fructibus percipiatur, largius cum illis agendum puto.

Gerbrandi filio valde optaſſem apud Principes Bohemiæ, aut D. Joannem ab Auſtria locum obtingere: ad quod forſitan impetrandum Secretarius Pfinſnick adjutor eſſe poterat, ut autem in Regis aulam recipiatur, mihi nullo modo placet. Neque enim ejus ſunt facultates, ut otioſum illic domicellum agat, & me, parentemque ſuperfluis ſumptibus adficiat. Quod autem etiam famulum ei dare offers; qui eum comitetur, & equum illum conſcendere ſuades (quanquam non poſſum non gratias agere de benigna voluntate tua) tamen te maximopere rogo, ut id ne facias: Dan de lupſen komen wel in de peſs/ al ſet menſe niet daar in/ & ſervire, parereque eum antea velim, quam Jonck Herum/ (ut nos dicimus) agere. Et ſi poplites flexiles non habeat (ut patruus quondam meus dicebat) ad Friſiam ei redeundum erit, ubi ſimiles habent labra lactucas. Quod ſi vero apud Illuſtriſſimum Ducem De Feria locus dabitur, qui olim admodum be-

Digitized by Google

benignum se erga me præbuit, uti vili ministerio eum mancipari non velim, ita otio eum consumi nolim.

Privatum meum negotium exoptatum consecuturum finem omnino spero, postquam & Illustrissimus Dux Albæ ad Regem perquam favorabiliter scripsisse se asserit, & vestri Proceres se istius adjutores esse velle ostendunt, quibus me etiam atque etiam, ubi tempus locusque dabitur, quam officiosissime velim commendes. Quodque Zaias (17) ultro suum quoque favorem obtulerit, non possum non amplecti ejus benevolentiam, meque hoc beneficio sibi in perpetuo devincturum sciat, quod non omittam literis meis, ubi aliquem ejus successum perspexerim, ei testatum facere.

Ducem quoque nostrum de reditu in Hispaniam cogitare, & hic aliquando audivimus, sed an conveniat multum dubito. Quod si verùmtamen aliquid tale acciderit, cogitare te velim, an apud successorem Folcardo locum aliquem invenire queas: cum aliquem usum ei præbere posset ob linguarum qualem qualem peritiam. Ad cætera proximo cursore respondebo, cum nunc tempus defuerit. Bene vale CL. D. HOPPERE Datum Bruxellæ. VIII. Maii. CIↃ IↃ LXIX.

EPISTOLA LXXVIII.

Rursus de nepotum pecunia, eaque frugaliter dispensanda, & per Christophorum Hermannum procuranda. Aggæus Albada feliciter abest a Frisia. Consiliarius Quarreus ad Groningenses missus de præteritis motibus inquisiturus. Groningensis & Ruræmundensis Episcopi a suis bene recepti. De Jansenio Gandavensi; Monasterio S. Petri Abbas dandus. Conqueritur gratiæ publicationem differri, & novas interim fieri proscriptiones. Duo novi Consiliarii Frisiæ.

CL. D, HOPPERE, respondi ad aliquot capita literarum tuarum, VI. die proximi mensis ad me scriptarum, cùm tunc

(17) *Zaias*) Secretarius, nescio cujus, in Hispania; ut est in Epist. LXXIX.

Digitized by Google

tunc tempus non concederetur, de omnibus, quæ volebam certiorem te reddere.

De pecunia nepotibus meis ſubminiſtranda, jamdudum cupivi aliquid clarius ad me ſcribi: ſed intercidiſſe literas tuas credo, quibus ea de re mihi reſponderis. Cùm autem te, juxta petitionem meam, a Bravio recepiſſe pecuniam exiſtimo, atque jam nepotes mei, Dekemanique nova indigebunt; ac Andreas Betton alteris cambii literis hîc exhibitis, mille ducentorum florenorum ſolutionem petiiſſet, XI. hujus menſis ei promiſi, me, ſi nihil abs te literarum interea accepero, eandem ſummam intra menſis ſpatium ei annumeraturum. Te vero, mi HOPPERE, etiam atque etiam rogo, ut pecuniam eam ſecundum quod ad te prioribus literis ſcripſeram, inter ipſos frugaliter diſpenſari cures, & quouſque eam ſufficere poſſe videbis, mihi indices; quò poſſim tempeſtive de alia rurſus providere, quod per D. Chriſtophorum Hermannum Fuggericorum negotiorum iſthic adminiſtratorem recte me procuraturum ſpero: cùm ipſe Hermannus literis ad me ſcriptis officium benevolentiamque ſuam ultro obtulerit. Cui velim adjunctas literas tradas, meque ei commendes, & ſi ei quæ officia impendere poteris, ut id nomine meo facias plurimum rogatum te habeo; fuit enim mihi cum utroque ejus parente omnibusque fratribus ita arcta amicitia, ut cum nullis extraneis majorem mihi interceſſiſſe meminerim, neque ad ullum frequentius literas olim dedi, quàm ad ejus parentem, quamdiu vita ei ſuperſtes fuerit.

Ad Aggæum literas tuas miſi, quem rerum forte noſtratium eventus nonnihil excruciat, cum videat eos, quos familiariter ſeu colebat, ſeu amabat, adverſa exagitari fortuna: ſubindeque nobis gratulor, quod hiſce perturbatis temporibus à Friſia abfuerit, cùm verear, ne forte eodem, quo cæteri, malo irretitus fuiſſet, cum Heſſelus Ayſma, multique alii apud Groningam ac Omlandos fuga ſibi conſuluerint, procedendique contra ſe ad bannum & confiſcationem bonorum occaſionem præbuerint. Quarreus (18) autem Conſilia-

(18) *Quarreus*) Carolus Quarré Eques, Conſiliarius Brabantiæ ab anno 1546. patrem habuit *Maximilianum* ærarii aliquando

Digitized by Google

liarius Brabantiæ Isthuc missus est, qui de motibus præteritis inquirat: bonaque reorum annotet, eosque huc citet; qua de re Groningenses aliquot deprecatores huc miserunt; sed vereor, ne apud Vergianum judicium multum impetrent. Reverendissimus vero Groningensis nobis testatum fecit ad Catholicam Religionem ipsos non difficulter redire, plurimosque bene Catholicos in ea urbe permansisse, sibique omnem honorem ibidem exhibere: ac proximis quoque diebus ab Reverendissimo Domino Lindano literas accepimus, quibus significat, populum Ruremundanum summo plausu gratulationeque ipsum excepisse; & de Leovardiensi idem speramus; sed bullæ ejus adhuc ab urbe non advenerunt.

Dominus Jansenius Gandensis à Commenda abhorret, mavultque præsenti fortuna esse contentus, quousque locum ei faciam quàm ambitiosus videri; proinde juxta Regiæ Majestatis priorem resolutionem Monasterio Sancti Petri de alio Abbate Illustrissimus Dux providere decrevit. Quando autem placuit Regiæ Majestati super iis, quæ inter præfatum Dominum Gandensem & me convenerant, Ducis perquirere sententiam, expectabo quid ad illius rescriptionem Majestas sua decernet; certe in eo non nostrum commodum, sed Ecclesiæ decorem uterque quæsivit.

Cum gratia à vobis expectatur, hîc quotidie novæ fiunt proscriptiones, quarum finem non videmus, etiamsi illa obtineatur, cùm exceptiones nimis late pateant. Verùm dici non potest, quanta quotidie detrimenta nostra Provincia sustineat, dum sic in incerto fluctuamus, commerciaque ubique cessant, navigatioque versus orientem, occidentemque impedita manet, nec quisquam pene hîc securus est.

Conjunx cum liberis quomodo ad te tuto venire hac tempestate possit, non satis videmus, nisi per Burgundiam, Sabaudiamque Genuam tendere velitis. Tsommo noster adhuc in

do graphiarium, dein cameræ computuum Bruxellis assessorem. Obitum ejus ignoro. De Maximiliano hæc lego: *Mr. Maximilien Quarré, ci-devant Greffier des Finances de sa Majesté Imperiale, Commis Maître de la Chambre des Comptes a Bruxelles pour les affaires de Luxembourg, le 21. Decembre 1521.* Supplement. Butkens Tom. 1. p. 206.

in carcere detinetur, nec ulli cum conveniendi potestas sit. Gurdius autem egregiam ipsi operam navat, sed nescimus, quid proficiet.

Doctor Eysinganus apud Wesaliam mœrore animi exstinctus fertur, atque in Petri à Dekama, ejusque locum duos successores Dux nominavit, quorum alterum, videlicet Julium à Dekama vix acceptorum eam conditionem putamus.

Gerbrandus frater meus, qui hic aliquamdiu apud me egit, filium suum tibi valde commendat, & ego quoque conditiones obtingere peroptarem, quibus suis servitiis meritisque aliquotenus progredi possit; ducentos autem trecentosve florenos lubens illi impenderem in alicujus servitio degenti, cum otiosum domicellum nutrire omnino non velim: quare te iterum atque iterum rogo, ut si alicubi locum ei invenire possis, in hoc mihi fratrique gratificari non graveris.

De Regiæ Majestatis matrimonio audire oppido gratum fuit, atque utinam hæ tragœdiæ in nuptias desinant. Deus D. V. incolumem conservet. Bruxellæ. xix. Maii. CIↃ IↃ LXIX.

EPISTOLA LXXIX.

Albanus Antverpiam cogitat adire. Navigatio, piscatioque omnis cessat ob metum Reginæ Angliæ. Andeloti obitus nuntiatus. Groningensium legatio infructuosa. Catalogum librorum Reginæ Mariæ mittit. Harlemensi Episcopo successor designatus.

CL. D. Hoppere, ante paucos dies ad te scripsimus, & nunc, cum cursorem hinc propediem discessurum audiam, nolui committere, ut sine literis meis isthuc veniret.

Illustrissimus Dux Antverpianam arcem hisce festis diebus invisere decrevit, quo coram ejus necessitatibus provideat. Navigatio, piscatioque omnis cessat, dum commercia in suspenso manent; ac Angliæ Regina deliberat, bellum, an pacem præferre debeat; muliebrique inconstantia agitata mu-

lier, non satis hactenus resolvere potuit, in quam se partem vertat. Cætera adhuc apud nos tranquilla sunt, & si Ducis Wolffgangi conatus irritus fieret, forte hanc æstatem in quiete tranquillitateque traducere possemus.

(19) Andelotum Hugonistarum antesignanum morbo correptum è vivis discessisse certò ex Gallia perscribitur: sed de obitu Principis Auraicensis, qui cum Duce Wolffgango Galliam ingressus est, incerta adhuc sunt nova; eo verò sublato capite minus hîc timendum nobis esset.

De itinere, quod conjunx tua tuto ingredi queat, adhuc deliberamus, & ab aliquibus propositum fuit, ut Aureliam adiret, atque inde navigio Nantes peteret, ubi satis brevis in Hispaniam dicitur esse trajectus: quam viam nepotes mei superiore anno fuere sequuti. Sed Rochellam vicinam adhuc metuimus. Tu autem ipse fortassis commodiorem securioremque viam ostendes, si illius accelerari adventum desideres.

Groningenses Deputati nihil pro civibus suis huc evocatis impetrare potuerunt: neque aliud futurum exspectatur, quàm ut ipsi quoque exilio confiscationeque bonorum mulctentur: inter quos cùm nonnullos tibi notos esse autumem, eorum catalogum hisce incluſi.

Mille ducentos florenos, quos ab Thoma Flores isthic accepisti, ad præscriptum diem Andreæ Bettono hîc refundam; speroque te ab Bravio pecuniam itidem, quam Schetzius transscripserat, accepisse. Et cum ex præcedentibus literis meis, quantum cuique nepotum distribui voluerim, satis perceperis, spero te quantâ aut quando nova pecunia opus erit; in tempore indicaturum.

Hîc ad septimum proximi mensis Laleynii cum filia Arembergensis nuptiæ celebrabuntur, satis magno, ut creditur, Procerum conventu; ac sperabamus gratiam sub idem tempus ab Rege adfore, quo publica lætitia has nuptias comitaretur.

Ad-

(19) Is est *Francisous Coligni* Dnus d'Andelot, peditatus Gallici præfectus, frater *Gaspari* Amirallij Franciæ. De his viris celeberrimis V. histor. Gallos, *Thuanum*, & in primis *Maimbourg hist. du Calvinisme*.

Digitized by Google

Adjunxi hiſce catalogum librorum Bibliothecæ veteris, quæ fuit Reginæ Mariæ, cum annotatione, in qua lingua conſcripti ſunt. Librorum autem Hagenſium catalogus, ita magnus eſt, ut expectanda ſit oportunitas curſoris, qui eum ferre velit. Cumque Reverendiſſimi Janſenii noſtri Commentarios in Proverbia Salomonis, ejuſdemque in Pſalmos Paraphraſes ad te quoque ferenda nuper M. poſtarum commiſerim, non auſim tam cito ei novum imponere onus. Puto D. Ducem cum hoc curſore reſpondere Regi ſuper negotio Præpoſituræ meæ, & ſi forſitan Majeſtas ſua votis noſtris annuet, D. T. enixe rogo, ut Zaias Secretario aut alteri, cui expeditio committetur, de meliore nota negotium hoc conficiendum commendes.

Harlemenſis Epiſcopus (20) morbis annisque confectus muneri ſuo renuntiavit: ad quod Illuſtriſſimus Dux Regi commendaturus videtur Reverendiſſimum Patrem Godefridum a Mierlo fratrum Prædicatorum Provincialem: qui & concionandi gratia, & vitæ integritate, ſingularique prudentia omnium judicio dignus habetur altiore loco: & ipſi Harlemenſes, Amſterodamenſeſque, quibus concionibus ſuis innotuit, ultro eum flagitant. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. XXVI. Maii. CIↃ IↃ LXIX.

EPISTOLA LXXX.

De raritate & mora literarum ſe excuſat, promittens pleniſſimam prima occaſione reſponſionem. Nuntiat mortem Collegæ unius.

CUm heri, CL. D HOPPERE, è Lovanio rediiſſem, atque eodem die Dux noſter ex Antverpia huc quoque adveniſſet, literæ tuæ XV. ac XVI. præteriti menſis Maii dieſcriptæ, mihi à M. Poſtarum redditæ fuerunt, easque quæ eidem faſciculo incluſæ fuerunt, omnibus mox diſtribui curavi. Verùm cùm intellexiſſem literas, quas antea ſcripſeramus,

(20) Nicolaus a Nova-terra *V. Heuſſenium.*

Digitized by Google

mus; adhuc hic haerere, ac nunc primum cursorem expediri, tribus verbis id D. T. significandum duxi. Rogans, ne moram eam, aut quod rarius à me literas accipias, mihi imputes, cum non possim non permoleste ferre, tamdiu hic nostras literas detineri, ut aliae saepe aliis accumulentur, fiatque, ut minus vobis gratum sit nostrum officium. Cum autem tempus non detur, ut plene literis vestris respondeam, non ingrediar nunc literarum tuarum materiam, sed proxima occasione ad omnia plenissime rescribam, nunc illud te tantum scire volui, conjugem tuam cum tota familia, generoque ac filia (qui nuper huc advenere) omnesque alios amicos recte valere: tantum Barbasanum (21) heri amissimus post unius alteriusve mensis aegritudinem; quod te collegam celare non debui, vereorque, ne tot collegii nostri columnis collapsis, ipsum deinceps totum jaceat. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellae. VII. Junii. CIↃ IↃ LXIX.

EPISTOLA. LXXXI.

De nepotum suorum & inprimis Folcardi rationibus ac studiis. Tzommo, alterque amicus in stricto carcere. Incusat vehementiam ejus, qui Consilio turbarum praesidet. Gratiam Regiam differri queritur.

CL. D. HOPPERE, Mercatori Antverpiensi, à quo in usum scholarium nostrorum Salamanticensium mille ducentos florenos te accepisse scripsisti, eandem summam cum gratiarum actione refudi; unde satis pecuniae suppetiturum illis spero usque ad autumnum proximum, quo novam illis pro-

(21) *Barbasanus*] Consiliarius fuit in Secreto Consilio, uti hic apparet: nec tamen reperitur in Catalogo apud Butkens saepe citato, neque in libello: *Tomb. des hom. illustr. qui ont. paru au Conseil Privé du Roi Catholique.* Fuit olim Brugis clara ejus nominis familia. In Schedis J. F. Foppens occurrit circa hoc tempus *Guilielmus Barbesaen*, filius Joannis toparchae d'Erckeghem, Equitis, & Antoniae de Repreviettes. Nec plura.

Digitized by Google

procurabo. Interea que intelligam quantum me Decamanis eorum mater impendere velit, cùm illi apud eam conquerantur, non satis sibi dari; cùm tamen ego semper eos in societatem pecuniæ nepotibus meis missæ, esse voluerim. Quod vero Bravius transscriptam pecuniam serius numerarit, id non meâ culpâ factum nosti. Si autem ipsi, fratrique suadeas, ut sub autumnum ad Complutensem Academiam transmigrent, id eua authoritate approbatum mœri non displicturum existimo. Meos autem Salamanticæ manere malim, ut ad aliorem aliquem gradum, sese idoneos reddant, in quo tamen quicquid D. T. suaserit, ratum gratumque habebo.

Folcardi, Gerbrandi fratris mei filii, desiderium, ut in militiam proficiscatur, ego probare satis non possum; est enim prædicti fratris mei unicus filius, & sine magistro tyrocinium, illum subire nolim, anteaque ad te scripsi, quid illi recte ac ex voluntate mea vitam instituenti, largiri quotannis paratus sum. Verùm non ignoro, quid adolescentes, qui nullo rectore ducuntur, prodigere soleant, æsque contractum ego nullo pacto exsoluere postea velim, & ipse etiam rebus suis male consulit, qui contra sententiam meam aliquid attentet, cùm à mea benevolentiâ magis fortuna ipsius, quàm ex hæreditate paterna dependeat. Quare velim, rogoque D. V. habeo, ut quàm optime illi consulere non graveris, secundum quod jam antea ad te latius perscripsi.

Tzommo noster stricto adhuc carcere detinetur, nec ejus accedendi cuipiam ulla fit copia. Itidem nuper comprehensus fuit Denneterii nostri patruus, locumtenens Tornacensis, vetus amicus meus. Puto autem utrumque dolo crimineque vacare, sed ea est vehementia ejus, qui judicio præsidet, ut pro captivis intercedere gravi culpæ adscribat.

Sperabamus autem tandem gratiam toties promissam, adfuturam, sed subinde veremur, ne vel intestini, vel exteri belli occasione postea forte impartita, nimis sero adveniat.

Cupiebam impræsentiarum plura ad te scribere, sed tempus non fuit concessum, cùm mihi Courtewillius nuntiasset, Ducem confestim cursorem ad Curiam ablegaturum; forte de rebus Anglicis, de quibus aliud cœpisse videtur consilium, quàm quod inde à vobis rescriptum fuit. Ad alia autem

Digitized by Google

tem literarum tuarum XV. Maii ſcriptarum capita, ubi opportunitas dabitur, plenius reſpondebo. Bene vale; HOPPERE CL. Bruxellæ. XII. Junii CIↃ IↃ LXIX.

EPISTOLA LXXXIII.

De formula gratiæ generalis pro qua, ut reſtrictior non eſſet, interceſſit. Addit judicium ſuum de his, qui iſta (ſeveriora) conſilia ſuggerunt: & quanta inde Regiæ famæ labes. Pontificiam gratiam non expectandam fuiſſe, ait; quòd Epiſcopis ab hæreſi abſolvendi poteſtas à Conc. Trid. ſit tributa. Expetit reditum Card. Grandvellani, quem a Belgis indigne habitum dicit. De Tzommonis cauſa, rebusque Anglicis. De Laurentio Villavicenſi, Hunæo, & Secretariis Status. Juſtificatione adverſus Auraicenſem opus non eſſe cenſet. Præſidis Luxemburgenſis obitum, & novos in Friſia Conſiliarios nuntiat. De Dalemenſi juriſdictione tuenda. Abbatem S. Gertrudis Lovanii defunctum laudat; ipſe totus in ordinando Collegio ſuo.

CL. D. HOPPERE, literas tuas XXV. Maii datas, XIX. hujus menſis die accepi.

De Salamanticenſi negotio, & re pecuniaria eorum, lubens cognovi quæ perſcripſiſti, ac ſub autumnum de nova pecunia eis rurſus providebo.

Ex formula gratiæ generalis, quam ego antea conceperam, atque ad te miſeram, meam ſententiam ſatis intelligere potuiſti: neque mihi placuerunt, quæ poſtea adjecta ſunt; & niſi interceſſiſſem, longe reſtrictior ea formula fuiſſet, quam Illuſtriſſimus Albæ Dux miſit. Qui autem iſta conſilia ſuggerunt, perpetuo videntur velle habere quod agant, promiſſionem-

Digitized by Google

ſionemque Regiæ Majeſtatis, & quam de ejus clementia opinionem ac ſpem omnes conceperant, ſubvertunt : veremurque, ne dum confiſcationibus nimium inhiatur, & perfundendi ſanguinis nullus ſit finis, labes aliqua avaritiæ & crudelitatis Majeſtati ſuæ aſpergatur. Beneque habet quod DEUS Regi in mentem miſit, ut majorum ſuorum exempla inquirenda duxerit ; & ſane in Hiſtoriis Hiſpanicis quædam olim legi quæ multo benignius exemplum præferunt, quàm in miſeros hîc Belgas exercetur.

Pontificis verò gratiam expectare (22) non valde erat opus, cùm per Concilii Tridentini Decreta, Epiſcopis ab hæreſi abſolvendi poteſtas fiat, & noſtrorum Inquiſitorum facultates in hoc ſufficere videantur : uti factum memini in impartita ſimili gratia per Cæſarem, fælicis memoriæ, Hollandis, Friſiisque noſtris ; nec tum aliqua ſpecialis Pontificis commiſſio adhibita fuit. Et profecto, uti Pontifici, Epiſcopiſve graviorum delictorum abſolutionem competere, reſervarique, negare non poſſumus, ita in multitudine peccantium, pluralitateque caſuum, qui ab pœnitentiariis confeſſariisque enumerantur, relaxari aliquid, ac paſtorum facultatem non nimium reſtringi præſtaret ; cùm multos, quibus Romam adire facultas deeſt, interea peccatis ipſis, à quibus abſolvi à paſtoribus non poſſunt, immori contingat.

Ex ſermone cum Duce Feriano (23) habito ſpem aliquam concipio, hoc ſucceſſurum, quod tamdiu optavi, enixiſque precibus

(22) Hæc ex zelo magis, quàm theologicè *Viglius* hîc. Nam facultas a Concilio Trid. SS. 24. cap. 6. Epiſcopis tributa, reſpicit forum conſcientiæ tantùm, Pontificia verò gratia etiam forum externum. Deinde male arguit, nonnullos, ob caſus reſervatos, peccatis ſuis immori, *quòd abſolvi a paſtoribus non poſſint.* Nam in articulo mortis omnes ſacerdotes etiam interdicti, ſuſpenſi, excommunicati, non approbati, modo valide ordinati fuerint, poſſunt quoslibet pœnitentes, ubi non adeſt copia ſacerdotis legitime approbati, a quibusvis peccatis & cenſuris abſolvere. Hoc enim *in eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit*, inquit Trid. Synodus, *ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis.* SS. 14. cap. 7. de pœnit.

(23) Gomeſius Figueroa.

Digitized by Google

cibus ab Regia Majestate postulavi : faxit autem Deus ut brevi pro negotio confecto gratias vobis plenius agere possim.

Fuere quoque mihi jucundissima, quæ de D. Cardinali Grandvellano perscripsisti, ac utinam eum diem videre liceat, quo illi reduci occurrere queamus. Certe subinde mecum miratus sum, non majorem ejus rationem habitam fuisse, qui pro fidelibus servitiis tam indigne à nostris tractatus fuit.

Prioribus literis tuis XXV. Maii scriptis, tametsi bis post eas acceptas ad D. T. scripserim, ex integro respondere non potui, quod temporis brevitate tum excluderer, quod nunc supplebo.

Uxor cum tota familia ac Castellano ejusque conjuge recte valet, atque hîc subinde mecum de itineris conficiendi rationibus confert. Verùm cùm omnes excusserimus, videmus illi adhuc manendum, donec major viarum præbebitur securitas ; quod etsi illam ægre habeat, tamen necessitati acquiescendum videt : quod & DN. T. æquo animo ferre decet, cui culpam omnem adscribimus, quod non tempestivius eam ad se evocarit.

Tzommo adhuc carceri includitur, Gurdiumque Middelburgi esse existimo, quò super innocentia probanda testes ibi conquirat ; verùm multo malim gratiam à nobis expectatam captivos, qui minus quàm plerique alii commiserunt, non excludere, præsertim ubi divinæ majestatis læsæ argui non possunt, & duntaxat levis alicujus culpæ accusantur.

Anglicani negotii componendi alia ab Duce inventa est via ; & quanquam, quod à Rege mandatum est, priori Ducis sententiæ satis mihi conforme visum sit, quacunque tamen ratione aut via ad bonum aliquem successum id negotium dirigi poterit, lubens amplectemur. Quod vos autem isthic dubitatis, utrum ante arestum hîc factum, legitime Regina admonita fuerit super relaxatione pecuniæ, in hoc Domini Gerardi Oratoris assertionem secuti sumus, qui omnibus modis contendit, ne tantam injuriam longius dissimularemus.

Inventaria plura hactenus mittere distuli, quòd cursores propter magnitudinem onus detractent. Laurentii Villavicensis

Digitized by Google

censis (24) scriptum ab Duce mihi non est communicatum.

In Hunæo præter diligentiam multa Theologi Lovanienses desiderant.

Secretarii (25) van Aa, Bertius, & Scharenberger avide expectant Regiæ munificentiæ (quas diu illis promissa fuit, & quam sane fidelibus sedulisque servitiis optime promeruerunt) brevem ac benignum aliquem successum: quorum tibi negotium ex animo commendo.

Justificatione adversus Principem Auraicensem non valde opus videtur, cùm tam multis modis populo jam patefactum sit, qualiter ipse contra Regem Dominum suum processerit; itaque nec nos ejus editionem valde urgebimus.

(26) Dimens adhuc vivit, sed perpetua inter collegas suos contentio, opinor, in causa fuit, ut ad Præsidatum ipse nominatus non fuit. Quam autem Rex super nominatione Cancellarii Gelriæ, Præsidisque Trajectensis scripserit, nondum executioni mandavimus. Ac interea quoque migravit ad superos Præses Luxemburgensis, Joannes Keckius, (27) in cujus locum difficile nobis fuerit bonum successorem invenire.

Petro

(24) *Laurentius Villa-Vincentius* Xerezanus Hispanus, eremita Augustinianus, Doctor theologus Lovanii, vir stirpe & eruditione nobilis, vixit magnam partem Brugis Flandrorum, donec sub initium tumultuum Belgicorum in Hispaniam secessit, Regiis ibidem consiliis intimis adhibitus, inquit *Miræus in Script. Sec. XVI. pag. mihi* 180. *in edit Fabricii.* Scriptum de quo hic, mihi incognitum est.

(25) *Secretarii*] nempe Consilii privati: *Joannes Van der Aa*, *Joannes Baptista Bertii*, *Urbanus Scharenberger*, qui sæpius occurrunt.

(26) *Dimens*]. Petro hic indicari *Wilhelmum Van Diemen*, toparcham de Develsteyn, Consiliarium Ultrajectinum, qui ad dignitatem Præsidis non pervenit. V. *Edicta Ultraj. novæ edit. tom.* 2. *fol.* 1052.

(27) *Joannes Keckius*] Bertelius in *hist. Luxemburgens.* scribit: *Joannes Reck*, eumque J. U. Doctorem fuisse ait: alterius certe quàm Lovaniens. Academiæ, cùm in Fastis Academicis non reperiatur. Successorem accepit *Petrum Van der Aa*, de quo V. inf. ad Epist. LXXXIV.

Digitized by Google

Petro Dekamano, ac Eyſingano, in Friſiæ Senatu ſucceſſere D. Julius à Dekama, ac M. Hyeronimus ab Hannya. Præſes ibi adhuc vivit, ſed ſæpe cum adverſa valetudine conflictatur.

Genero tuo, Gurdioque ſuaſi, ut contra turbatores juridictionis tuæ Dalemenſis à Senatu Gelriæ caſſationem obtineant, quali in Brabantia Procuratores Generales ſæpiſſime utuntur.

Amiſimus Lovanii optimum virum Abbatem (28) Sanctæ Geertrudis, cui utinam ſimilem invenire liceat ſucceſſorem. Ego totus ſum in ædificando Collegio meo, & jam electos à me burſarios, ſub feſtum Sancti Bavonis, in ædes iſthîc meas recipere conſtitui exſpectaboque Regiam largitatem, ut culinæ uberiorem facere poſſim proventum. Hiſce CL. D. HOPPERE fæliciter valebis. Bruxellæ. XXV. Junii. ɔɔ IↃ LXIX.

EPISTOLA LXXXIII.

Res privatæ. Regis de gratia generali & de remunerationibus reſolutio expectata. Hiſpani, Italique collegæ dandi Conſiliariis Belgis, quòd hi a fidelitate, omnique idoneitate ſuſpecti haberentur. Ab hac cenſura non timet ætati ſuæ.

CL. D. HOPPERE, noviſſime ad D. T. ſcripſi XXV. menſis præteriti die, ab eoque tempore nihil tuarum accepi, niſi quas Guilhelmus Trajectenſis attulit, qui hîc non diu commoratus, ad Patriam ſuam inviſendam properavit, atque ubi huc redierit, eum ſecundùm commendationem veſtram, uti melius poterimus, tractabimus. Caſtellanus gener veſter cum conjuge Goudam rediit, totaque familia veſtra recte valet, ejuſque deſiderium meliore rerum ſpe, uti poſſumus, lenimus. Ex Friſia nuper nuntiatum nobis fuit, D. Lontziam, Dekamanorum matrem, è vivis exceſſiſſe, quod ad

(28) Philippum de Hoſden. V. *Gall. Chriſt. tom. 5. col. 62.*

Digitized by Google

ad ipsos perscriberem, si vel Drossatus Harlingensis, vel avunculi certiorem me de eo fecissent. Interea autem, dum eorum literas exspecto, D. V. id Dekamanis scribens, eam, quam videbitur, significationem de morte matris dare poterit; quam ego sane dolenter accepi, & longiorem optimæ matronæ vitam obtingere optassem, ut numerosæ proli, quod semper diligenter fecit, officium maternum impendere potuisset. Avide exspectamus, ecquid tandem de gratia generali Rex resolvet, atque nonnulli, qui profectò Regiæ Majestatis remunerationem quam optime promeriti sunt, ac quibus spem jam dudum Illustrissimus Dux fecit, similiter Regiæ Majestatis benevolentiam cognoscere avent; scis in proverbio esse, Bis dat qui cito dat: & plerique dum nimis diu exspectant, morte præveniri metuunt. Ego quoque summe desidero, quo voti quoque mei tandem compos fiam, atque ex hoc pistrino semel liberer. Ajunt, nobis, Hispanos Italosque collegas dandos, quòd ea apud plerosque, qui nunc rerum potiuntur, opinio de nostratibus sit: neque ingenio, neque doctrina, neque experientia quicquam valere. Et in dubium quoque nonnullis eorum fidelitas vocatur, quanquam Regi, optimo Principi, qui melius forte nostros homines novit, quàm quidam, qui temeraria arrogantia sibi de nostratibus censuram attribuunt, id neutiquam persuasum iri puto; meæ autem ætati gratulor, quæ istis me molestiis eximet, nec novorum magistrorum imperio, Deo Regeque favente, subjiciet. Vale CL. D. Hoppere. XIII. Julii.

EPISTOLA LXXXIV.

Tzommonis causam commendat. Contributionis negotium non cedit ex voto. Scribit ad Cardinalem præsidem Regii Consilii. Multi reditum Cardinalis Granduellani expectant. Uniones Abbatiarum Brabantiæ exequendas, fert rumor: unde tragœdiæ. Piratæ in Frisia. Ex Anglia nihil bonæ spei. In Germania res pacatæ, sed quis inde metus.

tus. Virgo Hollandica desponsata Ludovico a Ryd. Vanderanus Vice-præses Luxemburg. Sasbouthus Cancellarius Gelriæ. Ratallerus pro Senatu Ultraject. designatus. Jansenii Gandavens. Commentaria in Ecclesiasticum. Hingeveldius Anglus ex Hispania adventans.

CL. D. HOPPERE, quod proximis literis XIII. hujus mensis die ad te datis, de morte dominæ Luciæ à Detama scripseram, id suis etiam literis Schelto à Liauckema Drossardus Harlingensis ac Douwé à Roerda mihi indicarunt. Idemque se Sixto ac Francisco significaturos scribunt, ubi exequiis mensibus absolutis de tutela cæterisque rebus inter se constituerint: rogantes, ut sollicitudinem, quam hactenus pro eis suscepimus, continuare velimus. Interea vero si qua pecunia indigebunt, de Braviana, quæ apud D. V. reliqua est, subministrari poterit: quamprimum vero rationes scholarium nostrorum accepero, de nova pecunia rursus providebo. Tuas autem literas XXIII. ac XXVII Junii datas, XVIII. hujus mensis Julii itidem accepi.

Tzommonis causam diligenter Gurdius sollicitat, jamque in innocentiæ probatione totus versatur. Sed tu si quid adjuvare illum illic potes, id pro tua nostraque erga eum benevolentia diligenter velim facias; nam hîc nulli omnino intercessioni locus est, ac ita arcte custoditur, ut nemini hactenus ad eum aditus sit concessus.

Contributionis negotium nondum ex voto nostro omnino confectum est. Reluctanturque adhuc alsquot civitatum membra, sed Dux brevi progredi decrevit, ac cum Geldris, Transisulanisque ac Frisiis itidem agere constituit, qui hoc Euangelium haud æquis auribus percepturi sunt.

De Folcardo fratris mei filio, quod optimum tibi videbitur, quæso ut facias, idque velim sedulo cures, ne aut sumptus majores faciat, quàm alias ad te scripsi, aut otio diffluat, aut alicui ministerio adhibeatur: herumque, quemcunque habiturus est, diligenter observet, popliteisque flectere assuescat.

Consilio tuo ut ad Illustrissimum Cardinalem Præsidem Regii

gii Consilii aliquid scribam, lubenter obsequor; sed id facere maluissem cùm ejus mihi materia præbita fuisset illi pro effectu gratias agendi: cujus nunnii expectatio tantum non me enecat. Mitto autem ad te cùm literis earum exemplar, quò judicare possis, an eas illi exhibere conveniat, cùm ignorem, an illius palato, quæ scribo, sapiant; super quo si quid mutandum sit, admonere te velim.

Illustrissimi Cardinalis Grandvellani reditum hîc multi mecum expectant, verùm nihil adhuc ex ipsiusmet literis tale percipere licuit. Aliquid tamen susurratur de exequendis Abbatiarum Brabantiæ unionibus; cùm eorum qui nominati sunt, uti DN. T. meminit, confirmationem Pontifex omnino rejecerit, indignanterque tulerit, quod Episcopis hactenus dotes suæ substractæ fuerint: unde hîc novæ existunt tragœdiæ, quibus tamen Illustrissimi Ducis authoritas facile obsistet.

Nobiles aliique nonnulli ex Hollandia, Frisiaque proscripti, piraticam instituerunt, littoraque nostra valde inquietant.

Ex Anglia nihil adhuc bonæ spei accepimus. In Gallia verò non satis auspicatis concordibusque consiliis res geruntur: ac verendum, ne incendium suum nostra ruina extinguere machinentur.

In Germania res adhuc pacatæ sunt, verùm reditus exercitus Bipontini nos multosque alios nobiscum sollicitos habet. Pene omiseram D. V. scribere, Doctori Ludovico à Ryo desponsatam esse virginem Hollandicam filiam (29) Petri Bronkhorst, cujus frater est Dominus à Schoten: gener Briardi (30) quondam Præsidis Mechlinienſis, quæ in dotem adfert duo aut tria millia florenorum annua.

Cùm

(29) *Wilhelminam* nomine. Ejus liberos recenset Van Leeuwen in Bat. Illustr. fol. 895.

(30) *Briardi*] Lambertus de Briarde, Dunckercanus Flander, magni Senatus primùm, dein Consilii privati Consiliarius, tandem Præses Mechliniæ constituitur anno 1532. ubi obiit & sepultus est in ecclesia parochiali S. Joannis anno 1557. ubi & epitaphium habet, quod exhibetur in *Bibl. Belg. novæ edit.* A Carolo V. Imp. missum aliquando ad Electorem Saxoniæ, cum summi Pontificis legato, pro cogendo Concilio Generali, adnotavit *Maimbourg Hist. du Luther. liv.* 3. *p.* 186. *in* 4.

Digitized by Google

Cùm Præside Luxenburgenſi defuncto, ſenior ejus Conſilii eſſet Nicolaus Butkens, atque ad eum ex conſuetudine devolutus eſſet vicariatus, cæteri non ſatis id ferentes, cùm non amplius quàm tres literati in eo Conſilio ſupereſſent, petiere aliquem eò mitti, qui Præſidis munus per proviſionem ſubiret, donec Rex abſolute de eo diſponeret; ad quod cùm ego Doctorem Vanderanum (31) Conſiliarium Brabantinum commendaſſem, Dux non ægre aſſenſit, perſuaderique ſibi à me Vanderanus permiſit, retento tamen interea Senatorio loco in Conſilio Brabantiæ, ut ſi aliquis dignior inveniatur, ad eandem conditionem redire poſſit.

Sasboutius (32) Cancellariatum Gelriæ ſuſcepit, arbitrorque D. Rattaller (33) Præſidatum Trajectenſem non recuſaturum.

Reverendiſſimus D. Gandenſis commentarios ſuos in Eccleſiaſticum nuper edidit, exemplarque eorum D. V. transmittendum ad me dedit, verùm curſores faſciculi magnitudinem detrectant, qua etiam de cauſa Inventarium Hagenſis Bibliothecæ Regiæ, quod cæteris majus eſt, mittere nequeo. D. Hingeveldius Anglus hîc nuper appulit, ac tuas, Tyſenaciique literas mihi reddidit, eique officia mea lubenter obtuli, cùm à multis eum ob virtutem ac Religionem commendari audiverim.

Uxor cum tota familia recte valet, veſtramque D. mecum

(31) *Doctor Vanderanus*] „ Petrus Van der Aa, Lovanien„ ſis, Eques, J. U. D. & Profeſſor in patria renunciatus die 3 „ Octobris 1559. collegas nactus eſt *Jo. Molinæum* ac *Jo. Ra„ mum* viros eruditione clariſſimos. Huic ad novellam Acade„ miam Duacenam evocato ſucceſſit in profeſſione Regia In„ ſtitutionum. Hinc anno 1565. in ſupremo Brabantiæ Senatu „ aſſeſſor, ac demum Conſilii Luxemburgenſis Præſes anno „ 1574. diem ſupremum anno 1594. obiit Luxemburgi. “ *J. F. Foppens in Bibl. Belg. p.* 1016.

(32) *Sasboutius*] V. ſup. ad. Epiſt. XXIX. & infr. ad Epiſt. CCLX.

(33) *Rattaller*] Georgius. Præſes Ultrajectinus evaſit hoc ipſo anno. V. de hoc ſummo viro *Suffrid. Petri de Script. Friſiæ. Val. Andr. in Bibl. Belg. & Editor. Ultraj. novæ edit. tom.* 2. *fol.* 1053.

Digitized by Google

cum amanter officioseque salutat. Bruxellæ. XXVIII. Julii. CIↃ IↃ LXIX.

EPISTOLA LXXXV.

Consentit in matrimonium neptis suæ cum Petro Buygers, cui Gritteniam frater suus cessurus sit. Hinc commendat Folcardum nepotem, sponsæ fratrem.

CL. D. HOPPERE, ad priores literas, quibus istas adjunxi, hoc adjicere lubet, post eas conscriptas huc advenisse M. Saponem affinem tuum una cum Petro Buygers: qui mihi attulere literas à fratre meo Gerbrando, ac Doctore Jgramo super matrimonio ipsius Gerbrandi filiæ minoris Jaquelinæ, quam te vidisse puto: quam Gandavi educatam superiore anno in Frisiam remiseram, ubi hactenus cum quæstore Feikone à Fritzma apud sororem habitavit: ac cùm jam nubilis facta videretur, dicto Petro cognato tuo in uxorem expetita fuit, omnibusque ex sententia utriusque partis confectis, consensuque meo accedente, DEO volente nihil restat, quàm ut desiderium suum compleant. Fraterque meus summopere desiderans commigrare in rus meum Zuichemium, quod superiore anno ædificio aliquantum exornavi, Grietteniam (34) genero futuro cessurus videtur. Quod te ignorare nolui, sperans hac de causa Folcardum, ipsius sponsæ fratrem, majore te affectu complexurum, & quæ ejus commodis rationibusque conveniant consulturum. Re autem confecta plura, volente DEO, de toto hoc negotio ad te scribam. Bene vale. Cal. Augusti. CIↃ IↃ LXIX.

(34) *Grittenia*] Præfectura jurisdictionalis. *Grietman*. Judex. V. inf. in Epist. XCVI. Sunt in Frisia universim *Grittenia* viginti & octo.

Digitized by Google

EPISTOLA LXXXVI.

Res privatæ. Dux ab Nagera. Decimi denarii exactio, nisi moderationem accipiat, & periculosa & commerciis nociva.

CUm intelligerem, CL. D. HOPPERE, cursorem, cui noviſſimas meas literas ad D. T. perferendas tradidi, nondum hinc abiiſſe, haſce iſtis adjungere viſum fuit: quibus Dekamani fratres certiores per propinquos redduntur de obitu matris: dominationique veſtræ eos per literas commendant, ac ad me ſcribunt, contentos ſe eſſe ut in ſingulos annos 300. floreni xx. ſtuferorum unicuique pro omnibus expenſis tribuantur. Et ſpero, proximi elapſi anni, quo Salamanticæ fuerunt, expenſas, non exceſſiſſe prædictam ſummam.

Dux ab Nagera heri huc advenit. Nos hîc adhuc apud quosdam inferiores ordines civitatum Brabantiæ laboramus, ut in poſtulata ſubſidia conſentiant, atque ſane illud, quod de decimo denario rerum omnium venalium petitur, niſi moderationem recipiat, & periculoſæ erit executionis, & publicis commerciis plurimum nociturum, multis videtur. Vale CL. D. HOPPERE. Bruxellæ, Auguſti VI. CIↃ IↃ LXIX.

EPISTOLA LXXXVII.

Ultimæ Hopperi epiſtolæ quare Viglio gratiſſimæ. De quæſtura bonorum Principis Auraicenſis. Romanam moram accuſat in Epiſcopatuum expeditione. Barlemus Harlemenſem eccleſiam expetivit. Affligenienſis Abbatiæ capta poſſeſſio pro Archiepiſcopo Mechlinienſi, & Tongerloënſis pro Epiſcopo Buscoducenſi. Cardinalis a Lotharingia contra Lindanum Epiſcopum Ruræmundenſem pro præpoſitura Marchenſi. De negotio Anglicano, & legatis eò miſſis.

Digitized by Google

missis. Joannis Fanckii commendatio. De præpositura sua Gandavensi & coadjutore expetendo. A piratis, bannitisque monasterium Frisiæ spoliatum. De rebus privatis nepotum suorum. Novus Fiscalis Brabantiæ, novique Consiliarii. Jus Albinagii.

MEnse præterito, CL. D. HOPPERE, quaternas abste accepi literas, XVI. ac XX. Julii ac VI. & VIII. August. datas. Quæ omnes, cùm illis spem nobis, tam de gratia generali, quàm resolutione privati mei negotii promittas, non potuere non mihi esse gratissimæ: postremisque etiam lubentissime intelleximus successum Regii exercitus adversus Mauriscos, speramusque meliora esse secutura. Ad Dormerianam cùm omnes antea tum hasce postremas, diligenter perferri curavi, & si quid ego in gratiam ejus facere potero, id multo faciam lubentissime. Verùm officium illud quæsturæ bonorum Principis Auraicensis, alteri, cui datum est, difficulter auferri poterit, & cùm, ut legibus patriæ exteros in Brabantia ab officiis excludi te non lateat, tum de cautione præstanda fortassis difficultas movebitur. Si autem ego de eo interpellabor, commendationem vestram non reticebo, & consilium favoremque meum haud gravate impartiar.

Romæ in Episcopatuum expeditione nimium longa nectitur mora, sperabamusque Cunerum, Drutiumque ad suas Ecclesias vere præterito posse adire, at vereor ne ante hyemen voti sui compotes fiant.

Barlemus (35) de Harlemensi Ecclesia spem nonnullam concepisse videbatur, sed is, qui à Rege nominatus est, multis parasangis eum antecedit.

Superiore hebdomada accepit D. Præpositus Morillonius, Vicarius generalis Archiepiscopi Mechlinienſis, Abbatiæ Affli-

ge-

(35) *Barlemus*] quis fiet, frustra quæsivi. A nullo, quod sciam, scriptore proditur hic candidatus. Primus Harlemensium Episcopus fuit *Nicolaus Nimulant*, seu *a Nova terra*. V. *Bat. Sacr. aliosque*.

Digitized by Google

gemiensis possessionem nomine Illustrissimi D. Cardinalis, eaque res satis tranquille successit, cessitque nominatus, (36) & in ordinem rediit, cui tamen pensionis alicujus spes facta est. Idemque Episcopum Buscoducensem comitatus est ad Abbatiam Tongerloensem: nec ibi quoque in eo admittendo magna facta est difficultas. (37) Ita omnium animi molliti sunt, ac Ducis authoritate ferocia repressa.

D. Lindanus male se partium conqueritur, & ei quoque de Præpositura Marchensi (38) lis movetur ab Cardinale Lotharingiæ, (39) qui revocationem unionis prætendit, eumque à judice apud Coloniam delegato citari procuravit: sed nos, ut opinor, non difficulter rem sustinebimus, donec Reglæ Majestatis authoritate remedium inveniatur.

Circa negotium Anglicanum multum temporis perdidimus, dum formula non placuit, ad quam tamen in effectu redire cogimur. Interea que animi non parum commutati sunt, & quotidianis prædis locupletati adversarii, se difficiliores ad amplectenda meliora pacatioraque consilia ostendunt. Videbimus autem quid Marchio (40) Chappinus Vitellus, ejusque collega (41) Funkius, quos mittere ad Reginam legatos Duci visum est, impetrare poterunt. Funkii autem à Roma

(36) Nominatus erat *Arnoldus Mottman. V. Gall. Christ.* tom. 5. col. 41.

(37) Abbas Tongerloensis confirmatus ac in possessionem missus *Jacobus Veltacker*, non fuit benedictus, & *Francisco Sonnio* Episcopo cedere coactus, præpositi Tongerloensis titulum accepit.

(38) *Præpositura Marchensis*] vel Marsanensis prope Mosæ Trajectum. Ita enim scribit Miræus V, *Diplom. tom.* 1. *p.* 482.

(39) *Cardinalis Lotharingiæ*] Carolus; cujus nominis tres numeramus Cardinales. *Carolus I.* (de quo hic) vir maximus, & ecclesiæ Gallicanæ lumen, a Paulo III. creatus an. 1547. interfuit Concilio Tridentino. *Carolus II.* a Gregorio XIII. promotus est an. 1578. & *Carolus III.* a Sixto V. an. 1589.

(40) Chiappinus Vitellius Cetonæ Marchio, Castrorum præfectus, cum Albano in Belgium venit. V. Stradam Decad. I.

(41) *Funkius*] Ioannes. De quo V. Catal. nostr. Præpositorum B. M. Ultrajecti ad an. 1570.

Digitized by Google

Roma nuper reverſi facundia tantum ipſi Duci placuit, ut eum facile omnibus noſtris prætulerit. Et eſt is ſane vir non contemnendus, & qui non inutilem operam Regi Reipublicæque noſtræ præſtare poſſe videtur.

De favore in negotio Præpoſituræ Gandenſis ab D V. præſtito eidem noviſſimis literis meis gratias egi, iterumque ago; ac Illuſtriſſimo D. Cardinali Grandvellano ejus expeditionem quoque commendavi, vèlimque eis, qui iſthic expeditionem promoverunt, nomine itidem meo gratias agas.

Cogitavi autem aliquando anne auſim Bucchonem meum, qui iſthic agit, cùm Sancti Bavonis ſit Canonicus, coadjutorem mihi expoſcere; verùm id nimis adhuc præmaturum eſt, cùm antea conveniat Regis Pontificiſque diplomate Præpoſituram ipſam conſtabiliri.

Folcardum fratris mei filium abs tua D. tam humaniter exceptum fuiſſe magnas gratias D. T. habeo; matrimonium autem ſobrini tui cum illius ſorore, progreſſum habiturum mihi à fratre ſcriptum fuit, & expectamus, ut nobis nuptiarum dies nuncietur.

Erant autem in Friſia omnia ſatis pacata tranquillaque, donec xx. Auguſti die piratæ ſive extorres, bannitique noſtri, nocturno tempore excurrerunt in Grieteniam fratris mei Rintzii, ac monaſterium Weerdt ſpoliatum incendio tradiderunt: & ſane multi, piratis, exulibuſque ſe conjungentes, non parum damni Patriæ noſtræ illaturi videntur, niſi res maritima aliter quam hactenus curata fuerit.

Quod apud Illuſtriſſimum Ducem Ferianum nepoti meo locum impetraveris, ſummopere placet; ſed tamen ſi apud Principes Bohemiæ ſtabilis illi locus conditioque obtingere potuiſſet, id fratri meo multo magis arriſiſſet, cùm linguæ Germanicæ cognitionem illi in Friſia noſtra verſaturo, longe utiliorem fore credat.

Salamanticenſibus Scholaribus noſtris vereor ne hoc tempore reſcribere poſſim, ſi curſor ita forte celeriter abibit, quemadmodum huc ex Bruxella adveniens ex Duce cognovi. Interea verò illos D. T. commendo. Et quandoquidem utilius fore ducunt, ut quando pecunia indigebunt cum noſtratibus iſthic agentibus paciſcantur de ea hîc renumeranda, velim, ut ſi idem D. V. videatur, in hoc adjutorem ſe præ-

Digitized by Google

beat; videat tamen ne nimium una vice ſumant & dimenſum, quod præſtitum eſt non tranſgrediantur, id eſt ut ſingulis 300. floreni annuatim dentur; Bucchoni autem Airtano, ac Folcardo Montzimano 400.

In Aegidii (42) Advocati fiſcalis Brabrantiæ nuper defuncti locum, ſurrogatus eſt Penſionarius Bruxellenſis (43) qui bonam operam & Regi & Reip. Bruxellenſi temporibus hiſce turbulentis navavit. In M. autem Franciſci Pariſii, ac Boxhornii, (44) qui ad ordinarium locum aſcendit, ſurrogati fuere Doctoris Hermetis (45) noſtri filius, ac Deſiderius Sexagius (46) Morillonii ſororius. Nec hoc tempore pro M. Wilhelmo Veen efficere, quod tua poſtulabat commendatio, potui, lubenterque ei aſſiſtam, ſi quæ alia occaſio dabitur.

Domi-

(42) *In Ægidii advocati Fiſcalis &c.*) Quis non putet *Ægidium* eſſe prænomen viri de quo ſermo? Is fuit *Joachim Gielis*, Conſiliarius Ordinarius & fiſci advocatus in ſupremo Bruxellis Brabantiæ Conſilio. Uxorem habuit *Joannam du Blioul*, filiam *Laurentii* Audienciarii ac primi Secretarii Sanctioris Conſilii. Tanti eſt incommodi, vocabula peregrina, aut linguæ vulgaris nomina, Latina facere.

(43) *Penſionarius Bruxellenſis*) Joannes Baptiſta de Boiſſchot, Joannis Baptiſtæ filius, in Conſilium privatum dein cooptatus. Obiit Antverpiæ an. 1580.

(44) *Boxbornius*) Guilielmus, Lovanienſis, e loco ſupernumerario ſeu extraordinario, aſcendit in locum ordinarium ſenatoris in Conſilio Brabantiæ, anno 1569. Obitum ejus ignoro, at ſcio filium ejus *Philippum Boxbornium* ei ſucceſſiſſe munere ſenatorio anno 1585. ut eſt in ſchedis *Jo. F. Foppens.*

(45) *Doctoris Hermetis filius*) Joannes van Winghe, Eques, filius *Hermetis* & Dnæ *Margaretæ Auxtruyes. Hermes*, nativitate Rothacenſis J. U. D. & profeſſor primarius in Univerſitate Lovanienſi, vir fuit totius juris callentiſſimus, inquit *Val. Andr. in Faſtis Acad.* Aſſumptus fuit in Conſilium privatum Bruxellis, ubi obiit 11. Martii 1573. Porro *Joannes*, de quo hic, promovente potiſſimùm patre, adlectus fuit anno 1569. in Conſilium Brabantiæ, cujus fuit anno 1592. Vice-Cancellarius, ſeu ſenior Conſiliarius. Uxorem habuit *Mariam Wouters.* Obitum ejus ignoro.

(46) *Deſiderius Sexagius*) id eſt, *t' Seſtigh*, qui poſtea Cancellarius Brabantiæ, de quo apud Butkens tom. 2. p. 372. novæ edit.

Digitized by Google

Dominus ab Emmeries (47) è vivis nuper ſublatus magnam hæreditatem genero vicecomiti Gandavenſi reliquit: verùm de mobilibus quoſdam muſſitare audio, quod illa ad Regium fiſcum jure Albinagii (48) devoluta exiſtiment, niſi literæ naturalitatis exhibeantur. De immobilibus vero manet filii prætenſio, ſed eum fortaſſis multiplices ſententiæ excludent. De Tzommonis cauſa nihil ad te ſcribo, cùm Gurdium, qui diligentiſſime fideliſſimeque eam pertractat, non dubitem pleniſſime de eo certiorem te reddere. Uxor tuaque familia tota recte valet, ſed ſæculum ei videtur quo abste ſegregata manet. Bene vale, HOPPERE CL. Antverpiæ. v. Septembris. CIↃ IↃ LXIX.

edit. hæc: „Meſſire *Didier t' Seſtigh*, Chancelier de Brabant, „ né en l'an 1531. le 20. jour d'Octobre, fils de *Jean & d'Eli-* „ *ſabeth Boiſot*. Il eſpouſa Dame *Margarite Morillon*, de qui il „ procrea *Guillaume van t' Seſtigh*, Curé de S. Quentin a Lou- „ vain, *Jean-Antoine van t' Seſtigh*, Docteur en Droit & Cha- „ noine de S. Pierre a Louvain; *Charles van t' Seſtigh*, mort „ en la guerre d'Allemagne, & *Philippe-Antoine van t'Seſtigh* „ Seigneur d'Ophem, Bourgemaiſtre de la Ville de Malines, „ & Gentilhomme de bouche de ſon Alteſſe Sereniſſime l'Ar- „ chiduc *Leopold*, qui eſpouſa Dame *Gertrude de Brimeu*, dont „ il eut poſterité. Le dict *Didier van t' Seſtigh* mourut en l'an „ 1585. le 10. jour de May." Hæc familia ex Saxonia in Belgium commigravit, & ſupereſt Mechliniæ in viro Conſulari *Franciſco Romano t' Seſtigh* Toparcha d'Ophem, Winſele &c. qui ducta uxore *Anna Petronilla Vilain*, prolem ex ea poſſidet.

(47) *Dominus ab Emmeries . . . magnam hæreditatem Vice-Comiti Gandavenſi &c.*) D. ab Emmeries, alias Aymeries, eſt *Gabriel de Jauce*, dictus de Maſtaing, ſocer *Maximiliani de Villain*, Comitis Iſeghemii, Baronis Raſſegemii, ac Vice-Comitis ſeu Burgravii Gandavenſis; qui & fuit Gubernator Gallo-Flandriæ, ſupremus ærarii præfectus & Regi *Philippo* fideliſſimus. Obiit an. 1583. *V. Flandr. illuſtr. tom.* 1. *p.* 169. *Suppl. Butkens tom.* 1. p. 199. &c.

(48) *Albinagium*) jus fiſci, vel domini, cui obveniunt bona peregrinorum. *Droit d'aubaine.*

EPI

EPISTOLA LXXXVIII.

Collegium ſuum Lovanienſe perfectum, expectat Regiæ Majeſtatis liberalitatem promiſſam. Academia illa ex præſidio Hiſpanico patitur. Calvetus Stella Viglio ſcribit. De oppido Tolenſi in Zelandia.

CUm curſor, qui ad vos mittitur, C. L. D. HOPPERE, haud ita propere, ut intellexeram, abiret, ad Salamanticenſes ſcholares noſtros epiſtolia aliquod adjungere conceſſum fuit; nuntiavique conjugi tuæ, ut literas in tranſitum ipſius pararet.

Ego illud præcedentibus meis literis ad te ſcribere omiſeram, me ante paucos dies Lovanium inviſiſſe, ubi non ſine voluptate ædificium Collegii mei pene ad colophonem perductum conſpexi, ut proximis Cal. Octobris ſcholares, quos ad hoc delegi, ingredi queant: ac jam totus ſum in dotis ejus ſtabilimento, confiſus ea ſpe quam mihi de Regiæ Majeſtatis liberalitate aliquoties feciſti, ſine qua hoc inſtitutum meum difficulter proſperum ſortietur effectum, citra magnam hæredum meorum læſionem.

Lovanii vero cùm eſſem, undique ad me de præſidio Hiſpanico querelæ allatæ ſunt. Et ſane, non parum inde Academia Lovanienſis jacturam patitur, cùm liberos ſuos parentes, ob militum conſortium, inde avocent, nec ſatis tutò eos ibi victuros exiſtiment. Intercedo autem diligenter apud Ducem, ut liberari ea moleſtia Lovanienſes poſſint; ſed id nondum, licet ſpes ejus facta ſit, impetrare potuimus.

Doctiſſimi viri Domini Calveti Stellæ (49) literas multum ſum amplexus, eique ſi quando iſthic aderit, velim a me plurimam ſalutem, gratiasque habere, dicas, quod mei tam amanter recordari ſit dignatus; lætorque Buchonem meum cum eo notitiam aliquam jam contraxiſſe; etenim talis

(49) *Joannes Chriſtophorus Calvetus Stella*, Eques Barcinonenſis, poëta & hiſtoricus. *V. Miræi Script. ſec. XVI. p.* 160. *in edit. Fabricii.*

Digitized by Google

talis viri consuetudo non potest non eum doctiorem, meliorem-que reddere.

Ad Tolensem cavernam repurgandam Blaserius nuper missus est, & utrinque partes tragœdiam suam exagitant; sed Decanus quantum olim odium sustinuit, tantum hæc præsentia tempora favorem illi adferunt. Bene vale, HOPPERE CL. Antverpiæ. VI. Sept. CIↃ IↃ LXIX.

EPISTOLA LXXXIX.

Magistro postarum quare interdictum ne a quibusdam literas, in Hispaniam transmittendas, admitteret. De Nitzenii morte. Aggæum respuit. Littora Frisiæ a piratis infesta. Præsidia Hornæ & Medemblico imposita. Legati in Angliam missi quid in mandatis habeant. Centesimi denarii publicatio, vicesimo, decimoque suspensis. Joannes Vargas revocatus, & Consiliarius Rodius adventurus, dicuntur.

NOvissime ad te, CL. D. HOPPERE, Antverpiæ exaratas aliquot literas dederam, sed longius eas hîc detentas fuisse, Magistroque Postarum interdictum intellexi, ne à quibusdam literas transmittendas reciperet. Quis autem causam edicto dederit, vos isthic scire potestis, cùm à nonnullis ea perscribi querantur, quæ honori bonæque existimationi suæ detrahant; ideoque non postremi cursoris abitum latere voluerunt. Et vos quoque eodem artificio interdum uti, ajunt, ne malorum successuum rumor nos percellat. Ne tamen ob id hoc mutuo amicorum officio privemur, antevertere aliquando famam abitus cursoris debebimus, uti has literas apud M. Postarum in occasionem, quæ se offerre poterit, deponere decrevi, aliasque amicorum junxi, nominatim autem Petri Baygers, quem arbitror tibi diem nuptiarum significare, quæ Snecæ IX. hujus apud fratrem meum celebrabuntur. DEUS faustum ac felix hoc matrimonium faxit.

Digitized by Google

Præsidis Nitzenii (50) mortem arbitror tibi à M. Idzardo significari, qui & ad me scribit, Aggæum nostrum à plurimis successorem illi peti; sed tu nosti quantum ille semper luminibus propriis obstiterit, illiusque lenitas exulceratis hisce temporibus parum conveniat. Nescio autem, an tibi audeam scribere, quantopere littora nostra à piratis, ac ob hæresim, seditionemque proscriptis inquietentur, qui multis navibus juxta Uliam ostium obsident, ac advenientes ex Ostlandia, egredientesque per nostrum sinum, quem mare meridionale vocamus, diripiunt; quorum primarii esse feruntur, (51) D. à Dolheim, Lancelotus à Brederode, nothus frater defuncti, quidam Gandavensis (Hembyse filius est, quem sæpe in Curia vidisse te puto), aliique nonnulli nobiles, qui egestate adacti, non aliud habent aucupium; qui nuper Schellingiam invadentes, Drossatum, Pastoremque inde abduxerunt, Arembergensisque domum demoliti sunt; Ammelandiamque, ac Domini Petri à Cammingha ædes itidem spoliaverunt, magnisque damnis nostros quotidie afficiunt.

Dux autem Hornam, Medenblicumque Hispanos aliquot milites, ex his qui in præsidio sunt apud Trajectum, misit, qui excursiones in ea loca prohibeant; verùm diu hoc malum prævisum fuit, sed magnitudo periculi ab ignaris locorum non subinde æque intelligitur; qua de re plura non addam, & hoc quoque, quod scribo, donec aliunde rescitum fuerit, celare te malim.

Marchio Chapinus Vitellus obtento ab Regina salvo conducto unà cum Præposito Funckio, ac Torrio Secretario nostro tandem in Angliam tendit; qui inter cætera in mandatis habet, cum ea expostulandi, quod hosce piratas, hostesque nostros, intra regni sui limites, armis virisque instrui permiserit, quæ sane meretur, ut talionem aliquam accipiat.

Centesimi denarii collectio publicata est, uti ex libello hisce juncto cognosces. Vicesimi autem, decimique indictio suspensa est, donec à Statibus rescíscamus, an summam, loco

(50) *Præsidis Nitzenii*) de quo sup. ad Epist. LXIX.
(51) Nomina refert *Bertius lib. 5. fol. 208. Vers. prior edit.*

eo eorum petitam, præstare velint; nec dubito eos ei assensuros, nisi magnitudo ejus, & media alia summæ quotannis conficiendæ deessent.

Tuas literas XI. Sept. scriptas XXVI. ejusdem mensis accepi. De gratia generali melius sperare plerique hîc incipiunt, quod Joannem Vargam revocatum ajunt; sed alium ferunt Consiliarium huc mitti Rodium cognomine. Neque tamen omnes arbitramur Hispanos ejusdem esse ingenii, neque Regem perpetuo populo suo iratum fore.

Si de Barcinonensi profectione succederet, quod D. V scribit, forte non incommoda occasio esse posset uxorem tuam per Burgundiam, Sabaudiamque Genuam accedendi, ut occasionem nacta inde Hispaniam trajiceret; sed mensem Martium expectandum putarim, nam cùm hyeme nives Alpes obsideant, tum hybernum tempus muliebri sexui, puerisque tenellis nimis adversum erit.

Lovanienses nostri tandem præsidio Hispanico liberati sunt, & Insulensibus ii hospites dantur, qui non minus de eis conqueruntur. Bene vale, HOPPERE. CL. Bruxellæ II. Octobris. CIↃ IↃ LXIX.

EPISTOLA XC.

Nova petitio Albani loco Vicesimi, decimique denarii, circa quam variè angitur. Queritur ministros Belgas universos contemni, Hispanosque ac Italos reformatores venturos: commendatque se. Hoppero. A Joannis Vargæ judicio omnia dependent. An rectè? De Gallicis Anglicisque rebus, & de piratis in Frisia obiter. Collegium Lovaniense instructum. De ignoto Anglo ignota.

CL. D. HOPPERE, II. Octobr. cum meas, tum amicorum aliquot ad te, literas dedi; verùm valde dubito, an eas acceperis: nunc à Courtewillio admonitus cursorem ad vos expediri, rursus aliquid ad te scribendum, adque illud in primis significandum duxi, me post illas, quas XI.

Digitized by Google

Septembr. ad me dediſti, nullas abs te accepiſſe. Interea vero hîc nova petitio apud Status inſtituta eſt, loco viceſimi, decimique denarii, cujus tenorem ex adjuncta copia cognoſces; quæ prope non minus, quam prior (in cujus locum hæcce ſuccedit) populum attonitum reddit. Et ſane, ſi obtinere poterimus, rem Regiæ Majeſtatis non parum auxerimus; verùm noſti proverbium, Qui nimium emungit, elicit ſanguinem. Atque neceſſitas horum temporum longe majora requireret, & Illuſtriſſimi Ducis authoritas plurimum in eo obtinendo adjuvaret, ſi modo præſtandi facultas populo non deeſſet: promptiorque is ad omnia obſequia foret, ſi tandem criminalibus fiſcalibuſque proceſſibus finis aliquis imponeretur, & jamdudum gratia promiſſa non tantopore differretur. Expectamus etiam hîc Hiſpanos, Italoſque Conſiliarios pro Criminalium, Civiliumque judiciorum reformatione: ac hîc, quotquot fere ſumus, non modo inepti, inutileſque videmur, ſed jura, leges, & conſuetudines, quibus hactenus viximus, in dubium revocantur. Quamobrem te, mi HOPPERE, qui politices ſemper ſtudioſus, ac morum, inſtitutorumque, quibus iſthic publica adminiſtrantur, diligens obſervator fuiſti, quæſo, ut nos ſubinde inſtruas, quæ iſthic meliora, ſanioraque animadverteris, quàm hîc obſervata, uſitataque videris. Cumque hîc ex Licentiati Joannis Vargæ judicio omnia dependeant, quod iſthic de hoc Solone judicium ſit, perſcribas. Nam hîc ſane populo difficulter perſuaderi poteſt, eam Regiæ Majeſtatis, cæterorumque procerum veſtrorum de illo eſſe opinionem, quæ hîc illi attribuitur.

De Gallicis rebus victoriaque nuper parta, nihil opus eſt hinc quicquam ſcribere, cum vos iſthic omnia magis comperta habeatis.

Marchio Chapinus Vitellus in Angliam transfretavit, verùm quomodo à Regina exceptus fuerit, nondum ſcimus. Erant & in eo Regno excitati quidam motus ob Reginam Scotiæ captivam, ſed ii conſedati feruntur.

Piratæ quibus D. à Dolheim, alique exules ſe junxere, noſtra littora adhuc obſident, ſed hyems brevi nos ab eo periculo liberabit.

Buygers cum nepte mea 1. hujus menſis nuptias Snecæ celebravit, ſed Feikonem, tuumque patruelem Reynerum

eo-

Digitized by Google

expectamus, qui earum nobis successum referant. Ego XIX. hujus Lovanii natalem meum dedicationemque Collegii mei celebravi, collocatis in eo VII. Frisiis ac V. aliis scholaribus præter Præsidem, & Rectorem, ædificiumque ipsum ita eleganter exstructum comperi, ut mearum facultatum pene immemor fuisse videri possim, nisi me Regiæ munificentiæ spes aluisset.

Cum Anglo, quem mihi aliquando commendasti, ut in officio aliquo consequendo adjutor ei essem, re collata, non vidi, quomodo alium extrudere possumus, nisi aliquis delator, accusatorque exstiterit, qui ea quæ ille de eo Regi (quorum tamen author esse non vult) detulerit; (52) quod si tamen aliquam ejus promovendi occasionem videro, desiderio ipsius, commendationique D. T. non deero.

Conjunx cum tota familia recte valet. Nos D. Franciscum Capellanum olim meum, apud Mechliniam hoc mense amisimus, virum sane bonum, & mihi ab antiquo notum. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ XXIII. Octobr. CIↃ IↃ LIIX.

EPISTOLA XCI.

In Consilio Status operam suam promittit, quamvis titulum præsidis non ambiat. Nemo illo in Consilio præsidere solet. Consueti stipendii continuationem cupit. Quod nomine Consilii Status penditur, id tam est exiguum, ut sibi Gandavi potius quàm Bruxellis morandum ducat. De Demeterio Secretario in Belgium remittendo.

CL. D. HOPPERE, antequam cursor, qui in Hispaniam profectionem parabat, hinc dimitteretur, tuas literas IV. XXI. ac ultimo Septembr. datas, uno eodemque die accepi, ac Ludovico Mendes fasciculum per Paccium missum tradi curavi: eum autem brevi (ut audio) isthic videbitis. Quod de Domini Tysenachii dimissione, atque ad nos reditu

(52) Desunt nonnulla.

Digitized by Google

tu D. T. significavit, me mirum in modum recreavit, ac spero eum, priusquam hæ tibi reddentur, in Italiam appulsurum. Jam antea autem D. T. scripsi, me, ubi opus erit, Regiæ Majestati lubenter operam meam in Consilio Status impensurum. Magnificum autem titulum, quem Rex mihi attribuere velle videtur, numquam ambivi, & tu ipse nosti, neminem in Consilio Status præsidere, nisi aut Regem, ac ipsius Gubernatorem ac Locum tenentem. Cognoscam autem libenter an Majestas sua aliquam mei habuerit rationem super stipendiorum, quæ hactenus percepi, retentione: quæ si omnia adimentur præter illud forte, quod nomine Consilii Status hactenus numeratum fuit, nescio an illud tanti facere debeam, ut hîc magis, quàm Gandâvi morandum ducam. Verum præmature fortassis sollicitus sum, cum Illustrissimus Dux Ferianus tam amplam spem faciat, apud quem gaudeo Folcardo meo locum concessum esse, oroque ut illum crebro moneas, quo obsequio ministerioque suo Celsitudinis suæ gratiam promereri studeat. Lubenter intellexi, Salamanticenses nostros scholares constituisse in ea Academia hyemen proximam peragere. Pecuniam vero pro ipsis non mittam, donec hîc eam annumerari jusseritis, postquam eam rationem, & D. V. & Buchoni magis placere video.

Quod de Denneterio (1) scribis, cum D. V. tum ipsius causa perquam dolenter percepi, atque cùm ejus frater M. Hieronymus hîc adsit, ei rem omnem exposui, neque nos satis videmus, quid aliud rectius consulere possimus, quàm ut huc, si ejus valetudo ferat, revertatur, ad quod D. V. viatico eum instruere dignabitur, quod hîc fideliter reddi curabo. Id si fieri nequit, D. V. aliqua excogitanda est ratio, qua sese exoneret, atque alicujus curæ committatur, qua in re nos consilium hinc suggerere nequimus, sed omnia quæ D. T. pro locorum hominumque qualitate decreverit, id optimum judicabimus. Dedi ad eum literas, quarum copiam hisce junxi, ut eas, si ita videbitur, ei tradas. Bene vale. CL. D. HOPPERÆ, Bruxellæ. XXVII. Octobr. CIↃ IↃ LXIX.

(1) *Arnoldus Dennetieres* Secretarius Regis apud Consiliarium & Sigilli custodem *Joachimum Hopperum* in Hispania, ærarii Belgici stipendiarius erat. Hinc *Viglio* in hac & aliis epistolis tanta de eo cura.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CXII.

Status Belgici non respondent super eo quod loco XX & X denarii postulatum est. Ultrajectenses novum onus totum rejiciunt, in cujus redemptionem offerunt 100000. *flor. Præsidium ibi Hispanicum. De gratia Regia desperatur.* 8000. *hominum bannita. Deum rogat, ut cor Regis inflectat. De Tzommonis causa quem defendit. Nitzenii viduam cammendat.*

CL. D. HOPPERE, cùm XXIII. ac XXVII. die proximi mensis Octobr. ad D. T. literas dederim, quibus & tuis respondi, atque ea, quæ tunc occurrebant, perscripsi; non magna impresentiarum scribendi materia mihi sese offert. Illud tamen significandum putavi, nos ac familiam tuam recte adhuc valere, avideque me literas vestras ac Regiæ Majestatis expectare, ex quibus ejus resolutionem super negotio meo plenius cognoscere valeam, & quo tempore D. Tysenacius isthinc discesserit, qualiterque ab Regia Majestate muneratus fuerit, clarius intelligam.

Super eo quod ab Statibus loco vicesimi, decimique denarii postulatum est, ab nemine adhuc eorum responsum accepimus, ejusque magnitudine perculsi, vix vident, quid respondeant; utinam autem cum bona subditorum concordia benevolentiaque, quod petitum est, impetrari liceret.

Trajectenses nostri neque centesimum, neque vicesimum, decimumve denarium admittere voluerunt, qui tamen centum millia florenorum semel obtulere, de quo non satis Illustrissimus Dux contentus, præsidium Hispanicum ei urbi imposuit, ac citationem adversus Magistratum decrevit, ut hîc compareant, ac de nonnullis, quæ anno sexagesimo sexto perperam, ut in aliis periisque locis, gesta sunt, causam (2) dicant. Porro de gratia Regia pene omnes desperarunt, dum criminalium processuum nullum finem vident, ac jam ultra 8000. homi-

(2) Vide Bosrium lib. 5.

Digitized by Google

hominum proſcripta, bannitaque ſunt, præter eos, qui publico ſupplicio affecti fuerunt. Rogandus autem nobis eſt DEUS, ut cor Regis, quod in manu ejus eſt, tandem aliquando ad clementiam miſericordiamque flectat.

Tzommo noſter adhuc duro carcere detinetur. cujus conjunx huc habitatum venit, ut interdum pro marito intercedat: quanquam hactenus omnibus amicorum officiis non aliud effectum videtur, quàm ut quidam, qui ejus cauſam tractant, magis offenſi irritatique redditi videantur: cùm ego teſtis eſſe poſſim, in initio harum turbarum eum operam præſtitiſſe in propellendis iis qui Walachriam inſulam in ſuam poteſtatem redigere moliebantur.

De Denneterio lætiora, quàm quæ noviſſimis tuis literis continebantur, expectamus, Dominationemque T. enixe rogamus, ut quod optimum ei videbitur, ei conſulat.

Præſidis quondam noſtri Nitzenii filius huc quædam negotia ſollicitaturus advenit, mihique indicavit, ſe quandam pro matre ſupplicationem ad D. V. miſſurum, rogans ut illam eidem de meliori nota commendare non graver, quod ob ſuperioris memoriam, & quam cum eo ſemper colui amicitiam, denegare non poſſum. Commodiorem autem ea de re ad Regiam Majeſtatem referendi occaſionem fore arbitror, cùm de novo Præſide in Friſia conſtituendo Illuſtriſſimus Dux ſententiam ſuam perſcripſerit. Bruxellæ. x. Novembr. CIↃ IↃ LXIX.

EPISTOLA XCIII.

Piratæ abacti. Princeps Auraicenſis in Germania. Colonia Agrippina proſcriptorum in Belgio plena: quorum Viglius minas contemnit.

CL. HOPPERE, ſuperioribus diebus ſignificatum mihi fuit, curſorem in Hiſpaniam abeuntem jam in procinctu eſſe, quapropter, quæ habebam, feſtinanter tum ad D. T. perſcripſi. Verùm cùm nondum eum dimiſſum intelligam, exemplum Epiſtolii Domini Mepſchii adjiciam, unde intelliges, piraticas naves, quæ portus noſtros aliquandiu obſederunt,

Digitized by Google

dernat, illo abiisse; & hoc certe anni tempus nos ab eorum minis liberare debet. Princeps quoque Auraicensis jamdudum in Germaniam rediit. Verùm Gallica victoria consternatus, consiliique incertus, quo se vertat, non satis hactenus constituere potuit. Colonia autem, ubi hactenus ejus conjunx delituit, proscriptorum ex nostra Provincia plena esse fertur, qui ibidem aliquando ad patrios lares revertendi, & se de nobis ulciscendi occasionem expectant. Verùm quos olim majoribus frecos auxiliis repulimus, nunc viribus destitutos non est quod multum metuamus. Bene vale, CL. Hoppere. Bruxellæ. XVII. Novembr. CIↃ IↃ CXIX.

EPISTOLA XCIV.

Legati ex Anglia re infecta reversi, ubi Regina animum non habet ad veterem amicitiam renovandam, Albano infensa. Tysenachius in via. Roda advenit. Gratia Regia allata, non publicata. Tzommo cur non absolvitur? Hopperi uxor cum sponsa Regis in Hispaniam profectura.

Scripsi ad te, CL. D. Hoppere, XXIX. Decembr. Verùm heri ex Courtewilio intellexi, cursorem, per quem literæ nostræ perferri debebant, nondum abiisse. Itaque hasce cum illis accipies. Interea vero Marchio Vitellius, atque legati nostri ex Anglia re infecta redierunt; nec multum voluntatis animique Regina habere videtur ad veterem amicitiam restaurandam, ac ubique fere odium ac indignationem tam erga Oratorem, quàm ipsum Ducem prætexit, objicitque. Et diversæ religionis homines, qui apud illam rerum potiuntur, oleum camino addunt: unde, quamdiu hi humores manent, haud magna spes concordiæ apparet.

D. Tysenachium jam speramus esse in Burgundia, cùm nuper huc advenerint, qui apud Taurinum se eum reliquisse referunt. Consiliarius Hispanicus Roda VIII. hujus huc salvus appulit.

Gratiam tam diu expectatam quidam allatam referunt. Verùm

Digitized by Google

rùm ego adhuc nihil ejus vidi, nec ea forte publicabitur, niſi impetratis prius iis, quæ à Statibus poſtulata, &, ut alii dicunt, poſt meſſem ſpicæ lectæ fuerint.

Interea Tzommo, ut antea, carceri incluſus manet: & ejus cauſam non male inſtructam audio, ſed innocentem, poſt longam detentionem abſolvi, quidam putant judicum reputationi parum convenire. Si forte huc Regiæ Majeſtatis ſponſa deduceretur, ut claſſe in Hiſpaniam trajiceret, (de quo aliquid fertur) oportuniſſimum uxori tuæ eſſet, ejus comitatui ſeſe conjungere. Sin vero alia via Regina per Italiam tendet, autores conjugi tuæ erimus, ut & ipſa eò proficiſcatur; rationem itineris ab Tyſenachio intellectura. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. XI Decembr. CIↃ IↃ LXIX.

EPISTOLA XCV.

Interceptæ literæ. Optat cito advenire Tyſenachium: quem Duci Albano non æque gratum fore, ſubodoratus eſt. De nepote Folcardo apud principes Bohemos collocando, aliisque nepotibus in Italiam mittendis. Piratæ a Friſia repulſi. Auraicenſis a conjuge magnis jurgiis exceptus. Cunerus Epiſcopus conſecratus. Major ſpes de Cardinalis Granvellani reditu. De ſubſidiis, & bulla pontificia imprudentius publicata.

LIteras tuas, CL. D. HOPPERE, V. Novembr. ſcriptas, prima Decembr. hîc accepi. Cùm autem ego XXIII. ac XXVII. Octobris ac. X. atque XVII. Novembris, meas amicorumque nonnullorum ad te dederim, intellexerimque curſorem apud Pariſios, reſerata mantica, nonnullorum literas ibi reliquiſſe, inter quas fuiſſe aliquot ferunt, D. T. inſcriptæ, quòd pondere earum nimium gravari ſe diceret, quæſo ut ſignifices, quænam ad te perlatæ fuerint, nam alias ejus rei ſubeſſe cauſas ſuſpicamur.

Denne-

Digitized by Google

Denneterium meliuſcule valere gaudeo. Verùm ſi conceptos humores penitus excutere nequibit, non aliud habeo conſilium, quàm quod nuper perſcripſi.

D. Tyſenachio omnem proſperitatem opto, ut quam certiſſime nobiſcum ſit. Subodoror autem, Duci eum non æquè gratum fore, ſed ubi propius eum cognoverit, ſententiam mutaturum ſpero. Ego certe plurimum lætor me ex hoc piſtrino liberari. Pergratum mihi erit, ſi Folcardo locus apud Principes Bohemos contingere queat, & puto imperatorem non id gravate in meam gratiam conceſſurum. Verùm injecit mihi D. T. ſcrupulum, quod tanta illi ſumma quotannis opus fore ſcribat, quantam filio numerare mihi grave foret. Neque enim veſtitu ſumtuque ſuperfluo, ſed potius humilitate, obedientia, ac diligenti ſervitio, fideque, domini ſui gratiam promereri illum velim: ac in hujuſmodi Principum aulis manſiones multæ ſunt, noſtrumque ſuo ſe pede metiri ac ſeipſum noſſe velim. Non ignorat enim paternarum facultatum tenuitatem, & me quam plurimos habere nepotes nepteſque, qui mea beneficentia æque indigent. Quamobrem cuperem eum in dictorum Principum Aula illi locum obtingere, quo miniſterio ſuo aſtrictus, in otio ac luxu vitam degendi, & me ſuperfluis ſumptibus gravandi, omnis ei occaſio præciſa eſſet. Quod ſi tamen aliquid ſubinde adjicere ſummæ 300. florenorum opus erit, modo bene ſe gerat non difficilem me præbiturus ſum. Et certe etiamſi dimenſum forte duplicarem, vererer tamen ne majorum impendiorum occaſionem inde acciperet, cùm ea ætas difficulter modum tenere ſciat: ut ut eſt, rem totam tuæ prudentiæ arbitrioque permitto.

Nuptias conſobrini tui cum ſorore ejus hilariter peractas frater ſcribit; ac D. Comes Meganus in reſignatione Grieteniæ in tuam meamque gratiam non gravate conſenſit.

Salamanticenſibus jam antea ſcripſi, quantam pecuniam illis quotannis erogare conſtituiſſem, placereque mihi, ut acceptam iſthic à mercatoribus, hîc ubi certior factus ero, renumerem. Cuperem autem ut Hiſpanicæ linguæ diligentem darent operam, quo, ſi ita videbitur, futura æſtate Italiam adire poſſint, ut Romæ (quando Bononiæ aut alibi propter inter-

Digitized by Google

dictionem fortassis non licebit) gradum ulteriorem accipiant, ac tandem Patriam repetere possint.

Piratæ proscriptique quibus D. à Dolheim præest, postquam aliquot hebdomadas in Flumine Amaso Delffzil obsedissent, inde à Domino à Billy repulsi sunt. Verùm juxta insulas vicinas adhuc subsistunt, ignoramusque, quid porro attentare prætendant.

Auraicensis apud Principissam Conjugem Coloniæ fuit; verùm magnis jurgiis exceptus, Dilleburgum rediisse fertur.

(3) Cunerus Episcopus noster jam consecratus necessariisque mandatis instructus, in Frisiam tendit, illique adjunximus Decanum Sanctæ Gudulæ, ut illi circa principia functionis suæ consilio operaque assistat.

Ex Illustrissimi D. Cardinalis literis paulo majorem soliso de ejus ad nos reditu, spem concepimus; sed ex tuis literis spero me certius aliquid cogniturum.

Nos adhuc hîc de subsidiis, operam quam possumus damus, sed Ecclesiastici, clericique excusatos se cuperent propter bullam Pontificis hisce adjunctam: cujus imprimendæ absque Consilii scitu potestatem quidam ex Secretariis nostris imprudentius fecit, quam publicari etiam ob alia quædam capita parum conveniebat.

Conjugi tuæ pergratum fuit de pensione ducentorum ducatorum filio data, nuntium, de qua & ego multum gaudeo. Precorque ut cumulatiorem Regis erga te, liberosque munificentiam quotidie experiare. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ, IIII. Decembr. CIↃ. IↃ. LXIX.

EPISTOLA XCVI.

De rebus privatis. Obitus Confessarii Ducis Albani. Tragœdia inter Hispanos ejus aulicos.

CUm cognoverim, HOPPERE CL. cursorem nondum hinc abiisse, adjiciam superioribus literis meis tria verba,

(3) De hujus Episcopi ingressu, & missione in possessionem, *V. Heussen. hist. Episc. Leovard. p.* 40.

Digitized by Google

ba, ut significem, Reipium patruelem tuum ex Frisia huc heri advenisse, omniaque illic recte se habere, nobis annuntiasse. Literas quoque mihi à Petro Ruygers attulit, quibus cùm dicat se ad te quoque omnia inter nos acta perscripsisse, & ille nullas ab eo attulerit, visum mihi fuit ipsius hisce conjungere, ex quibus non modicam accepi voluptatem, quòd eum linguæ latinæ non oblitum inde intelligam: qui cum administrationem Grimmanni, sive judicis in Brabantia, habeat propediem aggressurus sit, hortari quoque te illum velim, ut diligenter laudabiliterque id obeat. Soror ejus, quæ Gratiniæ nupserat, vidua facta est, ac à primi matrimonii, quod parum fœliciter ei cesserat, vinculo liberata est.

Frater meus in rus Zuichemium concedit, filiumque D. V. ex animo commendat.

Amisimus hîc nudius tertius Confessarium Ducis (4) virum apprime doctum, & singularem novorum Episcopatuum decre-

(4) „ *Confessarius Ducis*] Fr. Alphonsus de Contreras Ord. „ F. F. Minorum theologus, interfuit Tridentinæ Synodi, habuitque in eo doctissimorum hominum consessu Pio IV. P. M. „ nuncupatam *Orationem de Reformatione Ecclesiæ Dominica II.* „ *Quadragesimæ*; quæ cum aliis edita est Lovanii an. 1567. „ Brixiæque seorsim 1563. Hic ipse est, quem *Franciscus* (vo- „ luit dicere *Ferdinandus*) *Toletanus Albæ Dux* habuit a con- „ fessionibus, & in cujus obitu *Julianus* quidam *Grandamicus* „ Orationem habuit, editam typis Plantinian. in 8. Contigit „ hic Bruxellis 7. die Decembris 1569. Fuit singulari vir mo- „ destia, multaque rerum experientia probatus, *qui* (ut utar „ *Lucæ Waddingi* verbis in Bibliotheca) *cum jam res genioſque* „ *Belgarum penitus cognoscere cæpisset, multorum judicio* (*supervi-* „ *vere si potuisset*) *illæ non tantum inclinassent*," Ita *Nic. Antonius* in Bibl. Hispan. tom. 1. p. 15. In Catalogo theologorum Conc. Tridentini dicitur Commissarius Ordinis in Curia Regis Hispaniarum, & ab ipso Rege missus Tridentum. Epitaphium, sepulturæ locus, alterumque elogium *Alphonsi*, citatur in Brabantia illustrata Sanderi tom. 3. p. 72. novæ edit. Ac inter cætera narratur *Vitlius* in ejus obitu dixisse ad Minoritas: *Cecidit corona capitis vestri.* Alter *Albani* Ducis jam in Hispaniam reducis Confessarius fuit magnus ille *Ludovicus Granatensis*, Ordinis Prædicatorii decus, qui & moribundo

Digitized by Google

decretorumque Concilii Tridentini promotorem, cum quo sæpe ac lubenter tractabam, quæ Dux mandarat ejusque mortem perdolenter tuli.

Incidit hîc nuper tragœdia quædam inter eos, qui prima apud Excellentiam suam authoritate pollent, quæ nonnihil animum ejus excruciare videtur; quod mihi sane ex animo dolet. Et cum ipsi hic forte ab Hispanis ipsis plura intellecturus sis, ad te perscribere nihil est opus. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ. IX. Decembris. CIↃ IↃ LXIX.

EPISTOLA XCVII.

Mittit duplicatum Epistolæ præcedentis. Masii nuntiat obitum, & Hovelmanni, ut illi succedat, desiderium.

CL. D. HOPPERE, cùm nono hujus mensis novissime ad te scripsissem, ac nunc intelligerem expediri cursorem cum duplicatis literarum Illustrissimi Ducis, volui & ego mearum exemplum adjungere, tametsi nihil occurrisset posterea scriptu magnopere dignum, nisi hoc fortassis, quod Masius (5) ante triduum extinctus est, magno scilicet Cancellarii,

do adstitit, teste *Famiano Strada Decad. 1. lib. 7. ad an.* 1573. Narratur, (locus non occurrit) in Vita Ducis *Albani* Gallice vulgata, *Granatensem* primò trepidasse, dum sibi in tribunali pœnitentiæ subjectum adspiceret Ducem, tot cædibus, incendiis, direptionibusque (ut accusabatur) oneratum.

(5) *Masius*] Jacobus U. J. D. Consiliarius Consilii Brabantiæ Bruxellis. *V. Borrium lib. 5. f. 224. Vso. Prior. edit.* Porro inter Senatores Brabantinos adlectus est an. 1556. E conjuge sua *Aleyde de Tassis* præclaram reliquit prolem, nimirum *Engelbertum Masium* Senatus Supremi Mechliniæ Consiliarium, post Sanctioris seu Privati Consilii præsidem (*V. Tomb. des hommes illustr. du Conseil Privé p.* 21.) *Carolum Masium* Episcopum Iprensem, dein Gandavensem (*Vide Sanderi Flandriani. Tom. 2. p.* 301.) *Joannem Baptistam Masium*, Senatus Brabantiæ Consiliarium, & *Philippum Masium* Ordinum Brabantiæ Graphæum &c.

Digitized by Google

larii, collegarumque ſuorum dolore, in cujus locum Hovelmannus (6) ſuccedere deſideraret, qui nunc ſub iracundo Magiſtro in Conſilio confiſcationum, operam ſuam haud ita lubenter impendit.

De Domino Tyſenachio ſolliciti ſumus, cùm ab diſceſſu ejus nihil de eo intellexerimus. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ. XVII. Decembr. CIↃ IↃ LXIX.

EPISTOLA XCVIII.

De literis Regiis ſuper ſuo & D. Tyſenachii negotio, qui Genuam apulſus eſt. De confiſcatis bònis conſilium ſuum aperit; & Secretariorum, quos ſæpe commendavit, rationem haberi deſiderat: expectans ipſe Regiæ in ſe liberalitatis effectum, quem Hoppero commendat pro collegio ſuo Lovanienſi. Duci Feriano operam, ſi poſſit, navabit. Nepotes ſuos in Hiſpania morari; dein in Italiam eos, Dekamanosque properare, concedit. Blaſerius in negotio Tholenſi occupatus. Conſiliarii Belgæ Lutherani, beſtiæque habentur. Piratæ rurſus apparuêre.

ACcepi, CL. HOPPERE, XVIII. hujus menſis die abs te literas XX. alterius menſis ſcriptas. Ex quibus intellexi ab VI. Septembr. nullas alias tum à me fuiſſe redditas. Ego vero memini II. XXIII. ac XXVII. Octobr. nec non X. ac XVII. Novembr. & rurſus IV. IX. & XVII. Decembr. poſtea me ad te ſcripſiſſe. Verùm ut ex quibuſdam intelligere potuiſti, non ſine metu fuimus, ne parum ſyncere cum noſtris literis agatur. Alteras tuas accepi XXII. Novembr. datas: ſed quas pridie ejus diei ſcripſiſſe te ais, non ſunt redditæ. Inter cæteras autem, quæ ad Ducem mittebantur, oblatæ mihi

(6) *Hovelmannus*] ſeu potius *Heuvelmans* (Joannes) anno 1569. ſucceſſit *Maſio* in muneré Senatorio. *Ex ſchedis J. F. Foppens* ſolo nomine notus eſt.

Digitized by Google

mihi sunt legendæ Regiæ literæ ad Excellentiam suam iiii. Sept. datæ : ex quibus Majestatis suæ resolutionem de Domini Tysenachii ac meo negotio utcunque intellexi. Verùm illo adveniente, ex literis ad me per Majestatem suam scriptis, planius ejus voluntatem intellecturum me spero.

Albernotius autem Secretarius Ducis heri nobis retulit, eum Genuam v. præsentis mensis appulisse, gavisique suorum omnes, eum incolumem ad portum pertigisse; nam reliquum quod terra iter superest, licet tempus hyberhum sit, facile illum superaturum speramus.

Consilium de confiscatis bonis mihi non omnino displicet, sed velim Regem aliis non tam elargiri, ut sui ipsius obliviscatur. Meminisse enim debet, dominium patrimoniumque suum mirum in modum attritum, ne dicam consumptum esse.

Facta autem hîc erat spes ab Illustrissimo Duce nonnullis, ut ex promta pecunia, quæ fisco ex annuis proventibus divenditioneque mobilium accessit, aliqua summa bene meritis præberetur. In quibus rationem haberi optabam Secretariorum nostrorum Vanderani, Bertii, Scharenbergeriique, quorum immensi labores fidelissimaque servitia, & Duci clarissime cognita sunt, & ego aliquoties apud D. V, commemoravi. Verùm omnes mora longaque expectatio prope in desperationem adducit, enecatque : & sane non videmini meminisse antiqui proverbii : Bis dat, qui cito dat. Me quoque Dux adveniens in spem magnam Regiæ liberalitatis adduxerat, sed jam biennium cum trimestri agitur quod sub eo continuando laborem, effectum nullum ejus munificentiæ sentio, quanquam illum intelligam, commendationem mei de meliori nota apud Regiam Majestatem præstitisse. Ac D. V. de dotando meo Collegio aliquid quoque scribit. Verùm cùm jam in illud facultatum mearum magnam partem erogaverim, supplere me hæredibus posse desiderarem, quod ipsis ademi. Quamobrem, mi HOPPERE, si liberalitatem Regiæ Majestatis erga me excitare promovereque queas, id ut facias, pro nostra amicitia etiam atque etiam rogo.

In eo quod illustrissimus Dux Ferianus fieri à nobis desiderat, vereor ne eam operam ei præstare possimus, quam illius

Digitized by Google

illius Excellentia exegit, cum ex nostris ita pauci nobiles Regiam Curiam, Hispaniamque frequentent; connubialisque amor conspectu, notitia ac familiaritate quadam prius conciliandus sit. Verùm lubenter cogitabo, si Excellentiæ suæ in hoc aliquam navare operam quivero: Nepotes tres meos qui apud Salamanticam agunt, usque ad proximum autumnum in Hispania morari velim, quo linguam plenius addiscant, ac deinde Italiam adire, ut hyemem illic transigant doctoralemque lauream accipiant, ac sub Martio deinde ad nos revertantur, quod consilium quoque ipsis suadeas velim. Dekamani vero, si citius eo properare volent, impedire nolim, quando hoc tantopere eos desiderare intelligo. Sed vereor ne in re pecuniaria procuranda difficultatem inveniant, cùm mihi non eadem facultas erit, eamdem quæ hactenus isthic mihi Dominationique Vestræ procurandi fuit, & ætatem studiaque ipsorum requirere putem, ut longius ibi quam cæteri mei subsistant. Bucho noster, ubi paulo maturuerit, videtur mihi in suo ordine aliquem locum meriturus, & gratissimum mihi certe foret, si hoc, quod scribis, efficere possemus.

Janssenii Ecclesiasticum dudum ad te misi, sed nescio an cursores onus abjecerint.

Blaserius Tholensem Remp. reformare cœpit sed (7) adhuc pleraque ibi exequenda restant, ipseque Mechliniam rediit, cùm Vargæ hîc non æque gratus fuisse dicatur.

Gaudeo, quod de pensione filio data antea nobis scripseras, effectum sortitum esse.

Cum Ruoda Consiliario alii aliquot ex Italia venturi feruntur, cùm hîc omnes Lutherani bestiæque habeantur.

De Classe quæ in Hispaniam hinc ablegatur, nihil auditur, ac nostratibus, Portugalensibusque facultas eò denegatur, de quo mirae nautarum mercatorumque sunt quærimoniæ. Oistlandis autem eo navigare permissum fuit, cum quibus visum nonnullis fuit, conjugem familiamque vestram sat tuto navigaturam, nisi illi mare abhorreret, teque inscio nihil faciendum putaret. Denne-

(7) *Joannes de Blaesere*] Consiliarius Senatus Mechliniensis, postea Præses Flandriæ.

Digitized by Google

Denneterium noſtrum melius valere gaudeo, deque eo antea ad te ſcripſi, quid conſilii habeam.

In Contributionis negotio adhuc hæremus, optaremusque illud cum Ducis, Statuumque ſatisfactione eſſe expeditum.

Piratæ, qui relicto Amaſi flumine ad mare ſe receperant, atque in Angliam aliamve regionem abituri videbantur, cum pluribus navibus rurſus idem flumen ingreſſi ſunt, & prope Eembdam conſedere, ubi cum noſtris quotidianus illis eſt conflictus.

Quid de Folcardo ſtatueris avide cognoſcere cupio; quod ſi nimiis opus fuerit impenſis, ſatius erit aliud quærere conſilium. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ. XXIX. Decembris. CIↃ IↃ LXIX.

EPISTOLA. XCIX.

Hopperi conjux diſceſſum parat in Hiſpaniam. Epiſcopi ab Albano evocati ſuper gratia apoſtolica exequenda. Quemadmodum malos pœna manet, ita boni expectant præmium: inter quos fratrem Rintzium numerat. Rollema abſolutus, aſt non reſtitutus libertati: ſuper quo dolet, non ſine querela. Status nondum in poſtulata Ducis conſenſere.

CL. D. HOPPERE, ſententiam conjugis D. V. ſuper itinere Hiſpanico, de qua noviſſime ad eandem ſcripſeram, diligenter illa proſequitur, omniaque ad illud accurate componit, & jam gener veſter Caſtellanus Goudenſis cum filia advenit, ut diſceſſum paranti valedicat. Et ſi venti, qui aliquandiu hîc flaverunt, continuarentur, confiderem eam citius opinione veſtra iſthuc appulſuram.

Illuſtriſſimus Dux Præſules aliquot huc excivit, ut cum ipſis de gratia apoſtolica exequenda communicet, ſperamusque Regiam condonationem, quam tamdiu deſideravimus, mox ſubſecuturam.

Expectant autem complures, quorum præclara rebus difficillimis

Digitized by Google

ficillimis erga Regem merita extiterunt, ut quemadmodum, qui deliquerunt pœnis ita illi præmiis aliquibus alliciantur, cujus jamdudum ſpes aliqua illis facta eſt. Et ſi inter eos Friſiorum habebitur ratio, fratris certe mei Rintzii, qui & partes Regis fortiſſime tutatus eſt, & multis ſeſe periculis expoſuit, ut memoriam D. V. habere dignetur, etiam atque etiam rogo.

Rollema noſter, quem intelligo ſententia judicum, qui de cauſa ejus cognoverunt, abſolutum eſſe, hactenus tamen non aliud impetrare potuit, quàm ut illi laxior concederetur cuſtodia, & à carcere, in quo nulli ad eum acceſſus patuit, in frontam (8) Bruxellenſem relegaretur. Speramus autem hoc dato principio cætera ex deſiderio noſtro ſucceſſura. Saris autem intelligimus eos, qui captivitati ejus forſitan nimis facile aſſenſum præbuerunt, reputationis honorisque ſui majorem habere, quàm rei temere delati innocentiæ rationem.

Multum autem Gurdio noſtro debet, qui ejus cauſam ſtrenue defendit.

De Statuum noſtrorum in poſtulationem Illuſtriſſimi Ducis, aſſenſu, nihil adhuc certi ſcribere poſſum, cùm variis adhuc ſententiis agitentur. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. VII. Aprilis. CIↃ IↃ LXX.

EPISTOLA C.

Viglius cum Duce Albano Antverpiæ. Piratæ infeſtant Friſiam, a quibus defatigatus frater Rintzius, mortem obiit ſucceſſoremque in Gritenia ſua accepit cognatum Hopperi. Sonnius in Epiſcopatum Antverpienſem plaudente populo inductus. Nullus Daventriæ Epiſcopus. Barlemontii filium pro penſione Echternacenſi, & Boëtii cauſam commendat.

(8) *Fronta*] Vulgo: *De Vrunte.* Cuſtodia Civilis, retro urbis Magiſtratûsque palatium, quod *Stadthuys* nominamus.

Digitized by Google

mendat. Episcopus Leovardiensis de administratione sua ad Viglium refert, hic ad Regem.

CL. D. HOPPERE. Ut abs te raniùs literas accipimus, ita quoque nostras ad te tardius perferri animadvertimus, quod non nostra culpa, sed eorum, quorum favore iis mittendis opus habemus, accidit.

Cum Illustrissimo Duci placuisset certas ob causas Antverpiam ire, me sibi comitem esse voluit, quo ante biduum advenimus, conjugi suæ liberisque Bruxellæ vale dicto, si forte eam in Zelandiam abire contingeret, priusquam eo reverteremur. Nam, jam rebus omnibus compositis, confestim ad primam classis ventorumque oportunitatem, sese itineri Hispanico committere.

Rumor hîc aliquis est, Regiam sponsam hac quoque iter facturam & per idem mare navigaturam; verùm conjunx strepitum turbasque ac impedimenta devitare cupiens, mallet illius adventum prævenire, præsertim cum jam omni ex parte, ut videtur, parata sit. Cui DEUS Opt. Max. concedat, ut felicissimo celerrimoque itinere ad te perveniat.

Frisiam nostram piratæ, prædonesque quotidianis excursionibus infestare non cessant, quibus frater meus Rinzius defatigatus, in morbum incidit, qui illi paulo post mortem attulit, cujus Grietteniam, ad amicorum intercessionem, Comes Meganus Dodoni à Zixma Burgimagistro Leovardiensi cognato tuo contulit. Fuerat autem inter eum & defunctum summa amicitia conjunctioque, cùm duas sorores Consiliarii Rommers filias in matrimonio haberent.

Nudius tertius Reverendissimus D. Sonnius Episcopatus hujus urbis possessionem accepit, deducente ipsum Illustrissimo Duce, plurimaque procerum civiumque turba comitante. Mirum quomodo se animi omnium Regiæ voluntati accommodent, à quo antea tam averfi fuerant. Restat autem fosus nobis Daventriensis, de quo major est difficultas, quo minor illi ad necessarios sumptus faciendos facultas suppetit.

Dominus Barlemontius me rogavit, ut tibi filii sui causam commendarem, quò apud Regem suffragari velis, ut pensionem,

Digitized by Google

neo, qua super Echternacensi Abbatia (9) frustratus est, aliunde refarcire dignetur.

Mitto quoque literas à Boëtio, qui tibi negotium suum commendatum esse cupit.

De Folcardo nepote meo quid constitueris, aut quomodo se apud D. T. gerat, cognoscere valde aveo. Ab Salamanticensibus quoque nostris dum D. T. à Madrito abest, nihil audio: spero tamen illos tibi curæ esse, & cùm ad autumnum proximum in Italiam proficisci desiderent, rogo ut dispicias circa id tempus, an tuto se mari committere possint. Bene vale CL. D. HOPPERE, Antverpiæ III. Martii CIↃ IↃ LXX.

Junxi hisce literas Illustrissimi Episcopi Leovardiensis, ex quibus breviter successum, progressumque ipsius in administratione novi Episcopatus sui cognoscere, & Regiæ Majestati per opportunitatem (si ita D. T. videbitur) referre poteris.

EPISTOLA CI.

Studet Albano eximere scrupulum de jure nominationis ad vacantes sedes Episcopales, quod Consilio competeret. Tzommo absolutus & in laxiore custodia. Conjux Hopperi ad profectionem parata. Ab decimo denario horret populus; ejus exactio difficilis. Duo milliones ejus loco præstandi. Pro fidelibus populis votum facit. Gratiam Regiam Dux promittit. Mercedem expectat a Rege. Res sibi angusta domi nisi Præpositura S. Bavonis succurreret. Fratris demortui hæredes commendat. Leov. Episcopo monasterium Bergumense cessum. A Card. Segu-

(9) *Echternacensi Abbatia*] Echternacum, seu Epternacum ad Suram amnem in Ducatu Luxemburgensi municipium seu oppidulum est, cujus dominium est penes Abbatem, celeberrimi & vetustissimi Monasterii Ordinis S. Benedicti.

Digitized by Google

Seguntino literas accepit. De Lanſpergenſi fœdere. De Denneterii fratre. Literæ commiſſionis præſidis Hiſpano ſigillo muniendæ. Præpoſitura Namurcenſis.

VIx obſignaram meas literas, CL. D, HOPPERE, quas ad te III. hujus dabam, cùm tuæ mihi adferrentur v. Aprilis ſcriptæ, quæ mihi gratiores fuere, quo plus expectatæ, ad quas nunc aliquid per eundem curſorem reſpondebo.

Hovelmannus cæteris competitoribus prælatus fuit; in Reverendiſſimi autem Brugenſis locum nemo adhuc ſurrogatus eſt, quod ſcrupulum quendam Illuſtriſſimo Duci injecerint, qui cuncta hîc novata volunt, de jure ac privilegiis nominationis Conſilio in ejuſdem inſtitutione conceſſo, quem ego, quoad poſſum, eximere illi ſtudeo.

Tzommo laxiore carcere utitur, conjugique ac cæteris amicis eum inviſendi facultas conceditur, cùm omnium, ut audio, calculo ſit abſolutus, ſed forte ad tempus gratiæ reſervatur, qua neſcio, an nullius ſibi culpæ conſcius, uti volet.

De Conjugis tuæ profectione ſuperioribus literis ad te ſcripſi, ac brevi ſpem ejus adventus feci, jamque illa ad iter plene parata eſt. Sed ventos ſecundos expectare neceſſe habet, qui rarius hoc tempore flare ſolent, quod & fortaſſis Reginam noſtram hac iter facturam remorabitur.

Ab decimo denario rerum, quæ vendentur, populus noſter plurimum abhorret, ac pleræque Provinciæ quotam ſuam, in duorum millionum annua præſtatione, lubentius conſentient, quæ etiam multo facilioris eſſet ſolutionis, cùm exactio decimæ partis pretii, ultra multas fraudes, multis quoque rixis ſubjacebit. Nec dubito, quin Regia Majeſtas, ſi adeſſet, populi ſui precibus aliquid datura eſſet, ac tam multis, qui culpæ fuerunt obnoxii, punitis, cæterorum fidelium ſubditorum, quorum operâ, ſane aliqua ex parte, Reſp. noſtra conſervata fuit, rationem habitura.

Gratiam Regiam, atque Apoſtolicam ante feſtum Trinitatis publicaturum ſe Dux promiſit.

De Mercedibus autem, uti vos vocatis, nihil hactenus certi

Digitized by Google

certi intelleximus, sed spe omnes aluntur. Ego vero, si Regiæ liberalitatis particeps ero, tibi potissimum acceptum feram, quanquam & Ducem, labores meos fidemque Regi commendasse, intelligam. Id autem tibi non incognitum arbitror, satis angustam rem domi fore, nisi sumptibus faciendis præpositura Sancti Bavonis me sublevasset, ex cujus fructibus, quod comparsi in Collegii mei exstructionem cum proprii patrimonii detrimento converti.

Fratem meum, qui plus cæteris adversus piratas hostesque Majestatis suæ laboravit, D. T. commendaram, verùm mors non est passa, ut aliquot meritorum suorum præmium vivus acciperet. Consolationem autem aliquam hæredes essent accepturi, si servitiorum ipsius memoriam Regia Majestas se habuisse declararet. De Leovardiensi Episcopo, præcedentibus ad te literis te certiorem feci: atque ita amici eum adjuverunt, ut Bergumensis Prior monasterii & bonorum ejus administrationem illi cesserit. Verùm dote plena non antea potietur, quàm illis religiosis omnibus, quibus pensionem dare tenetur, mortuis. Admonebo autem eum, ut successus sui cum debita gratiarum actione Regiam Majestam certiorem faciat.

De Folcardo, ut verum fatear, postquam Principes Bohemiæ in Germaniam revertuntur, consilii mei me pœnitet; multoque malim, eum in Hispania adhuc manere, ac in fratrum, si una, ut dicitur, venient, Reginæve servitium locum illi fieri; relinquo tamen tuo arbitrio, quod optimum tibi videbitur, de illo constituendi.

Nepotes, qui te isthic invisérunt, me id latere voluerunt, & mallem eos libris domi assidere, quam ita discurrere.

De profectione autem eorum in Italiam cogitare te velim. Ad quam dimidii anni dimensum ipsis, si tibi ita videbitur, prærogari poterit, curaboque ut Mediolani, si Tycinum adire volent, vel Romæ, prout voluerint, pecunia alia eis subministretur.

Illustrissimi Cardinalis Seguntini (10) literas accepi, cujus

(10) *Seguntinus*] Nullum invenio hujus cognominis Cardinalem.

jus exemplum hisce conjunxi. Mihi autem videtur, nihil aliud respondendum, priusquam ipsius effectus, alias mihi ad eum rescribendi gratiasque agendi, occasionem præbuerit.

Lanspergensi fœderi nos æquis conditionibus conjungi, improbare non possum. Sed qui hoc impedire satagunt, alios in id adsciscere student, cum quibus nobis non satis convenit: vereorque, ne in ejus conclusione plus à nobis conferri petant, quam commode contribuere possumus; veruntamen magnum ex eo tranquillitatis publicæ hisce Provinciis stabilimentum inde accessurum esset, si Regiæ Majestati super eo providere placeret.

Denneterii fratri Reverendissimus Brugensis (11) ob tuam commendationem Canonicatum in Ecclesia sua obtulit. Verùm Archiepiscopus Cameracensis, juvenis indole perspecta, cum prior beneficio devinxit; & jam cum Capitulo suo rebus omnibus amicabiliter compositis, ejus facultas ipsi non deerit.

Literas commissionis meæ Dux hîc sua sponte expediri jussit, quarum copiam cùm Bruxellam rediero D. T. mittam, ut si ita videbitur, eæ vestro sigillo comprobentur.

Præpositura Namurcensis nullius, ut intelligo, est momenti, & secundum rotulam, ad eam jus prætendere D. Berlemontii filium (12) intelligo.

De liberis vestris omnibus eo advocandis, paternum affectum improbare non possum, indoleque ac ingenio eorum perspectis, D. V. quid cuique magis conveniet, statuere melius poterit. Si quos autem ex illis hîc relinquere placuerit, ego non minorem de ipsis curam habiturum me offero, quàm si ex me ipso prognati essent. Filias autem, cùm jam

nalem. Indicari puto eumdem, de quo aliquoties in antecedentibus Epistolis, *Didacum Spinosa* vel *de Espinosa* Cardinalem S. Stephani in Monte Cœlio, Regii Consilii in Hispania præsidem, Inquisitorem generalem. Qui quod Episcopus Serguntiæ (*Siguença*) fuerit, Cardinalis *Serguntinus* dici posset. *V. Ciaconium tom.* 3. *col.* 1031.

(11) Vide sup. ad Epist. LXXIII.

(12) *Barlemontii filius*] non est eam consecutus. Data fuit *Philippo Lespinée.*

Digitized by Google

jam nubiles esse incipiant, non minus commode hîc elocare potuissemus, sed apud Reginam eas collocandi fortassis occasio D. V. non deerit. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Antverpiæ. Anno CIↃ IↃ LXX. v. Maii.

EPISTOLA CII.

De Hopperi conjuge in Hispaniam navigatura. Regina sponsa Philippi II. expectata apud Neomagum. A decimo denario aversio populi. Gratia Regia nondum publicata.

CL. D. HOPPERE. Cùm nuper Antverpiæ essemus, cursoremque inde ad vos mittendum intellexissem, prolixe ad literas tuas v. Aprilis datas respondi. Posteaque & illas accepi, quas per eum, qui duplicatam vestram ad Imperatorem detulit, misisti; quibus desiderare te significas, ut maritimo itinere, ac ante potius quàm in Reginæ comitatu, conjunx tua isthuc proficiscatur. Quod quidem & ipsa exoptat, jamque omnibus rebus præparatis, in procinctu erat, cùm Dux rumore permotus, piratas in Angliæ littoribus naves viresque recolligere, jussit, ut eidem nunciarem, ne temere se itineri committeret. Huc autem reversus ex ipsa intellexi, nihil eam magis desiderare, quàm ut prima quoque occasione iter hoc ingredi possit, videbimusque, an ante Reginæ adventum commoditas securitasque dabitur. Ipsam autem Reginam sub finem Junii, aut initium Julii, apud Neomagum expectamus: quam inde Dux deduci in Zelandiam procurabit. Verùm nostri optarent, eam per vicinas saltem civitates transire, & futuram dominam debito honore excipere & venerari, uti decet sponsam conjugemque Regis nostri, & neptem Cæsaris Caroli Quinti.

Postulata subsidia nondum (uti desideramus) succedunt, onusque, uti populus veretur, perpetuum, decimi denarii valde aversatur. Condonatio Regiæ Majestatis nondum publicata est, veruntamen in certam spem omnes adducimur, ante hujus mensis exitum eam Illustrissimum Ducem..... propositurum. Bruxellæ. XVI. Maii CIↃ IↃ LXX.

Digitized by Google

EPISTOLA CIII.

Rursus de Hopperi conjuge. Imperator filiam sponsam Regis adducturus est, quæ per Germaniam debito honore excipienda erat. Gratia tandem publicanda; non admodum grata futura. Edictum super re libraria, Aria Montano auctore, publicatum. Aliud conceptum super judiciis criminalibus: in quo Vargiani multa addiderunt graviter displicitura. Populus unde inquietus, pro quo Regis benignitatem implorat. Exules & piratæ in Frisia sacra profanaque diripiunt. De mathematicis lectionibus Lovanii instituendis. De Boëtii negotio quærit.

CL. D. HOPPERE. Dedi proximo mense ternas ad D. T. literas, III. V. ac XVI. Maii scriptas. Conjunx tua postremis tuis literis commota, licet Duce nostro dissuadente, non tamen prohibente, iter ingrediundum statuit, atque hinc in profesto corporis Christi, cum tota familia Gandavum versus discessit: atque ibi apud Hesseliam hospitio recepta, ex Zelandia nuntium de opportunitate navigandi expectandum censuit, aut si occasio securitasque protelabitur, Goudam ad generum secedere decrevit, donec Regina huc advenerit, classisque instructa fuerit, quæ hîc omni diligentia præparatur, atque ad diem D. Laurentii parata fore creditur.

(13) Imperator ad XX. diem Junii apud Spiram una cum sponsa expectatur, secundoque Rheno in Hollandiam sponsa ad-

(13) *Imperator*] *Maximilianus II. Annam* primogenitam filiam suam despondit *Philippo II.* uxorem quartam. Prima fuit *Joanna* Regis Lusitaniæ filia, ex qua *Carolus* Princeps infortunatus. Altera, *Maria* Angliæ Regina, ex qua nulla proles. Tertia, *Elisabetha* Henrici II. Galliarum Regis filia, ex qua aliquot liberos suscepit.

Digitized by Google

adnavigabit, nosque illi apud Noviomagum occursuri videmur.

Principes Electores Ecclesiastici non antea ad comitia venire constituerunt, quàm Regina per eorum civitates ditionesque transierit, debitoque honore excepta fuerit. Proinde, si antea voti compos esse nequibis, ac uxor eo usque apud nos hærere cogetur, cum Regia Majestate communi lætitia perfruêre.

Nos hinc propediem Antverpiam redibimus, ubi ad festum Sancti Joannis solemniter Dux Regiam gratiam publicare decrevit, quanquam nonnulli, ad quorum notitiam illa pervenit, non multum gratam plerisque fore existiment; ac in primis Magistratibus, qui ab ea excluſi videntur, præsertim cùm videant, quo rigore omnia tractentur, & detentio Tzommonis nostri, cognita clarissime ejus innocentia, haud multum bonæ spei cæteris præbet, comminationumque voces aliquando audiuntur, quasi ne nos quidem (qui de vita periclitati sæpe sumus, ac ne in totum Resp. corrueret, fidelissimam operam præstitimus) ab eorum criminatione immunes sumus futuri. Sed ego, etsi hujusmodi susurros facile contemno, bonorum tamen virorum quærelis nonnunquam commoveor.

Arbitror quoque ob tardiorem postulatorum subsidiorum progressum, nonnihil subinde indignationis exoriri, quanquam nos sane omnem diligentiam in persuadendis Statibus adhibemus; sed magnitudo, novitasque eorum & navigationis negotiationisque diminutio magnas difficultates morasque parit, uti Rex ipse coram existens expertus aliquoties fuit.

Mitto ordinationem super typographis ac bibliopolis hîc proximis diebus impressam, quæ majore ex parte ab Aria Montano, Consilioque turbarum profecta est, licet super ea Consilium quoque Privatum auditum fuit: atque aliud edictum de judiciorum criminalium abusibus conceptum à Secreto Consilio fuit, cui Vargiani nonnulla adjunxerunt. Verum nescio an id antea prodibit, quàm forte ad Regiam Majestatem de aliquibus articulis controversis relatum fuerit: qui (14) cùm adversus civitatum veterem morem privilegiaque,

(14) Nulla in sequentibus verbis perspicuitas; obscura confusaque omnia. Sed ita habet MS. & editio Gabbemæ.

Digitized by Google

que, ac nobilium, in exercendo mero, mixto imperio per ſuos judices vaſallosque, jura tenere viderentur, multarumque compendia illis auferrentur [reducta videlicet ad unum correctorem judicemque omni judiciorum auctoritate, Hiſpanico ut ajunt more] noſtri proceres fortiter ei opinioni reluctantur, aliaque nonnulla hic diſputantur, ſuper quibus præſtaret Regem nihil ſtatuere, niſi plenius re intellecta, cognitiſque rationibus per eos potius, qui rerum experientiam habent, quàm alios, qui nihil rectum putant, niſi cui ipſi aſſueverunt.

Interea populus male ad priſtinam quietem tranquillitatemque ſe componere poteſt, dum undique ſe quaſi hoſtibus obſeſſum videt, ut propemodum nemo tutò patriam exire poſſit, dum de novis Gubernatoribus ſubinde rumores ſpargantur, dum Dux redire in Hiſpaniam deſideret, dum inſuetis oneribus per milites plebs affligitur, dum ceſſant commercia, & alia nonnulla, quæ commemorare longum eſſet. Ac utinam nos aliquando benigno oculo Rex aſpiciat, ut veterem erga Majeſtatem ſuam benevolentiam, fidemque hilarius exhibere populus poſſit.

Noſtra Friſia adhuc miſere ab exulibus cæteriſque piraticam exercentibus affligitur, ac non ita diu eſt, quod Hindelopiam invadentes, ſacra profanaque omnia diripuerint, Reinerumque à Fritema affinis mei fratrem, Gritmannum in Bongerabeel nocte intempeſtiva apud Holwert apprehendentes, cum cæteris ſpoliis abduxerint. DEUS Clementiſſimus nos ab his malis aliquando liberare dignetur.

Cum nuper ex Antverpia rediens Lovanium tranſirem, cum Doctore Elberto (15) de inſtituendis mathematicis lectionibus collocutus ſum, ac iſte poſtea ea de re ſententiam ſuam perſcripſit, quam D. V. ex ejuſdem literis hiſce junctis melius cognoſcet.

Boëtius noſter cupit intelligere, numquid in ſuo negotio (16) Rex conſtituerit, atque ejus ad te literas una mitto,

(15) *Elbertus*] Leoninus, de quo Vide Bibliothecam Belgicam *Joannis Franciſci Foppens*, vulgatam cùm hæc ſcriberem die 23. Aprilis 1739.

(16) *Negotium*] Boëtius munus hiſtoriographi Regii petiit, non obtinuit.

Digitized by Google

to, eumque, ut à me poſtulat, D. V. de meliore nota commendo. Hæc habui, quæ nunc ad te ſcriberem, HOPPERE CL. dum curſoris occaſionem expecto, teque cum omnibus tibi charis proſpere valere opto. Bruxellæ. VIII. Junii CIↃ IↃ LXX.

EPISTOLA CIV.

Commendat cauſam, neſcio quam, epiſcopi Buſcoducenſis. De Hopperi conjuge. Tributum decimi viceſimique denarii Friſiis propoſitum. Igramus ab Achlen præſes Friſiæ conſtitutus, cui Sabinum ſuccedere cupit conſiliarium.

CL. D. HOPPERE, literis hiſce adjunctis, quas in abitum curſoris pararam, epiſtolium hoc adjiciam, & rogatu Reverendiſſimi Buſcoducenſis Epiſcopi (cujus ad te literas una mitto) cogor D. T. cauſam ejus commendare, quæ mihi videtur ratione non carere: cùm præter privata onera, & centeſimi denarii, aliiſque multis exactionibus, monaſteria in univerſum graventur.

Conjunx tua territa multitudine piratarum, navibuſque melioribus paſſim in Reginæ adventum arreſtatis, proficiſcendi conſilium diſtulit, & interea Goudam ſeceſſit.

Reinerum à Fritema ſat magno prætio audio ab amicis redemtum eſſe.

Nudiuſtertius cœpit Comes Meganus habere Leovandiæ Friſiorum conventum, ubi eadem, quæ cæteris Statibus propoſita ſunt, Dux poſtulari mandavit, ſed res, ut vereor, non omnino ſine difficultate ſuccedit: cùm quotidianis deprædationibus miſere patriotæ noſtri infeſtentur, depauperenturque, nec protectionem, qualem à Curia expectabant, ſe accipere, conqueruntur.

Heri mihi redditæ ſunt literæ tuæ XVI. Maii Hiſpali ſcriptæ.

(17) De Igramo lubenter Regis reſolutionem cognovi, verùm

(17) *Igramus*] ab Achelen, præſes Senatus Friſiæ conſtitutus, de quo aliquoties. Obiit præſes Parlamenti Mechlinienſis,

Digitized by Google

rùm dubito, num ipſe hac perturbatione temporum de hac novæ dignitatis acceſſione gaudebit, mihi autem de ea nunquam verbum ſcripſit.

Sabino lubenter favebo, dignumque cenſeo, qui in ejus locum ſuccedat, ſed velim ut ipſum epiſtolio Duci commendes: eumque ab religione Catholica, ac officio his motibus facto laudare poteris: de quo ipſe certior eſſe volui, cum privigno ipſius neptem meam elocaremus. Bene vale HOPPERE CL. Bruxellæ. XIV. Junii. CIↃ IↃ LXX.)

EPISTOLA CV.

Regiæ liberalitatis effectum tum ipſe, tum Secretarii Status expectant. Imperator cum ſponſa Regia Spiræ. Publicatio gratiæ Regiæ dilata ob cauſam Trajectenſium, quam defendere conatur. Edictum de non frequentandis exteris Scholis moleſtias excitat, quas Albanus contemnit. Decimi denarii exactio turbas ciet, quem Geldri & Friſii redimere ſatagunt. De rebus familiaribus.

CL. D. HOPPERE, quas ſuperioribus diebus literas ad D. V. ſcripſi, audio adhuc hîc detineri; poſt quod tempus eas accepi, quas ex Corduba XXIV. Aprilis ad me dediſti.

Multi vero anhelant, præcipue Secretarii noſtri, ut tandem aliquando reſolutionem Regiæ Majeſtatis ſuper remuneratione

ſis, & ſepultus eſt in eccleſia noſtra Metropolitana in ſacello S. Nicolai, quod eſt in circuitu Chori, ubi hæc legitur inſcriptio: *Ampliſſimus Clariſſimusque Vir* D IGRAMUS AB ACHLEN, *Eques auratus, præſes olim Friſiæ, poſtea Senatus ſupremi, obiit Mechliniæ anno ſalutis humanæ* M DC. IV. XVIII. *Octobris. Hocque ſub lapide quieſcit.*

Quartiers
Van Achelen, Van Rielle, Vogels, Banck.
Hoytema, Tielſma, Ayta, Hania.

Digitized by Google

ratione laborum ſuorum intelligant. Ego autem, cùm nonnullos audiam magna præmia ab Regia Majeſtate expectare, cum quibus, ſi non majora, ſaltem paria ſervitia, meritaque mea eſſe contendere poſſum, oculi mei luſci fierent, niſi Regiæ Majeſtatis liberalitati ſpeique per D. T. factæ, confiderem. Miror ubi literæ noſtræ latuerint menſe Novembr. anno CIↃ IↃ LXVIII. ſcriptæ; quod autem de noſtris ſubinde ſerius redditis experimur, idem de veſtris accidere puto, cùm mihi literæ ſupradictæ XXVIII. Aprilis ſcriptæ, XXIII. Junii primum redditæ fuerint.

Imperator XVIII. hujus menſis Spiram appulit, ibique Reginam tantiſper detinebit, dum claſſis hîc parata erit: quanquam quamprimum noſtrates illam appellere cuperent, quò noſtræ Provinciæ guſtum aliquem caperet.

Publicatio gratiæ ac condonatio Regia adhuc protelatur, ſub prætextu proceſſus adverſus Status Trajectenſes, vereor autem, ne cum amphora cœpit inſtitui urceus exeat. Habuere enim Trajectenſes Brederodium vicinum infeſtiſſimum, cui ſummo conatu reſtiterunt, connivente colludenteque Principe Orangiæ tunc temporis eorum Gubernatore, nec quicquam ipſis deeſſe conqueruntur, quàm juſtum judicem. Spero autem Illuſtriſſimum cognita cauſa non aliter judicaturum, quàm res ipſa æquitaſque poſtulat, nam quod ad ſubſidia petita pertinet, ob quæ nonnullam indignationem incurrerunt, hoc facturi videntur, quod æquitas ſuadebit.

Edictum de non frequentandis univerſitatibus ſcholiſque exteris, multas hîc nobis excitat moleſtias. Atrebatenſes enim Tornacenſeſque conqueruntur ſibi deferenda eſſe aliquot collegia in Academia Pariſienſi; ac Burgundi proprium miſerunt legatum eodem de gravamine conquerentem. Sed & Archiepiſcopus Colonienſis, Clerus, Univerſitas, ac civitas inſtantiſſime petunt ſe hujus edicti interdictione eximi; verùm Dux flectiſe non patitur, ac preces ſupplicationeſque omnium rejicit, ut ſi quid impetrare volent, non aliud, quàm ut ad vos recurrant, ſit remedium.

Decimi viceſimique denarii exactio adhuc plurimos ex Statibus noſtris perturbat, ex quibus quidam quotam portionem offerentes, biennii dilationem obtinuerunt, cum aliis autem ab decimo denario abhorrentibus, quotamque nimis exceſſi-

Digitized by Google

exceſſivam conquerentibus, adhuc laboramus: interea Geldri quingentis & quinquaginta millibus in quatuor annis ſolvendis petitionem redemerunt, ac Friſii noſtri centum millia obtulerunt, quibus Excellentia ſua non contenta, ſuper majore ſumma inſiſtit.

Conjunx D. T. Goudam ſeceſſit, donec Regina noſtra adveniat, nec aliud habeo, quod hoc tempore ſcribam. Nepotes mei, Decamanique, non dubito quin de nova pecunia ſibi provideri optabunt, verùm expecto donec ſignificent, cui me eam numerare velint, ac interea D. V. conſilio, auxilioque aliquam inveniet rationem, qua ſuis neceſſitatibus ſubveniant. Folcardum autem, ſi adhuc apud vos agit, D. V. rogatam habeo, ut eum admoneat, quo ita ſe in D. V. obſequiis ſervitiiſque gerat, uti me velle intelligit, & ad illum ſæpius perſcripſi. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ. poſtridie D. Joannis Baptiſtæ CIↃ IↃ LXX.

EPISTOLA CVI.

Mittit duplicata literarum ſuarum.

CL. D. HOPPERE. Superiore menſe aliquot ad te literas dedi, verùm cùm intelligam, eas in occaſionem ordinarii curſoris detineri, cum hoc extraordinario, quem abiturum forte intellexi, exempla literarum, quas ſuperiore menſe ad te dedi, adjungere volui, ut ſaltem una aut altera via de publicis privatiſque rebus certior fieres. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ. III. Julii. CIↃ IↃ LXX.

EPISTOLA CVII.

Repetit ea, quæ in condonatione Regia plerosque offenderint. De quatuor formulis condonationis a ſe non viſis. Fidelium miniſtrorum conſilia exterorum placitis poſthabita. De præpoſitura Bolswardienſi. Daventrienſi & Ruremundano epiſcopis

Digitized by Google

pis nimis tenuiter provisum. Commissio præsidatus Consilii Status, in Hispania confirmanda. De rebus privatis. Hectorem ab Aytta nepotem suum ad Consiliaratum Frisiæ promovere cupit. Courtewillii laus, quem Hispaniam Belgio prælaturum, sed ab officio, quamvis valetudinarium, non dimittendum, censet. Secretarii literas Regias subsignare soliti, unus vice alterius. Denneterius ne in Belgium veniat, nisi Regis commendatione ad Ducem Albanum munitus. Torrius Secretarius ab officio suspensus ob publicatam bullam Cœnæ Domini. Commendat Universitatem Colonienſem contra Edictum Albani; Frisiorum Coloniæ gymnasium; & Atrebatensium Parisiis; modumque suggerit. Trajectenses ad Regem appellant. Decimus denarius redemptus. Regina ab Duce Neomagi excepta & deducta in Belgium. Statuta Gandavensis Capituli respectu absentium Canonicorum. Cardinalis Granvellani mater octogenaria seculo defuncta. Chantonejus ad Comitia Imperialia missus. Abbatia Boneffiensis, aliaque monasteria incendio consumpta.

ACcepi, CL. D. HOPPERE, binas literas tuas, VI. ac XVIII. Julii datas; has quidem breves, illas vero prolixiores, quibus & meis ante Junium mensem datis, ample D. V. respondit, & de cæteris rebus, quantum desiderare potuissem, certiorem me reddidit.

De publicatione Pontificiæ, Regiæque gratiæ jam antea plene ad te scripsi, duoque potissimum in Regiæ Majestatis condonatione pleroſque offendere indicavi: & quod Magistratus, Ministroſque omnes reservarit post tertium annum, quo adversus eos inquiri procedique potuit, & quod nimis exacte, ne dicam amare, regii fisci compendia quæsiviſſe videntur, qui eam gratiam conceperunt: dum redditus, ab Re-

Digitized by Google

ge, Statibus, aut oppidis iis, qui gratia hac frui volent, debitos, fisco remanere voluerunt, quod non parvam injicit difficultatem, dum quæstores hoc colore, quibuslibet, nisi antea fefe expurgarint, solutionem denegant. De quatuor autem formulis, quarum electionem Duci relictam D. V. scribit, nihil mihi, aut cuiquam nostrum, quod rescire potuerim, communicatum fuit. Primum vero ejus conceptum Duci obtuleram, cujus exemplar, si recte memini, ad te misi, in quo nihil ejusmodi continebatur: sed exteri Consiliarii exceptiones pleraſque addidere, quas gratia à vobis remissa, acque hîc publicata continet. Utinam autem Regiæ Majestati clementior sententia persuaderi possit, ac fidelium suorum ministrorum consilia experiris, inexpensisque non ubique postponeret

Quod de Præpositura Bolswardiensi Rex scire desiderat, non aliud scio, quàm ejus plenam possessionem Episcopum Leovardiensem consecutum esse, verùm ea antea multo ære alieno gravata fuit, quo vix, cum eam adeptus est, liberata exstitit, neque eam super CIↃ CCCC. carolinos ei pendere arbitror. Bergumense autem monasterium non cessisse Episcopo, nisi post cessum aut discessum Prioris, cui tamen pensione accepta cedere persuasimus. Porro de Sanctæ Agnetis monasterio, Daventriensi Episcopatui incorporato, alia videtur in Bulla Apostolica ratio habita esse, & si tamen liceret ab sua Majestate nominato confirmationem ab sede Apostolica assequi, quam hactenus ob defectum pecuniæ impetrare nequivit, non difficulter ejus bullæ effectum consequi posse sperarem. Verùm parum est, quod inde, donec Monachi moriantur, Episcopo cedet, & profectò de dote illi, Ruremundanoque nimis tenuiter provisum video.

Commissionem Præsidarus Consilii Status, ac cæteris, quæ eodem pertinent, hîc Courtewillius jussu Ducis dudum expedivit, tamen ad superfluam cautelam beneficii loco habebo, si isthic confirmari curaveris. Verùm exemplar ad manum non habeo, & expectare cogor, donec Bruxellam redeamus.

Tzommonis me profectò miseret, cùm longa hæc detentio omnes facultates ejus exhauriat.

Rintzii fratris mei memoriam te Regi commendasse gratias

eius habeo, & nemo certe Majestatis suæ ministrorum, fideliore majoreque animo ejus servitium in Frisia promovit. Cumque liberos non reliquerit, optarem si quid Regiæ Majestati liberalitatis intuitu servitiorum concedere placeret, in Volcardum, Gerbrandi fratris mei filium, (qui apud D. V. agit) conferri. Gratissimumque mihi foret, si novo ordini eum adscribere placeret, quo sic ibi eum melius in Majestatis suæ, sive Regnalis Aulæ ministerio, adjecta aliqua summa intertenere, ut vulgo dicitur, possem. Vereor autem, ne adveniente conjuge ac liberis, apud te ei longius locus esse non possit, proinde te etiam atque etiam rogatum habeo, ut in tempore aliquid de eo statuas.

De Buchone cæterisque mihi quod statuistis perplacet, idque ad illum rescribo, sed vereor ne isthinc ablerit, antequam hæ literæ ad vos perferantur.

Igramum expectamus, ut Præsidatus commissionem ipsi exhibeam, & profecto audio omnes conterraneos nostros plurimum de ejus promotione gaudere; cùm semper recte ac juste officium consiliariatus exercuerit.

Accurrêre autem mox, qui ei surrogari petiere, inter quos cùm non fuerit affinis tuus Sabinus, ac Dux in hujusmodi officiis conferendis plurimum sè difficilem ac scrupulosum exhibeat, tandem cùm me aliquot nepotes Salamanticæ alere intellexissel, in alicujus eorum promotionem propensum se ostendit, quam gratiam respuendam non putavi, ac si Hector meus idoneus esset, accepto gradu huc eum reverti curarem, cogitavique aliquando de propaganda affinitate nostra, cum Buygiro adhuc sit soror, nisi eam aliquis nobis procus intercipiat.

Sabino certe lubenter favebo, si quæ alia occasio sese obtulerit, quod & ad ipsum scripsi, measque literas tuis ad eum conjunxi, neque te ægre laturum spero, quod hanc occasionem per D. Ducem oblatam, negligendam non putavi.

De Courtewillii adversa valetudine multum doleo, est enim vir non solum in suo officio expertissimus, verùm etiam singulari integritate prudentiaque præditus. Futurum autem non video, ut sine baculorum subsidio unquam incedere queat; podagra vero & camera incommode, quæ corpuscu-

Digitized by Google

lum ejus ſubinde affligunt, arbitrarer leviora fore in Hiſpania propter aërem ejusmodi corporibus convenientiorem, & ipſe quoque Hiſpaniam facile noſtræ Provinciæ eſſet prælaturus, videns in noſtræ Reip. adminiſtratione pleraque, quæ ei diſplicent. Quamobrem ei Regiæve Majeſtati auctor eſſe non poſſum, ut officium, in quo hactenus ſe optime geſſit, dimittat. Valetudinarium enim eum rectius ſuo munere functurum arbitror, quàm novitium aliquem hominem, qui annorum aliquot experientia vix idem, quod ille novit, conſequetur. Miror tamen cum Denneterius quoque Regius ſit Secretarius, cur illo abſente ipſi literas ſubſcribendi facultas hactenus conceſſa non fuerit, reſervando tamen emolumenta omnia, quæ ordinarie illi debentur, cùm tempore Cæſaris, Bavio abſente, Obernburgerus, ac alii Curiæ Secretarii ejus partes, ſine diminutione tamen emolumentorum, ſupplere, literaſque omnes ſubſignare ſoleant, nec ullam meminerim epiſtolam à Curia tum manaſſe, cui Secretarius non ſubſcripſiſſet.

In veterum quoque Principum diplomatis ſæpe legi notatum unum vice alterius principalis officiarii, de mandato Principis ſubſcripſiſſe: quod tamen ego illi proponere non audeo, cùm ad me non pertineat, ſed D. V. ſi ita videtur, ejus animum tentare aliquando poterit. Denneterium autem, ne hîc expectatione ſua fruſtretur, ab Rege ad Ducem literas obtinere ſuaſerim, ut ei jus ſuum conſervet, cùm ejus contemplatione tecum iſthuc profectum eſſe ſcias. Vereor enim, ut variæ hominum voluntates ſunt, ſtudiaque, ne ſi forte per ceſſum aut diſceſſum, Secretarium quemquam hîc officio defungi contingeret, ne alius importunitate, commendationeve alicujus benedictionem intercipiat.

Jacobus Torrius, quòd citra Curiæ decretum, per inadvertentiam, uti videtur, imprimendæ Bullæ Cœnæ Domini poteſtatem feciſſet, multis menſibus ſe domi continere ab Duce juſſus fuit, ac deinde ad annum officio ſuſpenſus; quem tamen erga eum benigniorem fore ſperabamus in nepotis Domini Ludovici à Ryo gratiam.

Colonienſis Univerſitas, civitaſque ad Ducem ſuperioribus menſibus legatos miſerat, qui edicti rigorem, quantum ad ſuam Academiam pertinet, deprecarentur; cùm & mater illa.

Digitized by Google

illa fuerit Universitatis Lovanienſis, & ſemper in Religione fortiſſime perſtiterit. Verum Illuſtriſſimus Dux nullo pacto ab tenore prohibitionis diſcedendum putavit. Quamobrem ad Reginam illac tranſeuntem accurrêre, & ad Regem, ut audio, literas dedêre, quibus pro benigniore ejus ſententia preces ſuas offerunt, in quas, ſi inclinari ſe aliquo pacto Rex patietur, quo facilius ea civitas in Religione Catholica hoc pacto retineri poſſit: (cum jam dicantur noſtrates omnes, qui eo profugerant, abegiſſe, ac Catholicam Religionem omnino obſervare velle) poſſet Majeſtas ſua gratiam hanc reſtringere, ut quicunque Coloniam ſtudiorum cauſa ire ex hac Provincia vellet, Epiſcopo, cujus dioceſi ſubjiciuntur, antea ſeſe præſentare, eique juramento obſtringere cogatur, ab Religione Catholica ſe non diſceſſurum, ſub pœna exilii ac confiſcationis bonorum. Poſſet quoque Epiſcopus tempus illis præfigere abſentiæ, fidemque eorum obſtringere, quod redeuntes, ei ſe ſiſtant rurſus, ac juxta juramentum in fide Catholica ſe perſiſtere declarent, adjiciendo quoque gratiæ & licentiæ Regiæ, quatenus ea urbs in fide Catholica perſtiterit. Cum autem Coloniæ antiquiſſimum fuerit Friſiorum Gymnaſium, ſi quid illi patrocinari poteris, rem gratam patriæ quoque noſtræ feceris. Sunt quoque Pariſiis, ut ſcis, Atrebatenſium aliorumque nonnullorum noſtratium collegia, qui ægerrime ferunt, eorum ſibi per hoc edictum uſum auferri, pro quo ſæpe magnas ſuſtinuere lites. Qui non aliud ab ſua Excellentia impetrare potuerunt, quàm anni ſpatium ad permutationem bonorum ædiumque; quam conceſſionem ſibi inutilem fore timent, ideoque ſi ad Regem recurrant, videtur ſimili aliqua limitatione illis permittendum, ut jus ſuum ad meliora tempora integrum reſervent.

Trajectenſes condemnati ad Regem appellavere, quod Dux non ſatis æque fert, & vereor ne ejus animum hac ratione magis exaſperent, Bruheſioque (18) noſtro, qui plus ſatis vehemens in ea cauſa eſt, mitiora conſilia ſæpe ſuaſi.

Deci-

(18) *Bruheſius*] Joannes canonicus Ultrajectinus, poſtea Decanus eccleſiæ Metropolitanæ Ultrajectinæ, de quo in Catalogo noſtro præp. & decan. ad an. 1573.

Digitized by Google

Decimi denarii contributio duobus millionibus ad biennium redempta est, & quamvis cum maxima difficultate tantam summam conficere posse Status vident, omnia tamen potius facturi videntur, quàm rem tam novam sint admissuri.

Regina XIV. hujus mensis apud Noviomagum ab Duce, omnibusque nostrarum Provinciarum Ordinibus, copiosaque nobilium ac procerum turba excepta fuit, prout ex schedis hisce adjunctis cognoscere, si lubet, poteris. Ac inde ab Illustrissimo Duce ad Bergas deducta fuit, & Antverpiam, Gandavumque, si forte venti eam remorabuntur, inde invisura.

Conjugem autem tuam admonui, ut tempestive se Middelburgum conferret, ac D. Oudardum rogavi, quò ea, quæ navigaturis necessaria sunt, mature comparet.

De filio Gregorio cum apud ipsam agat, & brevi tecum futurus sit, non opus esse putavi aliquam de vita ejus testificationem mittere; Gandavenses autem mei statuta sua allegant, quibus, ut nulli Canonicorum ante XIV. ætatis annum completum fructus aliqui præbeantur, statuitur; & vix impetravimus, ut Loi filio, cui certi tantum dies restabant, gratiam facerent, suo autem tempore curabo, ut fideliter recipiat, quod debebitur. Illustrissimi Domini Cardinalis, ac Domini Chantonay mater prope octogenaria, diem clausit extremum. Chantonejus vero cum Regina hoc tempore in Hispaniam non ibit, resque hujus Provinciæ in Comitiis Imperialibus, quæ apud Spiram celebrantur, una cum Mapschio nostro antea curabit.

Mansfeldii conjunx, quæ Reginæ ad Confluentiam, Coloniamque obviam ierat, prò fratre D. à Montigny deprecatura, in morbum incidens, ibidem animam efflavit.

Nos quoque Bruxellæ M. Judocum Amsonium (19) amisimus, pesteque pene ubique pullulante autumni gravitatem metuimus.

Ab-

(19) *Judocus Amsonius*) In Schedis J. F. Foppens memoratur *Judocus Aemsoen Van der Burch*, Consiliarius in Consilio Brabantiæ ab anno 1522. Obiit autem anno 1570. ut *Viglius* hic, & constat ex epitaphio vernaculo quod in *Magno theatro Sacro Brabantiæ Tom.* I. *p.* 230. dicitur exstare Bruxellis in Pa-

Digitized by Google

Abbatia Boneffiensis (20) aliaque aliquot monasteria per Principem Auraicensem aliosque Geusios incendio consumpta, non habent, unde se reparent; ac si Regiæ Majestati placeret ex bonis confiscatis aliquam illis eleemosynam tribuere, rem certe se dignam, & DEO OPT. MAX. gratissimam factura esset.

De Canonicatu Condacensi Capellano meo negotium dedi, sed cum super beneficio juris patronatus Principis, pensiones assignari nequeant, difficulter reperitur, qui alibi eum secure constituere possit. Hisce, CL. D. HOPPERE, finem faciam, cùm hæc epistola præter opinionem meam longius excreverit. Antverpiæ. XXII. Augusti. CIↃ IↃ LXX.

EPISTOLA CVIII.

Radbodi Regis effigiem promittit. M. Jacobi Daventriensis opus quas ob causas retardatum? Martinus a Bergis. Regina Antverpiæ. De Mercedibus Regis.

CL. D. HOPPERE, dederam ad Courtewillium Bergis agentem literas meas XXII. hujus mensis scriptas: verùm cùm cursor hactenus hic retentus fuerit, hoc epistolium adjicere visum est, quo significarem, literas nos interea D. V. accepisse, XXVIII. Julii datas; illas vero ad quas ipsæ se referebant, videlicet XXVI. scriptas, nondum nobis traditas fuisse. Quæ autem ad D. V. conjugem conjunctæ erant, eas in

Parochiali Ecclesia B. M. V. de Capella juxta majorem portam his verbis: *Hier ligt begraeven Heer ende Meester Joos* * Anthoen Van der Burch, *in synen tydt Raedt Ordinaris in Brabant, die sterft den 20 July 1570. Ende Jouffrouw* Maria Dirixsen Duyst van Voorhout *syne Huysvrouwe, die sterft den 17 January* 1579.

(20) *Abbatia Boneffiensis*) olim Virginum, nunc monachorum Ordinis Cisterciensis, sita est in diocesi & Commitatu Namurcensi. *V. Gall. Christ. tom.* 3. *col.* 600.

* *Est mendum typi qualia multa insunt illi libro.*

Digitized by Google

in Zelandiam ad eandem miſi, quam ſpero ſecundis (21) cum ſereniſſima Regina iſthuc adnavigaturam, commendavique eam notis omnibus, qui in eodem comitatu futuri ſunt.

Radbodi (22) Regis noſtri effigiem depingi curabo quamprimum rediero. M. Jacobus Daventrius (23) opus ſuum nondum abſolvit, & duæ res remoram aliquam ei injiciunt, & ætas ejus provecta (cum omina ſua manu delineari cupiat) & ſera ſtipendii ſolutio, pro Curiæ noſtræ conſuetudine. Itaque D. V. recte faciet, ſi literis Regiis eum commonefaciat, ut cum jam duodecim annis ei operi incubuerit, illud tandem abſolvi curet. Et M. quoque Martino à Bergis (24) Regia Majeſtas ſcribat, jubeatque, ut ſtipendiorum vacationumque ſolutionem, quantum in ſe eſt, promoveat. Regem enim hoc opus abſolutum magnopere cupere, eoque magis, quod ætas ejuſdem Magiſtri Jacobi ita provecta ſit, ut metuat, ne ejus complementum mors morbuſque præveniat.

Regina ante biduum huc advenit, quæ modeſtia, ac Majeſtate quadam omnes in admirationem amoremque ſui pertraxit.

De Mercedibus (ut vocant) aliquid hîc publicatum eſt, ſed ego nondum ſcire potui, quæ mea erit benedicto. Bene vale, HOPPERE. CL. Antverpiæ. XXVIII. Auguſti. CIↃ IↃ LXX.

(21) *Secundis*) Supple: ventis.

(22) *Radbodus*) Hîc agitur, ut puto, de *Radbodo* primo Friſiorum Rege, cujus nota eſt Hiſtoriæ baptiſmi a S. *Wulframno* Senonenſi Archiepiſcopo & Friſiæ præcone illi adminiſtrandi, niſi pedem retuliſſet è lavacro; de quo hiſtorici paſſim, Galli, Hollandi, Friſones. *V. Eggericum Benningam ab A. Matthæo editum, in nova idit. tom.* 4.

(23) *Jacobus Daventrius*) Apud Val. Andream in Bibl. Belg. occurrit *Jacobus Daventrienſis* Geographus, cujus exſtant tabulæ Brabantiæ, Geldriæ, Hollandiæ ac Zelandiæ, quod fortaſſis eſt opus duodecennale de quo queritur.

(24) *Martinus a Bergis*) Arbitror eſſe unum ex præpoſitis ærario Regis. Sane in Catalogo Conſiliariorum ærarii ſeu Finantiarum, lego: *Mr. Martin Van den Berghe*, Conſeiller & Commis. 1573. V. *Butkens in Suppl. tom.* 1. *p.* 202.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CIX.

Aggæus a Jesuitis Spirensibus de suspecta fide postulatus apud legatum Regium, a quo Duci Albano denuntiatur, qui rem communicat cum Viglio. Hic consulit, ut vel errores deserat, vel muneri Assessorio cedat, aliàs difficulter amovendus. Veretur autem ne consilium suum parvi apud Aggæum momenti sit. Dolet de ejus promotione, cui, cum facienda esset, difficilem se præbuit. Ejus patrocinium quare suscipere nolit.

CL. D. HOPPERE. Non possum D. V. celare qualis suscitata fuerit Spiræ Tragedia Aggæo nostro, ob id quod de Religione Catholica non visus, aut habitus fuerit nobiscum sentire. Quod cum dudum Jesuitæ (25) qui apud Spiram agunt, subodorati fuissent, occasione comitiorum Imperialium detulerunt rem ad legatum Regium Montis acuti Comitem, (26) qui communicato cum Chantoneio negotio, diligentius de ejus rei veritate inquirendum censuit; ac interea ad me Chantonejus per Mepschium, qui isthic agit rescribi curavit: ut cum ad me eam rem pertinere putaret, quod optimum esset ei consulerem. Non expectato autem meo responso, legatum ad Ducem querelam eam detulisse intellexi, quo videlicet Aggæum, nomine Regiæ Majestatis in judicio Cameræ Imperialis assidentem, isthinc removeri curet, videatque quomodo adversus eum procedendum putet.

Interea ab ipso Aggæo ternas eadem de re accepi literas, ex quarum copiis totius rei seriem plenius cognoscere poteris, rescripsi autem uti ex mearum literarum copia intelliges.

Deinde vero Illustrissimus Dux, tametsi me affinitate isti conjunctum fuisse intellexisset, negotium mihi communicandum cen-

(25) Apud Gabbema: *quidam.*
(26) *Montis acuti Comes*) Vernaculè Montaigu.

Digitized by Google

censuit. Ego vero non aliud ei respondere potui, quàm quod ad ipsum Aggæum scripsi: consulere me videlicet ut ex errore in viam redeat, aut muneri Assessorio cedat. Quod si facere recuset, metuo ne secundum constitutiones Imperii amoveri inde difficulter queat, & judicium Cameræ apud quod eruditionis opinionem sibi non vulgarem, novem annorum spatio, comparavit, revocari aut removeri eum ægre forsitan patietur. Quod si autem ipse contra nitatur, futurum video, ut hîc contra eum ad bonorum confiscationem ac bannum procedatur. Quamobrem utrimque res perplexa est; verùm ego eum saniorem viam eligere desiderarem, ac dimissis erroribus, si quos in Germania hausit, ad sanam Catholicamque doctrinam redeat, aut si id facere nolit, quiete honorique suo & liberis voluntaria cessione illius muneris consulat. Valde autem vereor, ne parvi momenti meæ apud illum sint literæ, cum jam antea D. V. intellexerit, mihi ejusdem rei causa non satis cum illo convenisse, & meminisse D. V. puto, quam fecerim difficultatem in eo ad assessoriam dignitatem promovendo, quidque ipse & D. V. ac Illustrissimo D. Cardinali Grandvellano tunc sancte promiserit. Valde autem semper veritus fui, ne aliquando commendâtio nostra pudorem nobis incuteret, uti certe nunc evenit, cùm calumniam obtrectationemque non parvam ex ejus affinitate cognationeque ac promotione sustineamus.

Cognosces autem ex articulis, ipsiusque literis, quo animo erga Catholicam religionem sit affectus. Ac postquam ita eum sentire video, nullo pacto judico mihi ejus patrocinium suscipiendum esse, ne me ipsum in aliquod periculum, aut suspicionem adducam, ac defendam excusemve, quæ animo meo nunquam placuerunt. Doluique sæpe neptem in hoc matrimonium incidisse, cùm verear ne in iisdem erroribus obdormierit.

Nepotulos autem meos, si impetrare possem, ut ad nos remitteret, meliori saniorique institutioni eorum lubens operam darem. Hæc D. V. quanquam ægro animo intellecturam non dubitem, latere non potui, voluive, ut si quid ad Regem delatum fuerit, nos excusare possit, aut si quid melioris consilii aut remedii habeat, nobis id impartiri non gravetur. Bene vale, HOPPERE C. L. Antverpiæ. IX. Septembr. CIↃ IↃ LXX.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CX.

De Aggæi tragœdia se scripsisse nuntiat. Quid dein contigerit. Callide se Catholicum profiteri, damnat. Viglii patrocinium frustra implorat vir aliàs præclarus. Regina apud Bergas hæret cum Ducis fastidio. Regia condonatio reservationem continet, quæ exemplo omnino caret. Desiderat ut Rex pristinum erga se affectum subditorum conciliaret. Dona a provinciis Reginæ data, cujus soror Galliarum Regi nubit. Piratæ Frisiæ littora infestant, ubi comes Meganus gubernator.

CL. D. HOPPERE, literas tuas XXVI. Julii scriptas heri primum accepi, quanquam aliæ XXVIII. ejusdem datæ multo ante ad nos perlatæ fuerint, ad quas jam pridem respondi. Nuper vero ad te perscripsi lamentabilem Aggæi nostri tragœdiam, & de eadem ab Domino à Chantonay certiorem te factum arbitror. Hortati autem sumus utrique, ut saniora consilia amplecteretur; sed vereor ne aliquid proficiamus, postquam tam altas (uti sæpe & coram & literis veritum me significavi) radices hæc opinio jecerit, & vereor, ne secunda uxor hoc malum non diminuerit. Jam autem eo res progressa est, ut ad Ducem Comes Montis acuti scripserit, remediumque adhiberi postularit, ne cum Regis dedecore talem in judicio Cameræ nomine ejus longius assidere patiatur. Et jam decretum erat, & ejus bona annotari, ac sub pœna banni confiscationisque eum coram criminali nostro judicio citari, nisi quidam Exellentiæ suæ suggessissent, antea ad eum attenta ejus qualitate scribi, (27) absolutamque ejus sententiam exquiri. Sed ea, qua hactenus usus est apud nos defensione, locum apud istos non habebit. Quemadmodum certe nec ego unquam probavi aliquem Catholicum se profiteri, qui sacramenta ceremoniasque omnes contemnit.

(27) *Deest*: debere, *aut aliquid simile.*

Digitized by Google

temnit, nisi quas primitivam Ecclesiam admisisse dicit, quanquam & illas, quæ nunc in Ecclesia servantur, à doctissimis piissimisque viris inde processisse & à Spiritu Sancto Ecclesiæ traditas fuisse credamus. Quod tamen ille sibi persuaderi non sinit, nec nostri Homines, post tam claram Concilii Tridentini determinationem, id ullo pacto in dubium revocari patientur, ut nullam certe spem videam qua ille elabi possit. Implorat autem meum auxilium eique multum se confidere dicit, sed postquam meo consilio non acquiescit, si illi patrocinari conabor, nihil sane aliud effecero, quam ut memet in suspicionem adducam, & periculi socium constituam. Illud vellem, ut impetrare ab illo possem, ut nepotulos meos, adhuc earum opinionum non capaces, ad propinquos remitteret, quo in Orthodoxa religione institui, & sub Regis nostri Imperio manere possent. Sed vereor, ne surdo fabulam canam. Magnopere certe dolendum est, virum, tam multis præclaris dotibus ornatum, hisce erroribus inquinatum esse.

Regina nostra multos dies apud Bergas (28) secundos ventos expectavit, ac interea conjunx tua cum omni familia apud Middelburgum adhuc hæret, cujus me non minor sollicitudo angit. Jam autem fere desperare incipimus, ante hyemem eas propter tempestatum pericula hinc solvere posse, quod Ducem pessime habet; non solum ob tot sumptus frustra factos, sed quod illi etiam molestum est, in hac ætate ea officia obire, quæ Reginæ dignitas expoſcit. Quando autem brevi resolutionem capere oportet, juxta quod Reginam statuere viderimus, tuæ quoque conjugi consulemus. Urgebam illam vere proximo quantum poteram, ut profectionem suam maturaret, sed non est mirum fœminæ cum tanta familia profectionem adornanti, multas subortas fuisse moras.

De

(28) *Berga*, sive *Mons supra Zomam*, vel contracte *Burgitoma*, civitas satis ampla, fundata ad Zomam fluvium, atque ad Schaldim usque, a quo aliquantisper per inundationem dissita est, commodo portu se extendens, ubi & promontorium habet binis munitionibus instructum. *Val. Andr. in topograph. Belg.*

Digitized by Google

De Regia condonatione quid homines sentiant antea ad te scripsi. Et sane pro tranquillandis eorum animis ab tam clementi Principe benignior expectabatur sententia, & post quadriennium pœnis, supplicisque eos reservari, qui quoque (29) præteritis turbis in Magistratu ac officio aliquo constituti, sese immiscuere, & vel metu vel Gubernatorum, procerumque reverentia, vel etiam quadam animi vacillatione, non præstitere quod viri fortes debebant, exemplo omnino caret.

Quamobrem sane desiderarem, ut pristinum erga se affectum subditorum Rex conciliaret; quod memoriam rerum actarum aboleret, & animis multorum quietem redderet. Multum vero eos exhilaravit Reginæ adventus, conspectusque, non tantum propter formæ venustatem majestatemque, sed etiam quod illa intercedente, Regem rigorem istum judiciorum criminalium ob præteritas turbas, remissurum sperant. Status nostri Ordinarii 200000 florenorum Reginæ in congratulationem novi conjugii, & nostri quoque Frisii pocula duo aurea 6000. florenorum obtulere, eorumque exemplum secutæ fuere & aliæ novæ minoresque Provinciæ, ac omnes optarent eam, quam citissime, felicissimeque Regis jungi complexibus, ut masculum aliquem hæredem sperare possent. Soror, (30) quæ Regi Gallorum nubit, sub finem hujus mensis in Gallias deducetur, magna nobilitate Germanica eam comitante, rogataque est Comitissa Arembergensis, ut & ipsa cum ea honoris causa proficiscatur, quod neutiquam recusandum putavit, & filius cum nostra Regina in Hispaniam proficisci statuit, cui Dux declaravit, qua eum gratia Rex noster affecerit, quemadmodum & aliis plerisque proceribus, licet autem mihi ac aliis ejusdem ordinis sperare aliquid jussis, nondum tamen id quale quantumve esset, indicavit.

Jam antea D. V. intellexisse arbitror, nos nuper Reverendissimum Archiepiscopum Cameracensem (31) amisisse; in cujus

(29) *Supple:* modo.

(30) Elizabetha, quinta Maximiliani II. Imp. proles, nupsit Carolo IX. Galliæ Regi.

(31) *Archiepiscopus Cameracensis* Maximilianus a Bergis ex Comitibus de Waltham obiit IV. Kal. Sept. 1570. cui successit Ludovicus de Berlaymont. *V. Gall. Christ. tom.* 3. *col.* 52. *& seqq.*

Digitized by Google

cujus locum ſuffectus eſt D. à Barlemont filius, juvenis certe præclaræ indolis, ac Regio favore digniſſimus. Epiſcopum Buſcoducenſem ſuo munere rectiſſime fungi omnes prædicant, & multum dolebo eum tanta penſione gravari. Quod de Hontſochii filio D. V. innuit, id aliud habet myſterium, quod dicere non poſſum.

Piratæ pluſquam antea littora noſtra infeſtant, ſic ut nullus nobilis, bonuſve vir ſe in agro continere audeat. Aliquid tamen ſpei conceperunt, poſtquam Meganus abſolute declaratus eſt Friſiæ gubernator, qui eam injuriam non laturus eſſe fertur, ſi nervi non deerunt. Bene vale, CL. D. HOPPERE, Antverpiæ. xx. Septembr. CIↃ IↃ LXX.

EPISTOLA CXI.

Ordinationes novæ ſuper juſtitia criminali impreſſæ. Quis ſuper his timor Viglii. De provocatione Trajectenſium ad Regem. De Regiæ liberalitatis partitione incertus eſt.

CUm nudius tertius, CL. D. HOPPERE, paucis ad te ſcripſiſſem, Reginæque ac conjugis tuæ diſceſſum annuntiaſſem, commode nobis tuæ literæ xv. hujus menſis ſcriptæ, allatæ fuerunt.

Ordinationes novæ ſuper juſtitia criminali jam hîc impreſſæ ſunt, valde autem verebar, ne, cùm quibuſdam articulis à D. Joanne de Vargas, aliiſque ejus aſſeclis propoſitis, Secretum Conſilium, ac Proceres noſtri contradixiſſent, forte Regiæ Majeſtatis authoritate illos nihilominus approbari curarent, qui profecto ad magnam perturbationem tendere videbantur; & ſane conveniret, ſi quid hujuſmodi tentaretur, ut Regia Majeſtas contradicentium rationes antea audiret, cognoſceretque. Pleraque, quæ in ſupradictis ordinationibus continentur, per Secretum Conſilium Duci fuere ſuggeſta, uti ex ipſa phraſi, tenoreque eorundem, D. V. deprehendere poterit.

Trajectenſes ab ſententia contra illos lata, ad Regem provoca-

Digitized by Google

vocavere; visis autem eorum gravaminibus, D. V. judicare poterit, præmio, an pœna digni fuerint.

Nepotes meos ab D. V. humaniter tractatos, & cum literis commendatitiis dimissos fuisse, gratias magnas habeo. Opto autem, ut iter cœptum fœliciter perficiant, ac eos Papiam salvos, ac incolumes appulisse brevi intelligam.

Sabino literas D. V. misi, ac ad ipsum una scripsi, cujus responsum, cùm ad utrumque pertineat, unà mitto, ac si Hector meus talis huc redeat, qualem cupio, de proroganda nostra affinitate forte aliquid, Præside Igramo procurante, succederet.

De Regia liberalitate nihil, nisi in genere, mihi Illustrissimus Dux hactenus declaravit: &, si hujus generis negotia mecum communicaret, non gravate D. V. cæteriisque bene merentibus omnem favorem impenderem.

De Aggæo antea late ad te scripsi, nec adhuc scio, an consilio meo acquieverit; nihil enim ab eo, post IV. hujus mensis diem, literarum accepi.

De Pergameno, quod Rex postulat, omni diligentia curabo, deque eo proximis literis certiora scribam.

Doctori Montano (32) summam perscriptam, cum à me petet, lubenter annumerabo, ac eam D. V. servare poterit, donec aliquid de Folcardo constitutum erit; quod, ut D. V. facere non gravetur, antequam conjunx, familiaque vestra superveniat, etiam atque etiam rogo. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Antverpiæ. XXVIII. Septembr. CIↃ IↃ LXX.

EPISTOLA CXII.

De membranis in Hispaniam mittendis. Vitulina caro serò cœpit in Frisia esse in usu.

CL. D. HOPPERE, in membranis comparandis, quod à me fieri desiderat Rex, operam meam non illubenter impendam, & audivi aliquando aliis id quoque datum negotii, quemadmodum ipse de Finsingio scribis. Quæ cum jam

(32) *Doctor Montanus*) Nempe *Arias Montanus*.

Digitized by Google

jam pridem ex Norimberga perlatæ esse credantur, navi cuidam, quæ Reginalem classem comitatur, eas impositas fuisse Scharenbergerus noster arbitratur. Quamobrem non festinandum mihi videtur, donec D. V. de eo certior facta, quid faciendum ei videatur, antea me admonuerit. Memini me quoque audivisse, Domino Morillonio simile quid aliquando fuisse mandatum, quod ipsum quoque interea ab eo inquiram.

Hîc autem cum quodam, qui eam artem exercet, & Plantino ad Biblia, quæ Arias Montanus hîc imprimi curat, membranas subministrat, collocutus sum. Verùm is non ausus fuit hoc opus in se suscipere; quod vereatur, ne tantæ magnitudinis pelles invenire in ea quantitate, quæ postulatur, tempestive possit. Et in Frisia reperiri eas negat, quum vitulos teneros, ac jam primum natos, fere occidant, abjicianque: rariusque eos ad maturitatem aliquam illic pervenire finant. Et vitulina (uti scis) caro non ita pridem ibi in usu esse cœpit. Majusculas autem pelles ex Hollandia dicit adferri, sed inter centum vix unam ejus magnitudinis, cujus est, quam ad me misisti, reperiri posse affirmat. Adhæc cùm ibi pelles non expolirentur, & qui vendere eas consuevêre, salire easdem soleant, quò per aliquot tempus asservari, ac ad emporia in aliqua quantitate venum deferri possint etiamsi justam haberent magnitudinem, juxta memoriale ad me transmissum, cùm ex salsis pellibus factas membranas non expectis, comparari à nobis non poterunt. Quamobrem cùm de Frisia nostra nihil polliceri possum, & quæ vestris inservient usibus, statim ubi carni detractæ sunt, absque salitione præparari debebunt, quid is, cum quo egi, præstare poterit, expectabo; pretium quoque ne nimis excessivum poscat, subvereor.

Ad Zamoram literas misi, verùm nescio, an ei aliud injunctum sit, quàm ut pecuniam curet: cui, cùm nos propediem Bruxellam simus rediturî, omnibus non satis intendere potero, aliique, si ille hanc operam recusabit, committere cogar. Duci literas eadem de re exhibui, qui, uti spero, pecuniam, qua in eam rem opus erit, subministrare non recusabit. Bene vale, HOPPERE CL. Antverpiæ VI. Octobr. CIↃ IↃ LXX.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CXIII.

Regina e Belgio solvit. Aggæus judicio Cameræ Imp. renuntiaturus videtur. Expetitur a Rege Daniæ. Viglius dolet hominem doctum, in reprobas opiniones lapsum. De Comitiis Imperialibus. De Successore Ducis Albani expectatio, deque privatis rebus.

CL. D. HOPPERE, Reginam secundis ventis hinc solventem, votis omnes sumus prosecuti, precibusque ac supplicationibus publicis DEO OPT. MAX. ipsius sospitatem felicemque navigationem commendavimus. Nos tamen hic non parva sollicitudo angit, quod post sextum diem, ventum in aliam partem conversum esse conspeximus; quamobrem summo desiderio nuntium prosperi successûs isthinc expectamus.

Aggæus noster plane constituisse videtur judicio Cameræ renuntiare, nec nobis invitis eum locum longius tenere. Verùm periculum est, ne rigidiores quidam eo non contenti, ad proscriptionem contra eum procedere velint. Et quanquam illi defensiones forte non deessent, cum ab comparitione absterrebunt aliorum exempla. Audio tamen illi ab Rege Daniæ, aliisque nonnullis Germaniæ Principibus conditiones offerri, nec dubito quin ob eximiam ejus eruditionem, aliasque dotes à multis expetetur, doleamque certe est, hominem doctum in reprobas has opiniones (per quas se à nobis totum alienavit) incidisse.

Comitia Imperialia tarde (uti solent) procedunt, plurimæque isthic contra nos querimoniæ, supplicationesque exhibentur, quarum potissima pars ad judices nostros criminales pertinet, qui fortiter ea contemnunt, nobisque, cùm illi in Hispaniam redierint, sustinenda ea negotia relinquent.

De membranis comparandis alias literis separatim ad te scripsi.

Si Illustrissimo Duci aliquis ex Hispania successor mittetur, forte non abs re erit, Folcardo nostro in ejus familia locum

Digitized by Google

impetrare; poterit enim, cùm linguarum cognitionem aliquam habeat, non inutilem illi fortaſſis præbere operam; nam diu eum in Hiſpania relinquere patris ſui valetudo vereor ne permittat; verùm quod optimum judicabis, de illo conſtituere te velim: nam conjuge adveniente fatis conjicio illi apud te longius morandi locum non futurum. Magno quoque teneor deſiderio, ut reliquos nepotes in Italiam perveniſſe intelligam, & puto illos ex Barcinona aliquid ad D. T. de itineris ſucceſſu ſcripſiſſe, quod ex proximis D. V. litteris me cogniturum ſpero. Antverpiæ. VI. Octobr. CIↃ IↃ LXX.

EPISTOLA CXIV.

Regina in Hiſpaniam appulit, cui Regem obviam iturum arbitratur. De ſucceſſore Albani variæ affectiones. Moleſtum toties mutare dominos. Viglius annum Climactericum finivit. Taxat Joannem Vargam. De donativo ſibi a Rege conceſſo nihil hactenus certi. Cancellarius Brabantiæ neglectus. Offert officium ſuum Hoppero apud Ducem, ut partem accipiat in remuneratione Regia. Leovardienſis Epiſcopus laudatus, cui, ſublata penſione Hiſpanica, tenuiter eſt proviſum. Conſiliariorum privatorum, Bruxellii obitus; Indeveldii morbus. Timor ne illorum locum occupent qui criminalibus hactenus judiciis præfuére. Aggæus muneri ceſſit. Quare cupiat eum ab ulteriori moleſtia liberum.

Cùm nobis, CL. D. HOPPERE, ex Hiſpania annunciatum ſit, Sereniſſimam Reginam fœliciter iſthic appuliſſe, ſpero conjugem, familiamque tuam ſalvam una adveniſſe. Angit me tamen aliqua ſollicitudo, quod quidam ex illis non ſatis recte valerent, cum navem conſcenderent, unde deſiderio teneor intelligere, quomodo navigatio ipſis ſucceſſerit. Dolco

Digitized by Google

Doleo autem C. Anthonium (33) (qui cæteris validior erat) forte tum cùm classis solveret, abfuisse, cùm tamen quatuor horas post Middelburgum rediret. De quo quid fieri velit D. T. mandare nobis poterit.

Arbitror autem Regem sponsæ obviam iturum, eique te pro tuo interesse comitem junctarum: à me autem uxori velim congratulere, quod tandem ad portum, quem diu desiderabat, pervenerit.

De successore in hujus Provinciæ administratione, quod D. T. nuperrimis literis suis significavit, varie hîc homines afficit. Faxit autem DEUS, ut hæc mutatio Patriæ nostræ salutaris existat. Mihi autem non potest non esse molestum toties mutare Dominos, hac præsertim ingravescente ætate, quæ morbis, multisque aliis incommodis exposita est, nec ea servitia, quæ novus Gubernator à me forte exspectabit, præstare poterit.

XIX. autem diem hujus mensis, quæ annum Climactericum mihi finivit, cum lætitia excepi, quanquam ita pedis ulceribus affligar, ut per multos dies domo egredi non potuerim.

Nosti autem communiter evenire, ut prædecessorum acta apud successores in invidiam, calumniamque trahantur; nec deerunt, qui ligna huic igni adhibebunt. Et sane optassem, ut gratiosiorem temperatioremque ille (34) se exhibuisset, qui ejus mandato justitiam hîc administravit: metuo enim, ne multæ eum abeuntem quærimoniæ consequantur.

De donativo mihi ab Regia Majestate concesso, nihil adhuc certius habeo, quàm quod prioribus ad te perscripsi literis, & intelligo quidem multa plærisque Regem elargitum esse, sed unde hæc discerni possint, nondum satis video. Multorum quoque, qui non minus se promeruisse putant, quærimoniæ exoriuntur, quod ipsorum rationem Rex non habuerit, & in his Cancellarius Brabantiæ mirum in modum stomachatur; cujus tamen apud Buscoducenses fortitudo, virtusque omnibus perspecta fuit. Ego, quod res est, respondeo, me super remunerationibus hujusmodi in Consilio adhi-

(33) *C. Anthonium*] Cajus Antonius, Joachimi Hopperi filius.
(34) Joannes Vargas.

Digitized by Google

admodum non fuisse, & ut ab his quibus fortuna arrisit, gratiam nullam expero, ita se neglectum fuisse imputare mihi nemo debet. Quantum autem ad D. T. pertinet, justissimum mihi videtur, quod postulas; ac cum Noirarmio, cui Ducem istiusmodi communicare animadverti, diligenter egi, ut desiderium vestrum promovere non gravetur: qui se promptum paratumque obtulit, & me præsente (quo una adjuvare id possem) apud Excellentiam suam facturum recepit. Æquum certe est, ut bovi trituranti os non obturetur, & qui alios promovent, similem gratiam experiantur.

Leovardiensis Episcopus officium suum strenue exequitur, prout ex ipsius literis huic junctis cognoscere licebit, sed vereor ne manum ab aratro reducat, cùm sibi alimenta detracta intelliget. Pensionem enim illius in Hispania abolitam esse Castilius retulit: & ex his quæ in dotem Ecclesiæ suæ assignata sunt, non multo plus quam duo millia percipere poterit, cum ante Prioris & Monachorum Monasterii Bergensis mortem, majore fructuum dicti monasterii parte carendum ei sit, quæ videlicet in ipsius Prioris & Monachorum sustentationem cedit, quibus exinctis inde habebit, unde frugaliter vivendo Hispanica pensione carere poterit. Quamobrem rogo, ut una adjuves, ne ille necessarii subsidii detractione in aliquam desperationem adducatur.

Hermes noster superiore hebdomada vidua factus est, & Bruxellis (35) noster hac nocte quoque vicam cum morte mutavit, cujus jacturam omnes dolenti animo ferimus.

Indeveldius (36) quoque, ut conjunx tua referre tibi poterit, admodum periculose in Zelandia laboravit, unde nondum

(35) Philibertus de Bruxelles Consilii privati Consiliarius, de quo alibi.

(36) *Indeveldius*.] Nicolaus Micault, Eques auratus, indevelde, d'Oirpæ, Huissinge &c. Dominus, præfectusque in Binchio hæreditarius; sub *Carolo V.* & *Philippo* in Consilio privato ab an. 1554. fuit. Mox *Mariæ* Reginæ Hungariæ, *Caroli* sorori privatus & domesticus Consiliarius, proque ea, & Regina *Eleonora*, Regum Galliæ & Lusitaniæ vidua, legatione bene & feliciter in Lusitaniam functus, variisque muniis præfectus, vixit usque ad an. 1589. *Tomb. des hommes illustr.* p. 29. Testamento ac Codicillo *Viglii*, primus testis subscripsit.

Digitized by Google

dum rediit, ac noſtri, ad quem numerum Secretum Conſilium redactum ſit, cùm in locum decedentium nemo ſurrogetur. Forte tamen ii, qui in criminalium cauſarum, fiſcique cognitione jam pœnam per tres annos vacavere, in hoc Conſilium cooptabuntur, ſi modo ſalaria ipſis non nimis exigua (qui triplo, quadruploque amplius, ac nonnulli ſexcuplo decuploque habebant percepiſſe dicuntur) videbuntur.

De membranis ſuperioribus diebus late ad te ſcripſi, & is, cum quo de illis colloquendi locutus ſum, mihi, prout ex junctis ſchedis cognoſces, reſpondit. Super quo Regiæ Majeſtatis ulteriorem ſententiam inventionemque expectabo.

De Folcardo noviſſime ad te ſcripſi, quid de eo fieri deſiderarem: gauderemque, ſi in Ducis Medinæ Celi familiam recipi poſſet; quod & ad ipſum ſcripſi. Quam autem Ariæ Montano hîc pecuniam erogavi, in ejus uſus, cùm opus habebit, convertere poteris.

Aggæus noſter conditionem aſſeſſoriam dimiſit, privatamque vitam apud Coloniam agere inſtituit. Cuperem autem, ut ibi ulteriore moleſtia liber eſſe poſſit, nam certe dolerem ad proſcriptionem, confiſcationemque bonorum contra eum procedi, cùm ea res majorem contentionem excitatura fuerit, quàm noſtri homines intelligant, & nepotulis forte meis damnum non exiguum adferet. Bene vale, HOPPERE CL. Antverpiæ XXI. Octobr. CIↃ IↃ LXX.

EPISTOLA CXV.

De Reginæ & conjugis Hopperi diſceſſu e Belgio in Hiſpaniam feſtinanter ſcribit.

TAndem, CL. D. HOPPERE, cum menſem pene totum ſecundos ventos ſerenissima Regina noſtra ſummo deſiderio expectaſſet, votis ipſius, omniumque noſtrum coeli clementia ſeſe accommodavit, ac nudius tertius, id eſt XXIV. hujus menſis ex Burgis in Zelandiam profecta, altero mane inde ſolvit, claſſe numeroſiſſima eam comitante ac Illuſtriſſimus Dux ea in Zelandiam deducta hoc veſpere inde ad

nos rediit. Nunciatumque mihi est, conjugem tuam cum tota familia simul navem conscendisse, non obstante, quod nonnulli ex liberis, famulisque à febri non omnino immunes essent, speramusque, siquid mali humoris in Zelandia contraxerint, eo maris beneficio levatos eos iri. Deum autem Opt. Max. precor, ut ad vos salvi ac incolumes perveniant, conjugisque ac liberorum jucundo conspectu cito fruare. Cum autem sex abhinc diebus ad te prolixius scripserim, & has duntaxat in cursoris discessum paraverim, quo abitum Reginæ tuæque conjugis ac familiæ tibi nunciarem, plura nunc non addam, teque fœliciter valere jubebo. Antverpiæ. xxvi. Sept. CIↃ IↃ LXX.

EPISTOLA CXVI.

De Franciſco a Dekama. Noircarmii & Hopperi mutua unius erga alterum officia. Mora Antverpiæ incommoda. Courtevillius dubius ſuper adventu novi Gubernatoris, cui Viglius haud magna ſervitia promittit, ob affectam valetudinem, quamvis Conſilium Status rariſſime cogatur. Rollema etiamnum detentus, ſolius Vargæ acerbitate.

CL. D. Hoppere, literas tuas ultimo Sept. ſcriptas, poſt eas, quas II. Octobr. ad me dederas, quæque citius huc pervenere, accepi unà cum iis, quæ à nepotibus ex Barcinona miſſæ fuere. Scribit autem ad me Franciſcus à Dekama, ſe vitæ ſcholaſticæ pertæſum alio animum applicaſſe, meque rogat, ut eum Principi alicui in Italia (quo in ſuam eum familiam recipiat) commendem: de quo ſatis mirari non potui, qui, ſi eum ab initio animum declaraſſet, ſumptibus iis parci potuiſſet, quos in longinquis his peregrinationibus, ſcholaſticoque otio facere neceſſe fuit, ac facilius D. V. favore locus illi in Hiſpania obtingere potuiſſet, quàm in Italia, ubi neminem notum comperiet, qui ad id illi adjutor eſſe poſſit. Nec ſcio an curatores ipſius ſumptus, quibus

quibus opus illi in aliqua Principis aula foret, ſubminiſtrare volent; etſi enim rem ſatis lautam parentes reliquere, multi tamen ſunt liberi, & cohæredes, qui eam partiantur. Quamobrem non video melius conſilium, quam ut domum revocetur.

Dominus Noircarmius (37) cujus præclara in noſtram Remp. ſunt merita, ob quæ eum tibi aliquando commendavi, quò Gubernationem ac Baillivatum Hannoniæ, quibus laudabiliter hactenus per proviſionem functus eſt, ei retinere Rex concederet, nuper ex Duce intellixit, alii datos deſtinatoſve eſſe: quò ipſe ſcilicet rebus ærarii, Financiarumque melius vacare poſſit, quod ille ægerrime fert, nec tanti facit aulicam dignitatem, quanti honorem in patria, ubi quoque potior pars bonorum tam ſuorum, quam conjugis ſita eſt. Itaque me rogavit, ut denuo ad te ſcriberem, ut ſi aliquo officio, aut commendatione apud Regiam Majeſtatem adjuvare poſſis, ut dictum baillivatum ac gubernationem retineat, id ne facere graveris. Ac ipſe viciſſim tuam cauſam de meliore nota Excellentiæ ſuæ commendavit, ac porro omnia facturum pollicetur, quæ ab tui amiciſſimo petere, expectareque velis. De quo ipſemet ad te quoque ſcripturum ſe dixit, literasque hiſce junctas, tibi deſtinandas, ad me miſit. Velim autem eum ex tuis literis intelligere, me quoque officium fideliter, diligenterque præſtitiſſe.

Nos adhuc hîc cum magno noſtro incommodo hæremus, ac quidam ſuſpicantur Bruxellam ante ſucceſſoris adventum Ducem non rediturum, cum Curia fortaſſis iſthic utrumque non capiat.

Courtewillius nondum mihi conſtituiſſe videtur, quid in hac mutatione facere velit. Valetudine certe ita eſt afflicta & æger pedibus, ut vix ei reditum in Hiſpaniam ſuadere audeam. Mea quoque ea eſt valetudo, ut haud magna ſervitia novus Gubernator ſperare à me poſſit, nec ea queam obire

(37) *Noircarmius*] Philippus a S. Aldegunde, pro Marchione Bergenſi in Hiſpaniam miſſo, ibique detento ac mortuo, Hannoniæ præfecturam geſſit. Ejus merita quæ extollit *Viglius*, loquuntur hiſtorici paſſim. *V. Stradam alioſque.*

Digitized by Google

obire officia, quæ Præsidi Status incumbunt, à quibus me hactenus Dux noster excusatum facile habuit, cùm Status Consilium cariſſime habeamur.

Rollena noſter adhuc detinetur ſolius Vargæ (ut cæteri aſunt) acerbitate, cùm plerique eum præmio potius, quàm pœna dignum cenſeant. Interea gravibus ſumptibus rem propriam ac ſororis aſperit, & duo millia quingentosque florenos exceſſiſſe conqueritur, quæ in carcere expendit. Bene vale, HOPPERE CL. cum conjuge, ac liberis omnibusque tibi charis. Antverpiæ. XXV. Octobr. CIↃ IↃ LXX.

EPISTOLA CXVII.

Courtevillii merita enarrat, eumque Hoppero commendat.

CL. D. HOPPERE, cùm ab Illuſtriſſimo Duce licentiam impetraſſem, ut inſtante feſtivitate omnium Sanctorum Bruxellam reviſerem, ac D. Courtevillio forte valedicerem me etiam atque etiam is rogavit, ut negotium quoddam (de quo apud Excellentiam ſuam egit, ut id Regi commendare dignaretur, quemadmodum illa de meliori nota facturum ſe recepit) iidem D. V. commendarem, quo ejus effectum promovere non gravarentur. Quod equidem homini amiciſſimo, & multis modis optime de me merito, negare ſane nec potui, nec debui; plurimumque deſiderarem, ut aliquid commendatio mea ad ejusdem felicem ſucceſſum auxiliari poſſet. Præterquam enim, quod Regi, Reipublicæque egregiam ſemper navavit operam, Illuſtriſſimo etiam Duci in multis arduis, magniſque ac odioſis negotiis hiſce temporibus fideliſſimam in hac Provincia miniſterium exhibuit, in quo valetudinem quoque ſuam ita afflixit, ut verear, ne præter alia incommoda vitam ipſam abbreviarit. Cùm autem, mi HOPPERE, ſemper tui meique ſtudioſiſſimus fuerit hac occaſione ei gratificandi oblata, magnopere oratum te habeo, ut opportunitatem nactus ita ejus cauſam Regiæ Majeſtati commendes, quo noſtram erga ſe benevolentiam, gratitudinem-

Digitized by Google

nemque inde agnoſcere poſſit. Bene vale, HOPPERE CL. Antverpiæ. XXIX. Octobris CIↃ IↃ LXX.

EPISTOLA CXVIII.

De celebri maris inundatione anni 1570. *Tzommo nondum reſtitutus libertati.*

CUm noviſſime ad te ſcriberem, CL. D. HOPPERE, etſi rumor incommodorum, quæ Oceanus in loca maritima exundans attuliſſet, jam præbuerat, nihil tamen ejus rei ad te ſcribere volui, cùm quod mali nuntio nullum debeatur evangelium, (38) tum quoque quod nondum conſtabat, quot quæque Provincia incommoda accepiſſet. Ea autem tanta nobis quotidie adferuntur, ut nunquam graviorem inundationem fuiſſe homines meminerint. Ego autem, ne quid addam, aliquot ad te literarum exempla mitto, unde, quæ ab irato mari damna nobis illata fuerunt, utcumque cognoſcere poteris. Quod infortunium intempeſtive nobis accidit, cum populus multorum annorum calamitatibus preſſus, contributionibuſque atque exactionibus plusquam unquam antea gravatus, ægre habebit, quò aggeres confractos reparet, ac adverſus ulteriora maris damna ſeſe communiat.

De Illuſtriſſimi Ducis diſceſſu nonnulli ſuſurrant conſilium mutatum, aut certe dilatum eſſe, quod tamen ex primis D. T. literis certius fortaſſis intelligemus. Eas vero magno deſiderio expecto, potiſſimum ut cognoſcam quo pacto, quave fortuna uxor, familiaque tua iſthuc pervenerit.

Tzommo noſter malam adhuc manſionem incolit, nec preces, lachrymæque uxoris, aliorumque interceſſiones quicquam ei hactenus prodeſſe potuerunt. Adjeci autem exemplum Epiſtolæ Urdii noſtri, cujus ſententia à vero non multum mihi aberrare videtur.

Junxi

(38) *Evangelium*) id eſt, remuneratio. *Bodenbrood. Got-tyding-geld.*

Digitized by Google

Junxi quoque hiſce literas D. Petri à Frittema, verùm eas ante proximam inundationem ſcriptas arbitror. Bene vale, HOPPERE CL. ac uxorem, univerſamque familiam à me ſaluta. Bruxellæ. XII. Novembr. CIↃ IↃ LXX.

EPISTOLA CXIX.

De rebus privatis. Novo Gubernatori officia ſua per Hopperum defert. Arnoldum Denneterium ejus ſecretarium retinendum cenſet. Regia condonatio extenſa; de ejus effectu dubitat. Inſtructiones Duciſſæ Parmenſi datas miſſurum ſe ſpondet. Albanus nullas habuiſſe videtur. Conſilii Status nulla amplius forma. a Rotulo beneficiali excuſari petit. De inundatione maris.

CL. D. HOPPERE, literas tuas VI. Novembris datas accepi, ex quibus intellexi, te tandem diu deſiderato conjugis, liberorumque conſpectu fruitum eſſe. Quanquam hoc gaudium tibi ſolidum eſſe DEUS non permiſerit, ac illud filioli unius amiſſione, mæroreque aſperſerit, reparabitur tamen hoc damnum poſt nonum (uti ſpero) menſem, ac velim, ut conjugi, liberiſque deſiderii ſui complementum meo nomine congratulere.

De Folcardo meo quid fieri malim, antea ad te ſcripſi, & præter magnos ſumptus, quos in Regia aula facere illi neceſſe eſſet, vereor quoque, ne altiores ſpiritus inde aſſumpturus fuerit, quàm facultates, quas ei parens relicturus eſt, aut à me accepturus, ſuſtinere poterunt: niſi, quod aliquando ad te ſcripſi, Regia Majeſtas aliquam, ut vos vocatis, mercedem illi largiretur ob Rintzii patrui merita, quæ hiſce perturbatis temporibus majora fuere, quàm ullius apud nos Regii officiati; quæque ipſi mortis cauſam præbuere. Sed cum timeam ne fruſtra tale aliquid expectemus, gratiſſimum habebo, ſi in novi Gubernatoris familia collocari poterit, cui forte hîc ob linguarum cognitionem non male inſerviet.

Et

Digitized by Google

Et quoniam ipsius Excellentia mei aliquam tenet memoriam, te magnopere oratum velim, ut ei provinciam hanc ab Regia Majestate delatam meo nomine, cum obsequiorum omnium, quæ præstare potero, humili oblatione congratulere. Doleo autem non eas mihi esse vires, ut officia, quæ ille fortassis à me requiret, ei impendere potero, & malo certe pedis ingravescente, vix amplius ad Curiam prodire valeo Hyeronimi Denneterii causam, quantum mihi licebit, promovere studebo, sed sunt in nostra Curia nonnulli, qui ad hujusmodi officia ægre alïquos prorepere sinant, nisi ex sua commendatione.

De Arnoldo (39) autem D. T. antea scripsi, & hoc Ducem agere intelligo, ut si Courtewillium reducere nequeat, in ejus locum alium surroget, qui totus ab illo, ob causas, quas ipse tecum cogitare poteris, dependeat. Quamobrem cùm illum jam multis annis cognoris, si melancholicum humorem excutere poterit, retinendum tibi suadeo.

Gavisus sum de Regiæ condonationis declaratione, extensioneque; sed de eo effectu dubito, cum memineris ex IV. formulis à vobis propositis, non solum nihil de sententia priore mutatum esse, sed ne illas quidem nobis fuisse communicatas.

Quæ Anglicam reconciliationem impedierint, postea intelliges, & scis proverbium; in turbulentis aquis melius piscari.

De gratia mihi à Majestate sua impertita, certi adhuc nihil habeo; sed cum primum Dux huc redierit, aut ipse me Antverpiam revocarit, statui eum de eo alloqui, quo Regiæ Majestati gratias agere queam.

Instructionum, commissionumque copias, quas Ducissa Parmensis habuit, ad te mittam, cum primum tabellarii erit potestas, nam sic secreto plerunque cursores expediuntur, ut nemo id scire valeat. Quas autem Dux habuit, illæ mihi non fuere communicatæ, & ajunt illum libras habenas habere, ut ad nullam instructionem per Regem obligatus fuerit.

Certe

(39) *Arnoldus*) Denneterius, Regius Secretarius apud Joachimum Hopperum.

Digitized by Google

Certe Consilii Status nulla amplius est forma, nec instructionum magnus respectus, quod forte certis de causis ita Regi visum fuit, sed perpetuum hoc esse, nescio, an expediat; & vereor ne plerique, qui privilegia sua violata conqueruntur, in antiquam sylvam, adveniente novo Gubernatore, redire volent.

De rotulo innovando nihil ad me scriptum memini, eamque tam ab Capitulis Cantoribusque Regiis, quam nostratibus hominibus calumniam ob novissimum rotulum sustinui, ut ei rei operam navare non desiderem, excusarique abs te petam.

Inundationum nostrarum damna proximis ad te perscripsi literis, à quibus etiam Emdenses, Hamburgensesque non fuere immunes.

Bucho ad me ex Papia, qui pecuniæ accipiendæ causa eo præcurrerat, literas dedit, cæterosque ex Genua subsecuturos, nihilque illis in hoc itinere adversi accidisse significat, de quo multum gavisus fui. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ v. Decembr. CIↃ ID LXX.

EPISTOLA CXX.

Vaillius Thesaurarius Antverpiensis in Hispaniam transit. Piratæ in Frisia, unde Abbas Heemlumensis abductus. Bernensis Abbatia a prædonibus passa. Episcopus Daventriensis in possessionem inductus. Rumor de Cardinalis Granvellani reditu, quem quia Hopperus dissimulat, arguitur.

CUm huc transiret, HOPPERE CL. Vaillius Thesaurarius (40) civitatis Antverpiensis, rogassetque nunquid in Hispaniam vellem, nolui sine meis literis eum dimittere, licet scribendi materiam non magnam haberem, cùm superioribus diebus aliquot ad te literas dederim. Illud autem reticere

(40) *Vaillius*) Conradus, Eques, thesaurarius ab anno 1567. usque ad an. 1574. antea scabinus. *V. Butkens Trophées de Brabant. tom. 2. p. 509. nov. edit.*

Digitized by Google

ticere non potui, quod cum dolore significo, piratas quotidianis non tantum Frisiam nostram, sed etiam cæteras maritimas oras deprædationibus adhuc infestare, ac nuper allatum est, eos ex **Heemlum** Abbatem (41) abduxisse. Quid autem cæteris loci incolis ibi acciderit, nondum certo cognoscere potui: iidem quoque arcem **Lovenstein** occupasse feruntur. Et de Abbatia Bernensi, (42) prope **Heusden** sita, quidam quoque non sat fausta nunciant, unde non solum scelerati isti homines ditantur, sed majoribus etiam prædis inhiant, non sine magno damno nostro ac dedecore, nec sine gravi populi querela, quod se hostili incursioni quotidianæque injuriæ expositum videat. Quamobrem, mi HOPPERE, operam dare te velim, ut novo Gubernatori Patriæ nostræ, tutelam adversus hosce prædones diligenter Regia Majestas commendet, ac si forte is moram longiorem traxerit, Illustrissimo Duci, quandiu hîc hærebit, ut remedium congruum adhibeat, serio mandet.

Quis Reverendissimo Præsuli Daventriensi (43) in capienda Episcopatus sui possessione successus fuerit, ex literis ejus, ad me scriptis, melius cognosces, quàm verbis ego referre possim. De Harlemensi autem nihil adhuc effectum est, cum diplomata ex urbe nondum allata sint.

Hîc constans est rumor, Illustrissimum Cardinalem Granvel-

(41) **Heemlum**) celeberrimum olim, a S. Odulpho prope Stauriam conditum, ordiniis S. Benedicti cœnobium. Nomen abbatis captivi nec *Winsemius hist. lib. 2. p. 136. nec Heussenius in Episc. Leovard.* loquuntur. In *Winsemii* Chron. vernaculo lib. 18. fol. 631. ad an. 1579. occurrit, *Nicolaus Landensis in Hemelum, Abbas Stauriæ.*

(42) *Abbatia Bernensis*) Ordinis Præmonstratensis supereſt hodieque. Abbas residet Vilvordiæ in Brabantia.

(43) *Præsul Daventriensis*) non primus, sed secundus *Ægidius de Monte* Ord. FF. Minor. in possessionem inductus est die 30. Novembr. 1570. *V. Revii Daventr. illustr. p. 431. Lindeborn. apud Heuss. hist. episc. Leov. p. 19.* Primus fuit *Johannes Mahusius* ejusdem ordinis, confirmatus quidem, sed non consecratus, qui propter senium & hydropisin tanto impar oneri, locum fecit *Ægidio*, inquit *Val. Andr. in Bibl. Belg.* sed Vide sis novam editionem *Joan. Franciſci Foppens.*

Digitized by Google

vellanum propediem huc rediturum, de quo tamen ab illo nihil hactenus ad amicos scriptum est, quod te quoque apud nos egregie dissimulare miramur, cùm multorum literis isthinc idem perscribatur. Vale HOPPERE CL. Bruxellæ. XVII. Decembris. CIↃ IↃ LXX.

EPISTOLA CXXI.

Commendat Assonvillium pro loco in consilio Status vacante, in quo optat cooptari virum eloquentem. De Fonckio judicium. Tzommo Rollema. Aggæus. Anglicam concordiam commendat. De confiscatione bonorum. De Trajectensibus. Reginæ laus. De Jacobi Daventriensis opere. Pro decimo denario duo milliones addicti. Episcopi Leovardiensis egestatem explicat. De rotulo beneficiario.

SUperioribus diebus, CL. D. HOPPERE, aliquoties ad te scripsi, verùm apud Courtewillium & nonnullos alios literas aliquandiu permansisse intelligo, quod ipsis insciis cursores expediti fuerint. Nuper vero ad D. T. commissionum Instructionumque generalis gubernationis misi exemplar, sed id quod Consilii Status directionem continet, omisi, quod hisce adjunxi. Cum autem Assonwillius (etsi initio administrationis Ducis non satis ei gratus fuerit, ob id forte, quod Duciſſæ Parmensi quibusdam nimium addictus videretur) multam operam in iis rebus, quæ scriptionem aliquam requirunt, præstet, in qua satis uberem, ut nosti, stylum habet, & certe de eo testari debeam, religionis, authoritatisque Majestatis egregium se semper propugnatorem præbuisse, mortuo nuper Bruxellio, quem fuisse scis Consiliarium Status, ipse mihi promereri videtur, ut in ejus locum surrogetur. (44)

Opta-

(44) De *Assonvillio* alibi. Qui in Consilium Status aggregatus fuit, sed non sub Albano. V. Epist CCXXX.

Digitized by Google

Optarem quoque aliquem nobis obtingere, qui gratiam verbi haberet, eaque, quæ proponenda sunt, ex dignitate effari posset, & si meum consilium Illustrissimus Dux requirat in deligendis novis Secreti Consilii Consiliariis, ejus potissimum respectum habendum judico.

Præpositus autem Fonckius, (45) quem novissimis literis Rex in illud Consilium assumpsit, satis cùm in lingua latina tum nostrate disertus est, sed optarem eum tantum in Gallica, quantum Italica valere.

Tzommo noster, cum magno tædio ac universi patrimonii consumptione, adhuc detinetur, nec quid Rex super moderatione condonationis & gratiæ generalis ad Ducem scripserit, scire nobis licet.

Folcardo nepoti meo, si cum novo Gubernatore adveniet, de viatico velim provideas, cùm ex eo, quod Montano erogavi, tum quod aliunde desumendum arbitrabere, quod mihi hic reddendum, transcribere licebit.

Ab Aggæo aliquo tempore nihil accepi, sed, quantum possum, impedio, ne ad proscriptionem procedatur, ad quam quoque causæ non satis esse video, etsi forte á Jesuitis (46) excitatus Orator denuo illi negotium facessat, nihil ei spero fore periculi.

Anglicam concordiam velim Majestas sua novo Gubernatori diligenter commendet. Dici enim non potest, quantum ista arresta damnum Provinciæ nostræ attulerint. Mercedum vereor ne tantam Rex reperturus sit materiam, quantam forsitan expectat, & aliquot centena millia auferent illi, qui pro doctibus reditibusque ac aliis creditorum nominibus actionem intentavere, quorum magnæ sunt quæremoniæ, cùm paucis hactenus satisfactum fuerit, ac interea proventibus confiscatorum bonorum aliquot annis ab Regiis quæstoribus perceptis, & in usus publicos consumptis, permagnæ summæ creditoribus refundendæ sunt, si justitiæ ipsis complementum impartitum fuerit.

Trajectenses adhuc in eodem hærent luto, dilata seu suspensa

(45) *Præpositus Fonckius.* Vide catalogum meum præpositorum, B. M. Ultraj.

(46) *Jesuitis*) Gabbema: *quibusdam.*

Digitized by Google

ſa quidem ſententiæ executione, ſed interea graviter ab milite afflicti.

Regina noſtra ſi tantùm in oculis veſtris placebit, quantum apud noſtros provinciales gratiam inierit, non dubito, quin benigniſſimam utrobique experturi ſimus patronam.

De literis ad Jacobum Daventrienſem, ac Commiſſarium vande Berghe ſcriptis, gratias D. T. ago. Valde enim cuperem hoc opus tandem abſolvi, ac cum in eo apparando, illuminandoque majores cogatur facere ſumptus, mercedis ſolutio ſumptuum laborumque ei aliquod præbebit ſolatium.

Decimi denarii perceptio in biennium dilata eſt, ac interea duos milliones Provinciæ ſingulis annis promiſerunt, quod deſideraſſem in ſexennium fuiſſe prorogatum. Valde enim vereor, ne ſub novo Gubernatore ad decimi denarii perceptionem ægre rediri queat, & jam in contributione duorum millionum ſumma ſit difficultas, cùm Provinciæ noſtræ navigationem, commerciaque fere perdiderint, quædamque ex eis inundationibus, aliæ militum hoſpitiis, ſervitiiſque, multum afflictas ſe ſentiant, ut ne id quidem quod promiſere, ſatis præſtare poſſint. Ac interea tot pene hoſtes, quot vicinos habemus, & à piratis littora noſtra obſidentur, infeſtanturque.

Leovardienſis Epiſcopus in (47) adducetur, niſi iſthinc de continuanda penſione Hiſpanica melior ſpes affulſerit. Etſi enim monaſterii dotalis poſſeſſionem jam adeptus fuerit, quod nobis convenire maxime videbatur; ne vivente Priore, uti fieri ſolet, (poſt cujus ceſſum aut diſceſſum primum locus futurus erat Epiſcopo) bona ejus diſſiparentur, attamen cum conventum fuerit cum Priore ac Religioſis de competentia ſufficienti victus & amictus ipſis providendi, parum ei inde relinquetur, donec paulatim illi demortui fuerint. Quamobrem rogo, ut ejus cauſam commendatam habeas.

Significavit nuper D. T. aliquid de rotulo innovando, ſed cùm ejus cura jam ad Præſidem Tyſenachium pertineat, videtur ad eum ſcribi poſſe, ut ipſe ab Audientiario, aliiſque Secretariis perquirat, quæ loca hactenus fuerint per rotulum proviſa, ut conſtare poſſit, qui adhuc ſunt in expectatione, quos

(47) Deeſt aliquid in MS. Gabbema pro Tò *in*; poſuit *non* quod ſenſum integrum non reddit.

Digitized by Google

quos omnes ſua ſpe fruſtrari iniquum forte cenſebitur. Ego adhuc permittente Duce Bruxellæ æger pedibus ſubſiſto, Excellentiæ ejus propediem reditum expectans; non tamen me hîc omnino feriari ſinit, quotidieque nova negotia, ſuper quibus meum conſilium requirit, ad me mittit. Bene vale, HOPPERE CL. & conjugem, reliquamque familiam à me amanter ſaluta. Bruxellæ. VIII. Decembris. CIↃ IↃ LXX.

EPISTOLA CXXII.

In Conſilio Flandriæ duo loca vacua. M. Sapium & Hopperi quemdam affinem commendandos cenſet. Quid de Edictis, Inquiſitoribusque factum ſit, ignorat. Adverſus ordinationes criminales querelæ.

QUanquam proximis diebus, HOPPERE CL. aliquot ad te literas dederim, cùm tamen me heri filius Quæſtoris Flandriæ, qui neptem uxoris veſtræ non ante multos hos dies in uxorem duxerat, inviſiſſet, ac ab ſocru faſciculum ad te mittendum obtuliſſet, non potui omittere, quin aliquod epiſtolium ad D. T. illi in commendationem novi iſtius affinis, qui idoneus mihi videtur, ut ad aliquod Reip. munus promoveatur, adjungerem. Vacavere autem hiſce diebus in Conſilio Flandriæ duo loca, Conſiliariorum Bally, (48) ac Gerardi Rimii, (49) quorum diſpoſitionem ſcis ad Illuſtriſſimum

(48) *Bally*) Nomen hoc nullibi in regiſtris reperiri reſcripſit Ampliſſ. Senator Flandriæ *D. Van der Vincks*, qui putat legendum *Waly*, vel forte *Baldi*. Si prius, is foret *Guilielmus de Waele*, toparcha de Axpoele & Hansbeeke, Eques S. Sepulchri Hieroſolymitani, & Conſiliarius ſub *Carolo* V. Cæſare. Si poſterius; eſſet *Dioniſius Balde*, in Senatu Flandriæ per multos annos Conſiliarius, ac tandem Vice-præſes, qui obiit anno 1570.

(49) *Gerardus Rimius*] aliàs *Rym*, notus Ant. Sandero *de Gandavenſibus eruditionis fama claris* in Flandr. Illuſtr. tom. 1. p. 353. novæ edit. ubi hæc: „ *Gerardus Rymius*, antiqua & patritia „ Gandenſi Rymiorum ſtirpe natus, vir fuit, qui ſua præſtan-

Digitized by Google

simum Ducem nostrum pertinere. Et quanquam illi non modici apud eum momenti foret tua commendatio, tamen ne serius illa adferatur, vereor, cùm sint nonnulli competitores, qui in Consilio Criminali operam navaverint, de quibus præferendis forte Excellentia sua ante aliquid disponet.

Cùm verò propediem successorem ipsa acceptura sit, eidem affinem tuum commendare, si ita videtur, poteris; nec non M. Sapium, ut oblata oportunitate in Consilio Flandriæ ac Frisiæ illorum benignam habere dignetur memoriam. Quemadmodum & ego oblata oportunitate lubenter, quantum potero, eis patrocinio meo assistam.

Memini te etiam aliquid superioribus literis à me scire desiderasse, quid super edictis, Inquisitoribusque in negotio Religionis factum esset, verùm cùm omnem ejus cognitionem Vargas ad Consilium Criminale attraxerit, nihil certi de eo rescribere possum, nisi illud, quod edicti antiqui observationem Dux fortiter semper urserit, ac in Inquisitorum officio hactenus siluerit. Cumque adhuc magna ac potissimum Anabaptistarum sit multitudo, omnino sæcularis potestatis authoritati eorum punitio relinquenda videtur. Episcopis autem, Ecclesiasticisque injungendum, ut vitæ integritate ac doctri-

„ tia majores suos, etsi eos sua non illustrassent stemmata, „ claros reddere poterat &c" En ejus epitaphium ex æde S. Michaëlis Gandavi: *Clarissimo viro eidemque antiqua nobilitate & Equestri familia oriundo D.* * *Gerardo Rym, Philippi filio, Domino ab Eeckenbeke, Regis Hispaniarum in Flandriæ Curia Consiliario ordinario, ac unico interituri alioquin Rymiorum nominis & gentis instauratori, ac propagatori. Nam reliqui ejusdem nominis* † *aut illegitimi prognati. Ac nobili D. Barbaræ Claissoniæ a Walebeke Dnæ.* ‡ *ab Hundelghem parent. optimis. Dominus Carolus Rym Eques auratus Dominus a Bellem, Schuervelt & Eeckenbeke, Consiliarius aulicus Cæsaris Maximiliani Secundi, & ejusdem apud Turcarum principem Constantinopoli per quinquennium legatus, ac postea dicti Regis Hispaniarum in suo privato Consilio Consiliarius, Franciscus Rym Dominus ab Hundelghem, Levinus Rym Serenissimi Matthiæ Archiducis Austriæ Dapifer, & Domina Margareta Rym uxor D. Jacobi Wienhovii, liberi, mæsti posf. Obiit 3. Dec. 1570. ætatis 73.*

* Apud Sanderum vitiose *Divo.*

† Tò *aut* abundare videtur. Ceterùm epitaphium familiæ vindicem facere, insolens satis, & forte ineptum.

‡ Apud Sand. rursus vitiose: *duæ.*

Digitized by Google

doctrina populum ab erroribus hisce diligenter avertant.

Adversus Ordinationes Criminales hîc publicatas multæ passim exurgunt querimoniæ Provincialium, & in his potissimam articulis, quos Criminale Consilium adjecit, ac quibus privilegiis, consuetudinibusque ipsorum derogatum fuit. Atque ea res forsitan ipsum Ducem in aliis quibusdam, quæ innovare instituebat, & quòd brevi successorem habiturus sit, tardiorem reddit. Vale, CL. D. HOPPERE, ac conjugi, quæso, salutem, etiamsi ei nominatim non rescribam, officiosè, velim, dicas. Bruxellæ. XI. Decembr. CIↃ IↃ LXX.

EPISTOLA CXXIII.

De ampliatione Regiæ gratiæ desperat, quòd illam sibi Dux proponat publicandam. De decimo denario. Ejus exactoribus pastor seu Jesuita Curtraci absolutionem negat. Angitur super re Anglica. Courtevillius fit debilior. Noircarmius ægre ad curiam accedit.

CL. D. HOPPERE, superioribus diebus uno cursu multas ad te dedi literas, posteaque ad me missæ sunt ab Comite Megano ac Urdio, quæ hisce sunt junctæ. Urdinm autem torquet perpetuo sententia contra Tzommonem lata, queriturque de damnis ob ejus causæ defensionem injuste perpessis, consiliumque subinde meum requirit, quonam pacto gravamina utrique illata reparare queat. Ego vero non habeo quod, hoc regno durante, ei suggeram. Nam de ampliatione gratiæ, de qua Rex scripsit ob natum sibi masculum hæredem, spem nullam concipere possum, quoniam illam strictissime Dux concedendam censet, & tanquam ab se, non ab Regia Majestate procedat: scilicet ut gratior sit gratia, & partem ejus sibi vendicet Vargas.

De decimo denario quotidie novæ suboriuntur difficultates, multique passim deprecatores accedunt, sed nihil proficitur [(50) Exortus etiam est apud Curtracum pastor quidam sive Jesuita

(50) Quæ sunt uncinis distincta, Gabbema omisit.

Digitized by Google

ſuita qui abſolutionis beneficium proximo Natali Domini aliquibus ex Magiſtratibus, collectoribusque & publicanis impertiri recuſavit, quod rem iniquam & illicitam promovere eos diceret, magno certe populi ſcandalo, ob quod ad Epiſcopum Tornacenſem Dux conſiliarium quemdam miſit, qui eum requirat ut pœnam condignam paſtori infligat.] Expectantur hîc etiam Flandriæ epiſcopi populi precibus lamentationibusque exorati, ut apud Excellentiam ſuam intercedant, ſed nihil eos effecturos puto.

D. Geraldus Regis noſtri Orator Anglia ab Regina excedere juſſus eſt, manet tamen ibi adhuc Dominus à Sueveghem, ſed parva cum ſpe hoc diſſidium componendi, quod ſub fundamentis non ſatis vero (51) detentæ regiæ pecuniæ initio cœptum, & literis præfati Oratoris exagitatum eſt, ut in proximo rupturam pacis ſuique comprehenſionem imminere diceret, quo facile perſuaſit Excellentiæ ſuæ, ut ad contraria arreſta procederet, Anglorumque merces divenderet, in quarum reſtitutione nunc laboratur. Fuit autem hoc diſſidium interea magno detrimento mercatorum utriusque partis, publicoque incommodo in totum triennium protelatum, ex quo etiam nonnulli compendia ſua egregie feciſſe aſſeruntur.

Courtewillius noſter quotidie reddirur debilior. Noircarmius quoque adhuc cum morbo conflictatur, ſed cum diu ab Curia abfuerit, revocatus ab Duce, multis hoc precibus ab eo contendente hîc expectatur. Satis autem animadverto eum gravate huc redire, cùm propter decimi denarii perſecutionem, tum etiam quod non eo ſit loco, quo antea fuit, ac adempta illi authoritas, qua in financiis fungebatur.

De privatis rebus non eſt quod nunc ſcribam, & quantum intelligo, omnia ſe recte habent. D. autem V. totique familiæ felicem comprecor annum. Datum Bruxellæ. Calendi Januarii CIↃ IↃ LXXI.

EPISTOLA CXXIV.

Civitatis Biſontinæ pericula & totius Burgundiæ neceſſitates

(51) Deſunt nonnulla, unde ſermo perſpicuus fiat. Sed ita in MS. & apud Gabbema.

Digitized by Google

ceſſitates exponit ac commendat. Minæ capitis ab Duce intentatæ miniſtris Regiis qui exactioni decimi denarii non adſtipulantur.

EX literis Illuſtriſſimi D. Ducis, CL. D. HOPPERE, Regia Majeſtas cognoſcet, in quanto diſcrimine verſetur Reſp. ac civitas Biſontina, quæ prompto indiget auxilio, quod, quæſo, ut D. V. quantum in ſe eſt, promoveat. Similiterque cùm oportunum erit, Regi ſuggerat, plusquam neceſſarium eſſe, ut officiis in Burgundia vacantibus provideat. Sexennium enim aut amplius eſt, quod Senatus Præſide caruit, Præfecturæque duarum potiſſimarum civitatum, in quibus præſidia ſunt, jam aliquandiu quoque vacarunt, ac in urbe Biſontina de officiis, quæ illic ad Regis diſpoſitionem pertinent, nullis à morte D. à Chantoneii proviſum fuit, quæ propter ipſius longam abſentiam antea quoque neglecta fuerunt.

Adhæc viſitatio Parlamenti, officiatorumque in Burgundia, quæ hactenus non magno fructu facta fuit, multorum animos irritavit. Scribit etiam Dux de relegatione Oratoris noſtri Anglici, ſub quo res noſtræ infæliciter tractatæ fuerunt, uti fere accidit, dum imperitis hujuſmodi munera committuntur.

Decimi Denarii executio quotidie nobis novas generat querelas, difficultatesque, nec video quomodo ad effectum deduci is queat, in tanta omnium abhorreſcentia. Interea nos hîc populi odio, periculoque cædis ac direptionis exponimur, & altera ex parte Dux comminatur, niſi in eo Regium jus, authoritatemque tueantur, qui ejus ſunt miniſtri, capitis pœna id eos luituros, ut ſane mihi, cæterisque bonis ſervitoribus ſub tali imperio longius ſervire durum ſit. (1) Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ. IX. Januarii LXXI.

EPI.

(1) Cum his confer quæ Viglius narrat in *Commentario* ſuo de decimo denario a N. XXXV. uſque ad N. L. & vide quàm non recte arguat *Thuanus*, dum ſcribit: „ Provincialium cauſ„ ſam in ſpeciem tuebatur *Ulricus Viglius Zuichemus* Præſes, „ profunda vir prudentia, ita ut contra obnixe niti non vi„ deretur.“ Contrarium plane manifeſtum fit ex locis jam

Digitized by Google

EPISTOLA CXXV.

De Comitis Megani expeditione contra Comitem Bergenſem. Qui non libenter in Hiſpaniam redeunt, Albanum hic permanſurum ſperant; contra alii ut a Varga liberentur.

CL. D. HOPPERE, cùm literarum mearum faſciculum nondum dimiſſum intelligerem: hoc illis adjiciendum putavi, quod ex Illuſtriſſimi Ducis literis plenius forte cognoſcetis poſt Loeveſteinam arcem à noſtris militibus recuperatam, cæſis captisque omnibus, qui in ea inventi ſunt, (2) Comitem Meganum cum ſex ſignis Hiſpanorum militum, ad oppidum Bergenſe trans Rhenum progreſſum fuiſſe. Quo cognito, qui id nomine Comitis Bergenſis (3) tenebant, illico inde profugerunt, & ſane, non erat ea urbs ita munita, ut ſine magno præſidio adverſus majorem impetum defendi potuiſſet. Verùm major noſtris labor videbatur futurus vicina arce poſt recuperanda, quam itidem Bergenſis Comitis milites, inſidiis, doloque paulo ante ceperant, præſertim glacie, nivibusque diſſolutis, ſed ad noſtrorum conſpectum

ciatis ex *Commentario*. Et *Thuanus* non ſatis ſibi conſtans, ſubdit: „ Cùm decimæ & viceſimæ exactionem, ut ab Ordinibus, decretam, promulgari Prid. Kal. Sextil. juſſiſſet „ (*Albanus*) rurſus interceſſere Ordines, & *Viglio Schetſio*, „ atque aliis pro libertate provinciarum affirmantibus Ordines non abſolute in decimam conſenſiſſe, immo hinc periculum imminere, ne centeſimus ſecundæ exactionis nummus recuſetur, *Albanus* exardeſcens aperte declaravit, ſe, „ non expectato Ordinum conſenſu, exactiones imperatas „ executurum; ſugillata interim Conſiliariorum Regiorum fide, qui tamquam perduelles ipſi, populares aut contra animarent, aut diſſentientes defenderent." *Thuanus lib. 48. tom. 2. p. 639. edit. Pariſ. an. 1606.*

(2) *Comes Meganus*] Carolus de Brimeu Gelriæ & Zutphaniæ præfectus, dein Friſiæ, cæſo Arembergio.

(3) *Comes Bergenſis*] ſeu s'Herembergenſis, Guilielmus, e quatuor primis fœderatis unus.

Digitized by Google

ſpectum mox eam reliquêre, prout latius D. V. ex ſchedula incluſa intelligere poterit. Atque ita initia novorum motuum ſupreſſa, rebelliumque conatus irriti Deo propitio facti ſunt, contra nonnullorum vota, qui horum tumultuum occaſione, cùm in Hiſpaniam non lubenter redeant, Ducem hîc permanſurum ſperabant. Et neſcio, an aliis quoque de cauſis Rex forſitan conſilium de ſucceſſore mittendo mutarit, contra multorum deſideria, qui Duce diſcendente, à Varga ſe liberari ſperabant. Magnopere autem literis tuis certior fieri deſidero, quænam Regis ſtet ſententia, ut conſilia quoque noſtra rebus futuris melius accommodare poſſimus. Antverpiæ. XXII. Januarii. CIↃ IↃ LXXI.

EPISTOLA CXXVI.

De interceptis epiſtolis ſollicitudo. Provinciæ detrectant novæ exactionis (X den.) *executionem. Quæ inde anguſtiæ? Quis inde Viglio dolor animi? Flandri x. denarium deprecaturi, & ab Albano objurgati, rejectique; ſtatuunt ad Regem confugere, Duce id ægre ferente. Megani mors. Qui ad ejus locum aſpirent. Comitiſſa Arembergenſis pro filio intercedit.*

PRæter eas literas, HOPPERE CL. quas initio hujus menſis ad te ſcripſi, quinas quoque antea menſe Decembri ad te dederam, hoc eſt Cal. Decembr. tertio, octavo, undecimo, ac XXII. die ejuſdem menſis, ultra alias nonnullas Gallica lingua non magni momenti, ac tantum in quorundam commendationem ad D. T. ſcriptas. Quod autem ita accurrate earum meminerim, facit rumor huc nuper perlatus de interceptis omnibus literarum faſciculis, ſignifero cuidam Hiſpano per diſpoſitos equos iſthuc currenti, traditis. Inter quas multas fuiſſe ex Capellano meo cognovi, quæ à variis amicis ad D. T. deſtinabantur. Quoniam autem non ſatis reſcire potui, quibus literæ noſtræ ab præfectis

Digitized by Google

fectis curſui publico commiſſæ fuerint, viſum eſt binarum poſteriorum ad D. T. exempla hiſce conjungere, rogoque, ut ſi quæ earum in via perierint interceptæve ſint, ab D. tua admonear. Nonnihil enim me ea res ſollicitum habet propter materiam, quam hæc tempora ſubinde ſcribendam offerunt. Interea hîc cum hydra pugnamus, ſupreſſoque uno capite plura ſuboriuntur, & cum univerſaliter populus omnium Provinciarum, executionem novæ exactionis detrectet, tum hîc nobis magnæ difficultates ſuboriuntur. Reliquæ autem civitates penes omnes in hanc urbem oculos intendunt, in qua nec Ducis præſentia, comminatioque crebra, nec militum præſidium, quod indies creſcit, apud refractarios cives impetrare potuit, ut mandatis parerent. Clauſæque paſſim ſunt tabernæ neceſſariaque victui humano ægre conquiri, compararive poſſunt. Ac interea pauperum artificum operariorumque magnus numerus, qui ab ditioribus ſuſtineri ſolet, fame ad pejora conſilia adigitur. Alia autem ex parte, militum non ſolutis ſtipendiis, valde metuitur, ne & illi aliquando tumultuari incipiant. Quibus omnibus occurri potuiſſe videtur, ſi Duci conſilium noſtrum amplecti placuiſſet, donec Regia Majeſtas de omnibus difficultatibus admonita, ſuam authoritatem interpoſuiſſet. Cùm ab exteris autem cumplura immineant pericula, tum hoc inteſtinum malum viſcera noſtra maxime concutit. Quæ ad te, mi HOPPERE, ut apertius ſcribam, Reip. conſervatio me impellit; nam quod mihi metuam non ita multum eſt, cùm ætatem eo uſque jam perduxerim, ut vitæ non illubens renunciare paratus ſim, præſertim quotidianis corporis incommodis, morbiſque gravatus, præter dolorem animi, quem publicæ calamitatis metus nobis generat.

Flandrenſes huc nuper rediere comitati cum ſuis; Gandenſibus videlicet, Brugenſibus ac Iprenſibus, ſupplicatum, ut hanc contributionem decimi denarii in aliam ſpeciem Dux convertere, ac ſalutem publicam imminenti ruinæ præferre dignaretur. Sed ille contra, authoritatem, reputationemque legis in periculum hac eorum tergiverſatione adduci, atque ita lædi ait, ut id neutiquam ferendum cenſeat, præſertim cùm expreſſam Regis voluntatem ac juſſionem, de exequendo decimo denario acceperit, ſæpiusque eis declarit.

Digitized by Google

rit. Itaque illi objurgati rejectique domum non satis pacati rediere. Jamque aliqui ad sacram anchoram confugiendum censent; id est, ad Regem ipsum mittere decreverunt, qui rem omnem, de ipsius confisi clementia, ei exponant. Quod tamen ægerrime Dux se laturum ostendit, Comitemque Laleinium ac alios nonnullos, qui ab Statibus ad hoc sollicitati fuere, objurgatione sua ab hoc proposito avertit. Verùm de his satis.

Amici in Frisia bene valent, ac nuper Dordracensis quidam Curiæ Hollandiæ advocatus cognomento Moseynbrouckius, cui Idam neptem desponderam, inde absolutis nuptiis rediit.

Comitis Megani Gubernatoris Frisiæ mortem nostrates omnes valde dolent, & successorem avide expectant: ad cujus locum filius major Berlaymontii vehementer aspirat. Nonnulli & Roblium, (4) quem Dominum à Bilii vocant, præfidii Groningensis præfectum, expetere videntur, sed plerique nostræ nationis ad majorem nobilitatem magis respiciunt. Quanquam ego, quicunque erit, qui ad eam Provinciam assumetur, optarem ea vigilantia, fortitudineque præditum esse, quam nunc aliquot annis in Bilio experti sumus.

Matrimonium autem hisce diebus cum Megani nepte filius secundus Berlaymontii consummavit, Comitisque titulum assumpsit, atque ad funus defuncti curandum sese præparat. Bene vale, HOPPERE CL. una cum conjuge totaque familia, quam isthic agere nostrisque malis exemptam esse gratulor. Bruxellæ. XXIX. Januarii. LXXI.

Comitissa Arembergensis hodie me ægrum pedibus invisit, summopereque rogavit, ut filium suum D. T. de meliori nota commendarem, quò tuo favore adjutus facilius ab Rege gubernationem Patris sui rursus vacantem impetret. Quod etsi opus non fore ei dixerim, cùm de tua erga filium totamque familiam affectione ac studio nihil dubitarem, tamen, ut ejus petitioni morem geram, te non possum non rogare, ut ejus desiderio, quantum fieri posse videbis, satisfacere non graveris. Adjunxi quoque hisce literas ab Reverendiss. Gandavensi

(4) *Roblium*] Gaspar Robles Billy Dominus, Lusitanus. *V. ad calcem notarum nostrarum ad Vitam Viglii.*

Digitized by Google

davensi hodie acceptas, quas enixe rogavit ut ad D. T. perferri una curarem. Iterum vale. Datum, ut supra.

EPISTOLA CXXVII.

De opere Jacobi Daventriensis. De salinis Burgundicis. Ducem Medinensem adesse desiderat. Irreparabilia damna ex x. denarii exactione attentatá. Dnum a Billy commendat pro munere gubernatoris Frisiæ. Albertus a Loo in Hollandia frustra laborat pro x. denario.

SCripsi proxime ad te, CL. D. HOPPERE, XXIX. Januarii de sollicitudine, quam conceperam ob rumorem, quem hîc audieramus, de literis nostris interceptis. Gaudeo autem quas XXI. Decembr. ad te dederam, prout ex tuis, XXII. Januarii datis, intellexi, redditas esse, quibus & alias tum conjunctas fuisse (si non fallor) recordor.

M. Jacobus Daventriensis hîc sedulo dat operam, ut opus suum absolvat, verùm sollicitus sum, quomodo securè illud in Hispaniam mitti possit, cuperemque Duci nostro mandari, ut ipse rediens, in suam custodiam, tutelamque id recipiat. Difficulter autem illud Autor è manibus dabit, nisi Regia Majestas de residuo, quod ei debebitur, providerit, ac Magistro Martino van Berge scripserit, ut is id persolvat, fidemque suam interponat. Totus autem in hoc opere complendo consenuit, ac eo absoluto quiescere, ac renunciare omni ulteriori labori statuit. De Salinis Burgundicis ex iis, quæ Banius mihi suggessit, id quod Majestas sua scire desiderat, ample cognoscere poterit.

De novo officio assecuratoris inquiram, perscribamque, quod rescire potero.

Ducem Medinensem hîc adesse omnes cuperemus, ut rerum statum perspiceret, atque ex veritate Majestatem suam informaret. Irreparabilia quippe sunt damna, quæ tantummodo adhuc attentata decimi denarii executio his Provinciis intulit, sed jam latius res progreditur, metuendumque ne sine armis

Digitized by Google

armis res transigatur; utrinque enim pertinaciſſime hic funis trahitur, ut tandem rumpi eum metuamus.

Scripſi antea D. T. D. à Billy deſiderare ſui haberi rationem in proviſione gubernationis Friſiæ, quem Duci mihique commendavere Groningenſes, Drentiique, de quibus profecto hiſce annis optime meritus fuit, ac fortiſſimè prudentiſſimèque ſe contra hoſtes geſſit. Is autem & tibi ſe commendari petit, ut ſaltem merita ejus, & Provincialium de eo opinionem Regiæ Majeſtati declarare non graveris.

Multæ ſunt ſeptimanæ, quod Albertus à Loo in Hollandia agit, ut ibidem decimi denarii executionem promoveat, verùm ſe in vanum laborare ſcribit.

Junxi quoque hiſce quorundam aliorum literas, quas ſalvas ad te pervenire opto. Bene vale, CL. D. HOPPERE, & conjugi, totique familiæ multam ex me ſalutem dicito. Bruxellæ. IX. Febr. CIↃ IↃ LXXI.

EPISTOLA CXXVIII.

De aſſecuratoris officio. Telonia Regia ad dimidium diminuta. Friſia a piratis divexata.

POſtremum, CL. D. HOPPERE, ad te nona hujus menſis ſcripſi. De aſſecuratore, quod petiiſti, nondum præſtare potui, quod ſcripta ad eam rem pertinentia ab aliis recuperanda antea, deſcribendaque ſint. Ferebatur autem antea officium hoc aliquot millium proventum in ſingulos annos allaturum eſſe, ſed audio multum illi decreſcere ob horum temporum calamitatem, quibus & telonia Regiæ Majeſtatis ad dimidium pene ſunt diminuta, neque unquam res Provinciæ noſtræ anguſtiores fuiſſe videntur, & plane deſperatur, niſi aliquando à vobis boni aliquid nuncietur.

Friſia noſtra perpetuo adhuc à piratis divexatur, de quibus fortaſſis Igramus noſter aliquid ad te quoque ſcribit, cujus ad te literas conjunxi.

Sickinga quoque noſter rurſus me commonefecit, ut cauſam filii ſui D. V. commendarem, quo bono alicui loco in foro ſcribi eum procures, ut pingue aliquod beneficium ei-

Digitized by Google

dem obtingere queat. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ. XXVI. Febr. CIↃ IↃ LXXI.

EPISTOLA CXXIX.

De Plantini prototypographia. De Regis ſententia circa x. denarium, & quid eum in tanto diſcrimine rerum facere oporteret.

LIteras tuas, HOPPERE CL. XXII. Febr. datas, atque alias per miniſtrum Principis de l'Eſpinoy & Bourgenſis hiſce diebus accepi. De prototypographia nihil dicere poſſum aliud, quàm (5) Plantinum eſſe virum valde induſtrium, ac qui facile excellat omnes hoc tempore idem officium in hac Provincia exercentes. Verùm de inſtituto, privilegiiſque prototypographiæ non habeo quod dicam, cùm id negotium mihi communicatum non fuerit, atque ex Ariæ Montani, Vargaſiique potiſſimum ſuggeſtione, conſilioque, reclamantibus cæteris typographis, hoc officium Excellentia ſua inſtituerit, quod ego convellere non auſim, ne quid Duci me adverſus authoritatem ſuam conſuluiſſe ſuboleat: nam lex Julia Majeſtatis vires acquirit eundo.

Gaviſus ſum tandem intelligere Regiæ Majeſtatis ſententiam de decimo denario: non quod de ejus executione melius ſperem, ſed quod ſaltem Majeſtas ſua non habebit (quod ſi res ex ſententia non ſuccedat) quod nobis tanquam ſibi non prædictum, imputet. Et jam antea ita volente, mandanteque Duce, non omiſi quicquam, quod ad eam rem promovendam ſalva juſtitia fieri potuit, dum Regis apertiorem ſententiam expectamus: qua cognita deſideraremus majore cum fructu odium populi, clamoreſque ac querelas omnium Ordinum ſuſtinere nos poſſe, ſed valde vereor ne adverſo flumine (uti ab initio dixi) natemus: juſtique ac prudentis Prin-

(5) *Plantinus*] Chriſtophorus, Turonenſis Gallus, celeberrimus apud Antverpiam typographus, ibi obiit ſeptuagenarius anno 1589. V. ejus elogium in *Bibl. Belg. novæ edit. p.* 180.

Digitized by Google

Principis partes esse judicarem, in tanto discrimine de rerum veritate per Commissarios huc destinatos informationem accipere, quanquam, si Dux Medinæ adveniet, ipse renuntiare poterit, quid compererit.

Quæ Bilius ac Fritema quæstor Groningensis scribant, de rebus in Frisia contra piratas gestis, ex copiis eorundem literarum cognosces. Fasciculum hisce junctum Illustrissimus Dominus ab Haurech rogavit, ut meis includerem. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ. XVIII. Martii. CIↃ IↃ LXXI.

EPISTOLA CXXX.

Negotium Hopperi a Duce Regi commmendatum. Ipse commendat pro mercede consequenda Zayam, Denneterium & Regios Secretarios: & hos sibi ipse præferri cupit. Rei pecuniariæ inopia defensioni Frisiæ noxia. Joannes Roorda Aggæi successor in judicio Cameræ Imp.

CL. D. HOPPERE, ante aliquot dies scripsi D. V. me cum Illustrissimo Duce de negotio vestro diligenter tractasse. Et quanquam D. Alberti à Loo reditum expectabam, ut plenius me instrueret, attamen cum ipse aliquandiu à nobis expectatus eum differat, feci hoc, quod potui; ac Albernotius Secretarius mihi retulit, se mandato Ducis literas ad Regem conscripsisse ea forma ac commendatione, ut omnino polliceatur non infructuosas eas fore. Admonui quoque de Domino Zaya, quo & ille laborum suorum in negotiis Provinciæ nostræ præstitorum mercedem aliquam perciperet, & quantum colligere potui, sua Excellentia in desiderium nostrum non male propensa videtur. Memini & Denneterii nostri sed cum ille parum ei sit notus, ac D. T. de ejus meritis rectius, pleniusque testari poterit, tuo hoc officio relinquendum censet. Etsi autem ego mea causa importunus esse ei nunquam volui, nuper tamen sua sponte promisit id, quod Regia liberalitas mihi disignatat, brevi

perſolvi curaturum ſe eſſe. Verùm cuperem Secretarios noſtros, qui quotidianis exercentur laboribus ante omnia, quod merentur, conſequi poſſe, cùm ego non æquali neceſſitate premar. Et quanquam quid promeruerim te non ignorare putem, nolo tamen mea ſervitia invidioſè ingerere, ſed ſi alii digna ipſis præmia obtinere poterunt, non aliter ac ſi ipſe accepiſſem gaudebo.

Reinii patruelis tui faſciculum ad te mitto. Adverſus piratas noſtros quomodo ulterioribus eorum conatibus obſiſti poſſit, cum Domino Megano ac Boſſu hîc tractatur, ſed tanta rei pecuniariæ, ſine quâ nihil rectè geri poteſt, penuria hîc laboratur, ut bona conſilia difficulter executioni mandari queant.

Bilius autem Præſidii apud Groningam exiſtentis Præfectus ſedulo quoque allaborat, ut remedium aliquod adhibeatur; quale ſi non brevi inveniri poterit, Friſiam noſtram multis aliis malis afflictam ruituram aliquando timeo.

Doctor Joannes à Roorda in Aggæi locum à judicio cameræ aſſumptus eſt: quid autem tandem ipſe Aggæus de rebus ſuis ſtatuerit, ubi intellexero, latere te non ſinam. Bene vale, CL. D. HOPPERE, ac conjugi, liberiſque tuis, quæſo, multam à me ſalutem impartire non graveris. Bruxellæ. XXI. Martii. CIↃ IↃ LXXI.

EPISTOLA CXXXI.

De difficultatibus in executione x. denarii. Viſitationi Burgundicæ examinandæ qui præfecti? Friſiæ dandus gubernator. De medico Belga in Hiſpaniam mittendo. Salaria non ſoluta. Quantum Conſilio turbarum, & Conſilio ſecreto perſolutum quotidie. Jolitum Anglum commendat.

AD poſtremas literas tuas, HOPPERE CL. XXVII. proximi menſis die datas, nihil reſpondere opus eſſe putavi, cùm nihil contineant, quod reſponſum requirat, & jam antea ſuper quibuſdam articulis præcedentium literarum tuarum aliquid reſcripſi.

Deci-

Digitized by Google

Decimi executio majores, quàm credi possit, difficultates habet, & ab Legatis aliquot Statuum querimoniarum plus satis ad vos adferri existimo. Sunt autem in procinctu plerique alii, qui jam pridem idem in mandatis ab Statibus habuere, verùm Dux significato ipsis Regiæ Majestatis mandato, ab proposito itineris ipsos divertere conatur, nosque excussis omnibus rationibus, ut Regiæ Majestatis voluntati satisfaciamus, non aliud, ut verum dicam, proficimus, quàm ut populum magis exulceratum exacerbatumque reddamus, præstatque aliquando æquis, moderatisque auxiliis subditorum suorum Principem esse contentum, benevolentiamque eorum, in qua certissimum Reip. stabilimentum consistit, retinere, quàm nimium emungendo sanguinem elicere.

Visitationi Burgundicæ examinandæ Roorda, & Consiliarii duo Mechlinienses (6) Austruyes & Pamelius præfecti sunt, à quibus audio multas judicum ejus Provinciæ corruptelas, sordesque comperiri, quæ, an vera sint, dubito, cùm accusati ac ab officio suspensi, ad purgationem, defensionemque nondum sint admissi, & gens Burgundica, ut nosti, multis passionibus naturaliter dedita, in mutuas calumnias, criminationesque plerunque prorumpat.

Provisionem Gubernationis Frisiæ præstat non diu differri, cùm de Hiergio (7) quod Dux ad Regem scripserat, certis de causis mihi incognitis, hactenus ipse effectui dare distulerit.

Collocutus cum aliquibus Canonicis meis de augendo Gregorii tui subsidio, non amplius obtinere potui, quàm antea pro Buchone meo, cui octodecim prope annis in Academiis agenti, & ejusdem Ecclesiæ Canonico, me sæpe pro eo intercedente, nihil præbere voluerunt, consolarique eo se debet, quod

(6) *Austruyes & Pamelius*] In Catalogo Consiliariorum Senatus apud Butkens Suppl. tom. 2. p. 318. occurrit: *Messire Jean Austruyes, Chevalier, succeda a Messire Nicolas Uyttenhove par lettres patentes du 6 Mars 1549.* De Pamelio dicam inf. ad Epist. CXCVII.

(7) *Hiergius*] Ægidius, Comitis Berlaymontii filius, Hiergii dominus, militarium tormentorum magister & Wallonum tribunus, Namurci, & post patrem, ærarii Regii præfectus.

Digitized by Google

quod ipse aliquando eodem rigore erga alios vicissim utetur.

Trajectenses in tantis malis tandem aliquod à vobis expectant refrigerium. Optaremus idoneum vobis medicum in Lommii (8) locum invenire nos posse, sed qui alicujus sunt nominis & experientiæ, difficulter, ut solum mutent, induci possunt. Joannem Oliverium non novi, sed cum D. T. se illi brevi scripturam significet, literas tuas expectabo.

Nostri autem ad pecuniæ postulationem surdas aures habent, ac Consilium Secretum duobus integris annis & trimestri de salariorum suorum solutione graviter conqueritur, cùm illi qui ad Consilium Vargianum coaptati sunt, stipendia longe ampliora, sex videlicet florenos quotidie percipiant, cùm Consiliariis Secreti Consilii duo duntaxat attributi sunt, certamque solutionem illi singulis quadrimestribus percipiant, cùm horum in tertium annum solutio protrahatur.

Jolitus Anglus sæpius ad me recurrit, & D. T. commendari cupit, ut Regiæ Majestatis, quæ eum probe notum habet, beneficentiam aliquam in senili hac ætate percipiat. Bene vale, HOPPERE CL. ac conjugi liberisque multam à me salutem dicito. Bruxellæ. XXVI. Martii CIↃ IↃ LXXI.

EPISTOLA CXXXII.

Pro mercedibus a Rege determinatis hactenus præter verba nihil. Status Belgici supra decem milliones contribuêre. Quibus provinciis, & unde, facultates desint. Insulæ Hollandicæ & plurimi pagi a piratis vastati. Rei maritimæ cura Regi commendanda: Comes de Bossu in Hollandiam missus contra piratas. Bucho Aytta in Italia. Hector Ayta Consiliarius in Frisia.

CL. D. HOPPERE. Mense proximo ad te aliquid literarum dedi, quibus significavi quid in negotio tuo apud

(8) *Lommius*] In *Bibl. Belg. novæ edit. tom.* 2. *p.* 769. memoratur *Jodocus Lommius*, Buranus Gelder, medicus urbis Bruxellensis, qui an in Hispaniam migrarit, mihi incompertum est.

Digitized by Google

pud Illustrissimum Ducem factum esset. Et si, prout desideravimus, Regi postulationem tuam de bono atramento commendaverit; nihil dubitamus, quin fructum aliquem D. V. consequetur. Verùm nos hîc, etsi jam dudum ab Regia Majestate quid Secretariis aliisque nonnullis, & mihi quoque præberi ex Fisco mandarit, determinatum esse intellexerimus, hactenus tamen præter verba nihil consequi potuimus, cùm pecunia tota, quæ eo infertur, in alios usus transferatur. Cùmque jam supra decem milliones proximis his annis Status nostrarum Provinciarum contribuisse ferantur, compertum tamen est novus Gubernator tanta exsolvenda debita remanere, ut, nisi ab Regia Majestate bona pecuniæ quantitate munitus huc advenerit, non exiguas sit expertutus difficultates, præsertim cùm totum hoc negotium contributionum futurarum, quæ à Statibus petitæ sunt, multis adhuc difficultatibus implicitum videatur. Et quædam Regiones ac in primis maritimæ, inundationi ac piratarum invasionibus expositæ, navigationisque ac commerciorum facultate destitutæ, non eam facultatem superesse sibi vident, qualem ad subsidia contribuenda voluntatem initio præ se tulerant. Post novissimas enim litetas eo piratarum vis ac insolentia invaluit, ut dum neminem, qui resisteret, comperierint, plurimas naves jam ad iter Hispanicum paratas ceperint; (9) Tessaliam, Viringiamque insulas, ac plurimos pagos ad oram Hollandicam incendiis depredationibusque misere vastarint. Et ita vires eorum increvere, ut conjuncti cum iis navibus, quas apud Repellam Comes Ludovicus Nassovjensis parat, quasque Dominus à Lumbers (10) aliique factionis Auraicensis apud Angliam instruunt, magnum aliquod damnum nostris regionibus se illaturos minitentur, quod meo judicio facile initio averti potuisset, cum Frisiam nostram infestare inciperent, ac frater meus, dum

(9) *Tessalia Viringia*] Denotantur *Texel* & *Wieringe* insulæ in Waterlandia, inter Oceanum & sinum australem.

(10) *Dominus a Lumbers*] Ita vitiose scribitur in codice nostro & apud Gabbema. Sermo est de famosissimo *Guilelmo Lumney* Comite à Marck. *V. Borrium lib. 6. fol. 264. Verso*, aliosque passim.

Digitized by Google

dum omni ſtudio repellere ex Grietteniа ſua eos ſtuderet, labori immortuus eſt. Quamobrem, quod antea aliquando rogavi, id iterum atque iterum D. T. commendo, ut rei maritimæ Regia Majeſtas eam curam adhiberi mandet, quam periculi magnitudo requirit. Ea ſiquidem incommoda, quæ inde noſtri percipiunt, ad ipſos quoque Hiſpanos derivabunt, dum commercia ſuum habere vigorem nequibunt, & noſtratium navium miniſterio Hiſpani fraudabuntur. Comes de Boſſu in Hollandiam dimiſſus eſt, ut aliquot naves quibus hujuſmodi piratarum conatibus obſiſti poſſit, inſtruat, ſed jam prædis navibuſque noſtris inimici ita ditati ſunt, ut dubia cum illis futura ſit concertatio.

Bucho meus, qui proximo autumno ex Hiſpania in Italiam profectus eſt, aliquandiu apud Papiam ſubſtitit, ac ibidem Magiſterii laurea inſignitus fuit, atque hac deinde quadrageſima Romam abiit, deſiderans illic in Jeſuitarum collegio ſe aliquandiu exercere, ſacerdotalemque ordinem ſuſcipere, priuſquam ad nos revertatur.

Hector quoque ejus frater & ipſe Doctor ibidem effectus eſt, huc jam pridem advenit, & in Friſiam abiit, qui ut ego ad D. V. perſcripſi, in locum ſenatorium, qui per promotionem Præſidis Igrami vacarat, Illuſtriſſimi Ducis beneficentia ſurrogatus fuit. Franciſcus autem Dekamanus poſtquam animum à ſtudiis penitus abdicavit, in Friſiam à propinquis revocatus eſt. Montzima autem ac Sixtus ſtudiis apud Papiam aliquandiu adhuc incumbere decrevere.

Nos hîc gaviſi ſuimus, quod hanc quadrageſimam apud Bruxellam nobis agere Illuſtriſſimus Dux conceſſerit, verùm rurſus de repetenda Antverpia multus eſt ſibilus, præſertim ſi novi Gubernatoris adventus acceleretur, quanquam ut ex literis D. V. XIII. proximi menſis ſcriptis intelligere licuit, ante Julium Auguſtumve ipſe expectandus non videatur.

Lambertum ac Cornelium tuum hîc indies expectamus, qui nobis forte certiora de eo referent, & aliquid ex literis D. V. forte cognoſcemus per eum curſorem, quem brevi vos miſſuros ſignificatis.

Doleo Folcardum meum tanto tempore D. T. gravem eſſe, & vel eo nomine Ducem M. C. ad nos approperare vellem, quo illius moleſtia ſumptuque liberareris, tametſi ſane quicquid

Digitized by Google

quid insumpserit lubens exsolvam; vel in tuos vicissim cùm voles expendam. Bruxellæ. XIV, April. CIↃ IↃ LXXI.

EPISTOLA CXXXIII.

Expectatio de resolutione Regis super novo Gubernatore. An hæc mutatio utiliter publicata fuerit. Ora maritima Hollandica a piratis infestata, cui Comes de Bousſu succurrit. Archipresbyter, aliusque sacerdos prope Antverpiam cæsi. De Tzommonis causa. Porrius Consiliarius. Blaserius in Burgundia. Courtewillius super reditu in Hispaniam dubius. De Secretario rerum Belgicarum apud Hopperum locando. Consilii Status nulla amplius forma, aut usus.

CL. D. HOPPERE, postremæ literæ, quas ab D. T. accepi, ultima Martii datæ fuere. Ad omnes vero quæ antea abs te scriptæ sunt, & mihi redditæ, jampridem respondi. De fœdere contra Turcas Veneti nonnihil tergiversari hîc feruntur. Magna omnes expectatio tenet, quænam tandem resolutio Regis erit super novo Gubernatore mutando. Forte autem præstitisset non tam cito publicatum fuisse, quod tam sero executioni mandatur, propter multa, quæ D. V. prudentia facile secum considerare potest. Et ut multa negligentius curantur, dum successor expectatur, ita multi quoque, qui Remp. nostram inquietare studeant, oportunitatem inde occasionemque quotidie assumunt scelerata flagitiosaque consilia sua exequendi. Nam piratæ oram maritimam ex omni parte infestant, ac proximis diebus de Egmondana Abbatia non sat fausta nunciabantur, verum in pago Egmondano ad mare domibus aliquot incensis, monasterium conflagrationis periculum evasit. Per totum autem illud littus usque in Hagam Comitis, omnes fere incolæ metu consternati, dum qui resisteret nullus esset, ad tutiora loca profugerant: donec Comes à Bossu illuc reversus, navesque aliquot in-

instruens, animum illis aliquantulum reddidit. Dum autem perversum hoc hominum genus latrocinia hæc maritima feliciter cedere conspicit, templorum etiam direptionibus, sacerdotum cædibus, aliisque depredationibus, grassari in locis mediterraneis incipit. Ac detestabili ausu in festis hisce paschalibus apud Berchemium, pagum Antverpiæ proximum, magna manu Archypresbyterum seu Decanum ruralem una cum alio sacerdote innumeris vulneribus affectum, vix ut nosci possit, obtruncaverunt, omnibusque, quæ auferre potuerunt, spoliaverunt. (11)

De Lusitanico argento spem quoque aliquam Candianus per literas suas ad Bravium scriptas mihi fecit, verùm quicquid obvenerit in lucro putabo, agoque D. T. ac Zaiiæ gratias, qui hoc negotium unà promovere dignati estis.

De Cornelio, Lambertoque tuo nihil adhuc intelleximus hisce diebus. Qui adversus Tzommonem producti sunt testes, cum eo confrontati sunt, & subinde veremur, ne infensi judicis iracundia aliquid durius contra eum decernat.

(12) Por-

(11) *Spoliaverunt*] Borrius lib. 5. fol. 241. col. 1. non archipresbyterum seu decanum ruralem, sed pastorem loci & vice-pastorem interfectos scribit. *Raissius* in Auctario ad Natales SS. Belgii pag. 387. narrat martyrium cujusdam pastoris de Berchem prope Antverpiam, cum variis circumstantiis. Nomen ejus non expressit, quia ignoravit. Sed illud nobis conservavit *Dionysius Mudzaerts* Ord. Præmon. Canonicus abbatiæ Tongerloensis, qui in sua historia ecclesiastica, quam vernaculo sermone edidit, & Antverpiæ anno 1624. typis Hieronymi Verdussii vulgavit, narrat; *Bernardum Brochem* pastorem ac Decanum ruralem Berchemii prope Antverpiam, octodecim vulneribus acceptis, trucidatum fuisse ipso die solemni Paschæ anno 1574. Porro Berchemii in templo nulla ejus extat memoria, epimphium nullum; quod iniquis temporibus imputandum est. Nomen tamen aliter effertur in Rationibus seu Computibus fabricæ ecclesiæ parochialis de Berchem, ubi post conclusum computum 22 Februarii 1570. manu propria ultimi defuncti pastoris apposita leguntur hæc verba: „ *Bernardus Egidius* vulgò *Dielkens* supra propria manu computum signans martyr occubuit anno 1570. festo Paschæ in „ Confessionali ab hæreticis occisus.

(12) Porrius Archidiaconus Atrebatensis Domino Drusito in magno Consilio successor est datus.

Blaserius adhuc in Burgundia cum Senatore Mediolanensi in senatum inquirit, atque aliquot Consiliariis ab eis senatus ingressus interdictus est.

Courtewillii sententia, an in Hispaniam redire velit, adhuc dubia est, verùm casu quo hîc remaneat, non desunt, qui apud Excellentiam suam commendantur, cùm penes ipsam ubi isthuc redierit, summam authoritatem rerum nostratium fore, dicant. Ideoque expedire ut Secretarium sibi devinctum habeat. Id vero quantum tua Dennetericique interfit facile perspicis. Metuendum est ne si id fiat (cum inter novum antiquumque gubernatorem non satis convenire feratur) nobis vobisque difficultates molestiæque non parvæ obortantur. Nosti autem quos hîc rerum status Consiliarios habeamus, nec magnopere opus erat mihi præsidis titulum attribuere, cùm ejus Consilii vix umbra supersit: & loco in quo illud haberi solitum fuit, in alios usus converso, tantum, cùm in Ducis cubiculum aliqui conveniunt, de occurrentibus rebus interdum conferetur, citra veterem consilii formam. Sed hæc in aurem Dr T. dicta sint, ut jam quod vires meæ ferre recusant, quo ea videlicet præstem, quæ ad Præsidem ejus Consilii pertinent, ne re ipsa exoneratum intelligas. Si vero Regiæ Majestati pristinam Consilii ejus authoritatem restituere fortean placeret, etiamnò suaderem, ut aliquos in id designaret, qui cùm rerum experientia excellant, tum ea sint ætate quæ rerum pondera sustinere queat. Quibus ego libens titulum hunc cessero, quòm me quotidie & pedibus & toto corpore infirmiorem reddi sentiam. Bene vale, Hopperæ CL. conjugique ac liberis multam à me salutem dicas velim. Bruxellæ. XXV. Aprilis. CIↃ IↃ LXXI.

(12.) *Porrius.*) Messire *Louis Porry*, Conseiller Ecclesiastique, succeda a Messire Remy Drutius par lettres patentes du 9. Avril 1570. *Butkens Suppl. tom. 2. p. 316.* *

Digitized by Google

EPISTOLA CXXXIV.

De Brugelio, Becano ac Laurentio quodam, ad Secretarii Belgæ munus apud Hopperum in Hiſpania obeundum propoſitis. Poſtremus ceteris præferendus, ſi melior reperiri non poſſit.

CL. D. HOPPERE. Brugelius cujus ſit ſententiæ ſuper acceptanda conditione Curiæ veſtræ, præcedentibus literis meis ſatis ſignificavi: Courtewilliuſque cui eſt familiatior, quàm mihi, nuper reſpondit, ita accreſcere quæſtum ejus apud Lovanium, ut præſentem fortunam conditionemque longe Hiſpanicæ præferat. Becanus autem ſatis ſe voluntarium declarat, ut Regi inſerviat, ſed hîc ab Illuſtriſſimo Duce detinetur, qui perſuaſum illi cupit, ut Hiſtoriam rerum per ipſum geſtarum contexat. Quam operam illi addicere hactenus noluit, niſi ocium temptûſque ad id exequendum illi ab Regia Majeſtate concedatur.

Laurentius, qui apud Secretarium Scharenberger per annos ſedecim amanuenſem egit, bene idoneus mihi videtur, ut ad Secretarii munus promoveatur. Etſi enim ſit Germanus, tamen Catholicam Religionem ſemper ſine reprehenſione ſectatus fuit. Et non tantum in transferendo Germanica in linguam Gallicam diligentem fidelemque operam præſtitit, verùm etiam abſente aliquando Scharenbergero, quæ ei ſcribenda commiſimus, compoſite reddidit, uti etiam D. V. hîc præſentem non ſemel expertam fuiſſe arbitror. Modeſto quoque minimeque elato fuit animo, & difficulter ſibi perſuaderi patietur, ut talem conditionem acceptet, de qua D. V. ad me ſcripſit, niſi ſuum favorem patrociniumque illi polliceatur. Scharenbergerus autem ægre eum dimittet, quod hactenus in eo per aliquot annos, ſui officii principalis ſollicitudo reſederit.

Quamobrem ſi meliorem non repereritis, hic, ut mihi videtur, deſiderio expectationique veſtræ non male ſatisfaciet, atque ſi Regiæ Majeſtati id placebit, ab Scharenbergero literis Regis peti debere videtur, quo ille aſſenſum ſuum

in

Digitized by Google

in hoc præbeat: Laurentioque quò hanc conditionem acceptet persuadeat, viaticumque trecentorum quadringentorumve ad minus coronatorum hîc numerari jubeat. Super qua de re D. V. quid Majestati suæ placeat rescribere mihi dignetur, cùm hîc non desint aliqui ad id munus exercendum, ut mihi videtur, valde inepti, quos eandem conditionem ambire, & commendatores magnos habere intelligo. Bene vale CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. XXV. Maii. CIↃ IↃ LXXI.

EPISTOLA CXXXV.

Cellarius consiliarius Gandavensis periculosè æger. Aggæo Joannes a Roorda succedit: de publicatione Conc. Trid. in Burgundia. Vargas Hopperi commendationem haud magni facit, legationi Statuum Imp. vix respondet, & Belgis plus satis negotii relinquet. Tzommo nondum ad finem negotii. Jacobus ab Eeinden Adv. Holl. vir doctus, modestus, catholicus. D. a Zueveghem nihil profuit in Anglia. Hæc controversiâ quantum provinciis detrimentum attulerit. Andreas Baston carceri datus ob violata Brabantiæ privilegia. Cancellarius simulatè æger. Hoppero quare rariores a Viglio literæ. Denneterius Courtewillii in Hispania locum supplens, maxime idoneus ad Secretarii ibi munus; cum quo nimis dure agitur.

AD omnia pene capita literarum tuarum XXIII. Aprilis scriptarum, CL. D. HOPPERE, antea respondi, quibus postea accessere aliæ XIIII. Maii datæ.

Lambertus, Corneliusque tuus nondum ex Frisia huc rediere. Sororis tuæ Doctoris Reineri viduæ gener me hac transiens subinde invisit, meque commendationis tuæ commonefacit, cujus desiderium lubenter, quoad potero, promovebo.

Digitized by Google

bo. Ac forte Cellarius (13) Consiliarius Gandavensis, qui valde periculose ægrotat, locum alteri faciet, verùm ex accurrentibus competitoribus, qui multorum meritorumque intercessionibus prævalent, non satis video quam spem illi facere possim. Quod autem antea monui, ut Duci Medinæ Cæli, qui forte nobis facilliores præbebit aures, cum commendare dignaretur id rursus consulo.

Aggæus ut antea ad te scripsisse me meminit, Coloniam migravit, Doctoremque Joannem à Roorda filium Rioerdi à Roorda, quem te novisse puto, successorem habet.

De Bekano Dux ad Regem scripturum se dixit.

De publicatione Concilii Tridentini in Burgundia, factum est, quod Rex jussit, idque se Courtewillius ad Majestatem suam, nomine Ducis, perscripturum recepit.

Literas quæ à vobis super D. Egmondanæ similiumque negotiis scribuntur, non magni Vargam facere video; ac cùm huc nuper legatio sit missa ab Cæsare ex Statuum Imperii decreto, de iis negotiis de quibus turbulentum, ut vocant, Consilium cognovit, nullo pene responso dignatur, atque ad nos rejicit, qui ut Majestati Imperiali aliquo modo satisfiat, valde laborumus, testamentumque præclarum nobis Vargas relinquet; quod vereor ne nobis vobisque multum postea facessat negotii.

Tzommo ad finem causæ suæ pervenire nequit. Si declaratio vestra locum habere potuisset, jam dudum & ipse, & Denneterii

(13) *Cellarius.*] Ecce miseram, imò miserandam rationem, hominum nomina vulgaria latina facere. Hic *Cellarius* diu quæsitus, inventus est esse *Robertus du Cellier*, è Flandria occidentali oriundus, ubi functus est munere *Waetergravii* & *Moergravii*. Anno 1535. Civitatis Brugensis Pensionarius fuit, & anno 1548. a Magistratu Gandavensi evocatus, electusque est illius urbis advocatus primarius, vulgò *premier pensionaire*, quo cum munere intervenit anno 1555. solemni inaugurationi Regis *Philippi II.* in Comitem Flandriæ. Ceterum inter primarios sui temporis Jurisconsultos habitus, exaravit scripta varia pro urbe Gandavensi, quæ etiamnum superfunt, ejusque memoriam propagarunt. Quo anno Consiliarius fieret in Flandriæ senatu, incompertum est. Verùm mortis debitum solvit anno 1573.

Digitized by Google

neterii patruus, vetus amicus meus, à mala manſione liberati fuiſſent. Nec de Jacobi ab Einden Advocati quondam Hollandiæ, viri, ut ſcis, valde docti, & modeſti, & quantum ipſe intelligere potui, in Catholica religione conſtantiſſimi, memoria, ac bonorum confiſcatione vidua liberique ejus, periclitarentur: ſed omnes meliora ſperant, ſi Dux de Medina Cæli aliquando apparuerit.

In Anglia nihil D. de Zuevegem (14) hactenus proficere potuit, eodemque nuper Thomas à Fliſco mercator Genuenſis miſſus eſt. Verùm ego ſemper dixi per mercatores negotia publica non ſat recte geri, cùm ſui, quam publici commodi amantiores ſint. Hæc autem controverſia ex falſis ſuggeſtionibus principio excitata, mirùm quantum detrimenti Provinciæ noſtræ attulerit, eaque occaſione perduelliones noſtri, piratæque ad ſua commoda non negligenter ſunt uſi, qui totum noſtrum mare infeſtum reddunt. Armatæ autem à nobis tandem ſunt nonnullæ naves, ſed vereor, ne halecum piſcatio hoc anno penitus jaceat.

Andreas Baſton cùm huc nuper appuliſſet, mox in carcerem tractus eſt ob violatum, ut ajunt, iſthuc Brabanticum privilegium, cujus negotium Advocato fiſci commendavi; ſed vereor, ne Brabantini interceſſionem noſtram magni faciant.

Cancellarius ab menſe Octobri in hunc uſque diem intra cubile ſe continuit, cujus morbo vos iſthic facile mederi poſſetis, ſi pinguem aliquam mercedem ei largiremini.

Quod à nobis rariores accipiatis literas, in cauſa eſt crebra Courtewillii ægritudo, & quod Dux rarius nobiſcum negotia communicat, mavultque ea, quæ ad Regem ſcribenda ſunt, Hiſpanicis ſuis Secretariis, quam noſtris committere. Unde etiam deſitum eſt de rebus, quæ ad Financiarios pertinent, per eoſdem ſeparatim ad vos ſcribi. Non video autem conſultum, ut Courtewillius, tam tenera valetudine præditus, Hiſpanico ſe itineri aliquando committat, & vobis tempeſtivè de ejus ſucceſſore providendum eſt, quem magis idoneum, quàm ſit Denneterius, vix arbitror hîc inveniri poſſe.

(14) *D. de Zuevegem*] Is fuit è familia de Griboval, cujus ſtemma producitur in *Sanderi Flandria Tom. 3. pag. 32. & 33. nov. edit.*

Digitized by Google

posse. Qui cum per quatuor jam annos Courtewillii vices suppleverit, (15) minus dure cum illo agitur, quod nullam laborum suorum mercedem hactenus percepit: unde pertæsus longioris moræ, quotidie apùd nos instat, ut bona cum gratia matris, ac cæterorum amicorum ei huc redire liceat. Quamobrem D. V. enixe rogo, ut amanter eum adjuvare velit, quo certam aliquam spem præmiumque percipere possit, priusquam in ejus locum alius vobis obtrudatur, qui non pari synceritate, studio ac diligentia vobis inserviat.

Folcardum meum cum novo Gubernatore omnino redire cupio, nisi antea Regia Majestas aliquam in eum liberalitatem declararit, qua ibi ejus sumptus nonnihil releventur.

Bucho meus Romæ agit, Magisterii gradu ac sacerdotali ordine insignitus, atque à me flagitat, ut annum latinis concionibus declamationibusque ipsum in Jesuitarum collegio exercere se permittam, qui, de Illustrissimi Cardinalis Granvellani abitu multum doluit, à quo humanissime ibi exceptus fuit, plurimumque ei gratus esse cœperat.

Arbitror autem illum non tam Præposituræ meæ dignitatem ambire, quam me sibi sospitem diu conservari. Speroque talem se exhibiturum, ut dignus sit cui cum occasione Regia Majestas aliquando benefaciat. Vale, CL. D. HOPPERE, & D. conjugi totique familiæ plurimam quæso à me salutem dicas. Bruxellæ. v. Junii. CIↃ IↃ LXXI.

EPISTOLA CXXXVI.

Hieronymus Holwaghen ex Hispania redux. Hector Aytta Hopperi cognatam procatur. Bucho Aytta & Bucho à Montzima nepotes, Romæ. Albanus Antverpiæ pro mutando ejus urbis regimine. D. à Champagnaco ejus gubernator. Controversiæ inter Consilium Status & Turbarum. A piratis metus.

(15) *Minus durè*] ita in MS. & apud Gabbema. Legendum sine dubio: *nimis durè.*

Digitized by Google

tus. Noircarmius æger. Barlemontius ſecum Antverpiæ. Cancellarius procul negotiis.

CL. D. HOPPERE. Hieronimus Holwaghen XII. hujus menſis huc adveniens, literas tuas, Antverpiam mihi cum Duce proficiſcenti reddidit, qui nos paulo poſt eò ſecutus, non tam de publicis rebus, quam de tuis privatis conjugiſque ac familiæ, ea retulit, quæ nobis omnibus gratiſſima fuere. Profectus eſt autem hinc Goudam, ut filiam generumque tuum viſitaret, ac ſpero quod inde rediens certiora tibi de utero, quem illam jampridem ferre audivimus, ſcribere poterit. Pecuniam autem nepoti meo numeratam ei non gravate reddam, cujus reditum una cum (16) D. M. C. jamdudum exopto, precorque ut viatico eum inſtruas, quo huc commode ac ſine Ducis gravamine pervenire queat.

Hector meus Conſiliarii ſtatum in Friſia obtinens, cognatam Buygeranam procatur, nec parentes ſe difficiles præbent, ſi modo in bonis illi reſpondeat, ſuper quo ea à me illis oblatio facta eſt, ut ſperem eam queſtionem affinitatem noſtram non eſſe remoraturam.

Bucho ac Montzima ſuſcepto apud Papiam gradu Doctorali, Romam adiere, verum hic luſtrata urbe in Patriam redire mox conſtituit, alter à me permitti ſibi poſtulavit, ut longius illic mores aliquantulum perſpicere poſſit.

Illuſtriſſimus Dux ad hanc urbem ſe contulit, ut ea exequatur, quæ jam dudum de mutando ejus regimine conſtituit, adeſtque hîc (17) D. à Champaignaco, qui ejus gubernator deſignatus eſt, verùm hactenus certo ſcire non potuimus, quæ hujus Reip. renovandæ formula futura ſit, ſuper qua non ſatis inter noſtrum Conſilium atque illud, cui Var-

(16) *D. M. C.*] *id eſt:* Duce Medinæ Cœli.

(17) *D. à Champaignaco*] Fredericus Perenot de Granvelle dominus de Champigni, frater germanus Cardinalis Granvellani, & *Thomæ* Perenot de Granvelle domini de Chantonay ac de Canticrode, nec non *Caroli* Perenot de Granvelle Abbatis de Favernay, & præpoſiti S. Joannis Ultrajecti. *V. Butkens troph. de Brab. tom. 2. p. 249. novæ edit. & Catal. noſtr. Præp. & Decan. Ultraj. ad an. 1543. in ſerie Præpoſitorum S. Joan.*

Digitized by Google

Vargas præfidet, convenit. Sunt & alia pleraque quæ controvertuntur, uti mihi videatur omnino convenire, ut Rex breviter de adminiſtratore novo ſurrogando, aut de veteri continuando, certi aliquid conſtituat, matureque exequatur: cum in dubio ſubditorum vicinorumque animos relinqui non è re videatur.

Piratæ Francorum Anglorumque favore ſuffulti gravia nobis minantur, commertiaque omnia maritima diſturbant, adverſus quos naves aliquot armavimus, militeſque in maritimis locis ad defenſionem diſpoſuimus.

Noircarmius adverſa valetudine impeditus aliquamdiu à Curia abfuit, ſoluſque Barlemontius adeſt, relicto apud Bruxellam Conſilio Secreto, ac Cancellarius Brabantiæ octo pene menſibus domi ſe continens, ab omni rerum adminiſtratione ſe ſegregavit. Bene vale, HOPPERE CL. cum omnibus tibi charis. Antverpiæ. XVIII. Junii. CIↃ IↃ LXXI.

EPISTOLA CXXXVII.

Declarata per Albanum liberalitate Regia in Viglium, ejus ſolutionem opinione citius conſequitur, proque ea gratias ſcribit Regi, & Hoppero etiam Secretariorum regiorum nomine.

CL. D. HOPPERE, ſignificavi D. V. ſuperioribus literis meis, Ducem noſtrum tandem Regiæ Majeſtatis liberalitatem mihi declaraſſe, & eam perſolvendi mandatum dediſſe. Quanquam autem verebar (ut Curiæ mos eſt) ne tardius ſolutionem conſequerer, accidit tamen poſtea, ſive benevolentia Martini van de Berghe quæſtoris confiſcationum, ſive quod edicto omnis argentea moneta ab exteris cuſa, quæ hîc quaſi ſola in uſu curſuque fuit, poſt certum tempus brevi expiraturo, prohibita fuerit; ut ejus ſolutio citius opinione mea facta ſit. Et quanquam te nuper rogaram, ut indicares, an propriis meis literis, quibus Regi gratias agerem, opus eſſe, an vero te hoc officium pro me obire ſufficere, exiſtimares, volui tamen, ne ingratitudinis notam incurrerem, tribus verbis id agere, quò ſi tibi literæ meæ reddendæ videan-

Digitized by Google

deantur, illæ tua commendatione adjuventur. Tibi quoque non meo tantum nomine, sed Secretariorum nostrorum magnas gratias ago, quod hanc liberalitatem erga illos quoque promoveris, quibus meam fidem liberatam gaudeo, cùm apud eos, quò eorum diligentiam excitarem, sæpius illis Regiæ beneficentiæ expromissor extiterim. Quæso autem ut verbulo indices, quo vultu Regia Majestas officium nostrum acceperit, quaque benevolentia me prosequi pergat. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Antverpiæ. XIX. Junii. CIↃ IↃ LXXI.

EPISTOLA CXXXVIII.

In confinibus Gallicis belli metus ab Hugonottis. Magistratus Amsterodamensis, tam Catholicus, ut vix umquam alius; quid pro ædificatione citadellæ Vlissingensis offerat, ut præsidium Hispanicum redimat, & a processu quodam liberetur, opponente se Vargâ. De mutanda rep. Antverpiensi. Denneterius in Hispania retinendus.

SCripsi ad D. T. binas literas, CL. D. HOPPERE, XVIII. ac XIX. hujus mensis, quas tamen hîc in præsentis cursoris abitum detentas fuisse intellexi. Interea hîc nihil scriptu dignum se mihi obtulit, nisi quod in confinibus Gallicis magnus belli metus ab Hugenottis nobis injicitur, quem tamen non multum metuendum nobis putarem, si subditorum nostrorum animi ii essent, qui antea fuerunt, vereorque ne quibusdam novitatibus magis atque magis exasperentur.

Amandi filius tuas mihi literas reddidit, gavisusque sum ex eo cognoscere vos isthic omnes recte valere.

Amsterodamenses pro ædificatione Citadellæ Vlissingensi ducenta millia florenorum obtulere, ea summa redimere cupientes, ne ipsi Citadellam præsidiumque Hispanicum admittere teneantur, atque à processu, qui contra Senatum Consiliumque civitatis (non magna uti videtur de re) intentatur, liberentur. Postremum autem Vargas nullo pacto admittit, scilicet, ne justitiam venalem habere videatur, licet, si ve-

Digitized by Google

ſtra moderatio declaratioque locum haberet, omni difficultate negotium eorum caiturum putarem. Noſti enim quam Catholicus & erga Regiam Majeſtatem deditus devotuſque ibi fuerit Magiſtratus, ut vix unquam alius. Sed ex meritis Trajectenſis cauſæ facile cognoſces, qua æquitate hîc omnia gerantur. Nos hîc fertilem ſperabamus annum, ſed omnem propemodum ſpem continuæ pluviæ intervertunt.

De formula hujus mutandæ Reip. nondum Dux conſtituit, eo autem nonnullorum conſilia tendere videntur, ut nomine relicto, Scabini tantum pedanei fiant judices, atque ad ſimilitudinem judiciorum Hiſpanicorum correctorum, hîc introducatur poteſtas. Idemque exemplum cætera ſequantur oppida. Verum hoc conſilium fortaſſis melius ſucceſſiſſet, ſi id principio Dux inſtituiſſet, cum nunc de ejus authoritate nonnihil detrahat ſucceſſoris expectatio.

Denneterii noſtri cauſam iterum D. V. commendo, cum ut illum ibi retineatis, non ipſius tantum, ſed & veſtra referre puto, ne vobis aliquis obtrudatur de cujus ſyncéritate idoneitateque non idem forte expectare licebit. Bene vale, CL. D. HOPPERE, cum tota familia omnibuſque tibi charis. Antverpiæ. XXIX. Junii. CIↃ IↃ LXXI.

EPISTOLA CXXXIX.

De valetudine ſua debilitata. Optat Conſilio Status melius eſſe proviſum. Albanus, ſuique de Gubernatore ſucceſſore ſilent. Viglius Albano una hebdomada ſenior. Doctoris Milii petitio rejecta. Anglis conceſſa indulta merces ſuas apud nos diſtrahendi.

NUdiuſtertius, HOPPERE CL. allatæ nobis ſunt literæ veſtræ xx. præteriti menſis die datæ. Vos iſthic omnes recte habere, valde gaviſi ſumus. Nos quoque hîc mediocriter valemus, niſi quod pedes mei quotidie magis officium ſuum facere detrectant. Sed patienter fero, quod ætas anni-

Digitized by Google

annique adferunt, & quam diu à negotiis vacationem poſtulavi, eam neceſſitas tandem mihi impetrabit. Optarem autem Conſilio noſtro melius proviſum, præſertim ſi Dux Medinenſis aliquando huc advenerit, quò neceſſarios miniſtros adjutoresque regiminis ſibi commiſſi hîc invenire poſſit. De quo ſententiam meam Duci aliquando expoſui, ſed neſcio an ille aliquid ad Regem de eo perſcripſerit. Ille autem, ſuique, non magnam miſſionis ſucceſſoriſve adhuc ſignificationem præbent. Quod autem ad ejus ætatem pertinet, ſæpius ea per illum mecum ſupputata, comperi me una hebdomada eo ſeniorem eſſe.

Regiæ Majeſtatis literas in commendationem ejus, quod doctor Milius petebat, jampridem Courtewillius me præſente Duci recitavit. Etſi autem erga illum ſatis ſe Excellentia ſua affectam oſtendebat, poſtulata tamen longiſſime rejecit, verita ne plures apud vos id exemplum ſequerentur, uti & alios quoſdam idem apud Regem petiiſſe, meminiſſe D. V. poteſt. Quanquam hîc eadem multis concedantur, cum querela quorundam, qui per hujuſmodi indulta controverſiam cum Anglis foveri clamitant. Etenim niſi per ea ipſis pannos ſuos, lanaſque, atque alias merces diſtrahere apud nos permiſſum fuiſſet, noſtram amicitiam magis charam forſitan habuiſſent. Mihi autem dolet, quod Cobanum non contentum dimiſeritis, cum enim ex tractatione D. à Suevegem non magnam reconciliationis ſpem adhuc concipere liceat, ita novis quotidie occaſionibus magis magisque animos exaſperari timemus. Ad cætera proxima oportunitate reſcribam. Hoc pene eram oblitus, quod D. V. maximas gratias de pecunia Luſitanica procurata ago. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Antverpiæ. VII. Julii. CIↃ IↃ LXXI.

EPISTOLA CXL.

De liberalitate Regis in Collegium ſuum Lovanienſe, qua contentus eſt, licet alii mirentur non majorem ſui rationem habitam fuiſſe; & mercedem invideant Mepſchio datam, quam ipſe tamen probat. Cupit Regem

Digitized by Google

Regem sui ipsius quoque rationem habere, nec ex confiscatis bonis feuda donare, nisi sub antiqua obligatione. Negotia Status non eo quo consuevêre modo, sed Hispanice tractantur : exigua apud præsidem Tyssenachium remanente authoritate, quæ primariò est apud Albernotium, Courtewilliumque, maximè vero apud Vargam. An hi æqui judices.

CL. D. HOPPERE. Rogavi nuper D. V. ut non gravaretur Regiæ Majestati nomine meo agere gratias de liberalitate, quam in Collegium meum contulit, & quoniam responsum consiliumque D. V. super eo quod requirebam, an videlicet hoc officium per proprias literas facere præstaret, an vero per D. V. id fieri sufficeret, longius differebatur, hoc ipsum supplendum putavi, atque ad D. V. jampridem ea de re epistolium Regi offerendum misi, gavisusque sum me prævertisse literas D. V. quibus me, ut id facerem, admonuit, & profecto hanc Regis beneficentiam non possum non ambabus amplecti ulnis, neque aliud requirerem, si æque cæteri atque ego ea contenti essent. Qui cum fateri debeant, mea servitia in Remp. atque in compescendis superioribus tumultibus, dirigendisque postea negotiis, non minora fuisse iis, pro quibus ipsi magnam à Rege mercedem expectant, expetuntque, mei non majorem rationem habitam fuisse admirantur. Indignanturque Mepschio mille & quingentos florenos annuos in proventibus stabilibus datos esse, qui sua merita non minoris æstimant. Verùm profecto damna ille multa accepit, & periculum subiit, ad quæ Regem respectum habuisse arbitror. Quoniam autem petitorum multa affluit turba, velim Regiæ Majestati suggeri, ut sui etiam habeat rationem, præsertim in feudis, ne illa donet, nisi sub obligatione, qua illi, qui ea possederunt, antea tenuerunt. Et cum Princeps Orangiæ, Brederodius, Egmondanus, ac plerique alii multos sub se vasallos habuerint, omnino mihi videretur, si illorum Dominia aliis elargiri Rex velit, ut sub feuda, quæ vocamus, sibi reservet. Quod equidem consilium Duci nostro

Digitized by Google

ſtro initio ſuggeſſeram, atque inferiores vaſallos, confiſcatis principalibus feudis, à quibus illa relevabantur, ad Curiam Principis Comitisque Hollandiæ evocari illi placuerat, poſtea tamen, neſcio quibus artibus, id ſubvertere nonnulli conati ſunt.

Quod D. V. ſcribit mirari ſe unde accidat, quod ad multas literas negotiaque, quæ iſthinc mittuntur, non reſpondeatur, jam antea D. V. ſubindicavi, quomodo hîc negotia tractentur, hoc eſt, non eo, quo conſuevêre modo, ſed omnino Hiſpanice; Conſilii enim Status nulla amplius eſt forma, Præſidisque Secreti Conſilii D. Tyſenachii non eſt authoritas, quæ prædeceſſorum ſuorum fuit. Ego autem etſi ætate valetudineque impediar, quo minus ea, quæ ſoleo, munia obire poſſum, facio tamen quod Dux mandat, relinquens alia negotia, Secretario Ducis Albernotio, apud quem primaria eſt authoritas Courtewilliumque quem tamen valetudo non ea obire permittit, quæ ipſius alacritas expetit. Omnium vero maxima authoritas eſt apud Vargam, cujus judicio ſtant caduntque res noſtræ, adverſus quem tantum populi odium eſt, ut ipſo regnante, ad quietem reduci res noſtras boni omnes deſperent, videbitque D. V. ex negotio Trajectenſi, qua æquitate ſub talibus judicibus res pertractentur. Hæc volui addere ad ſuperiores literas, quibus veſtris xx. Junii datis reſpondi. Bene vale, CL. D. HOPPERE, & univerſam familiam à me amanter ſaluta. Antverpiæ. VIII. Julii. CIↃ IↃ LXXI.

EPISTOLA CXLI.

Gubernatoris Antverpienſis poteſtas reſtricta: cum ſtipendio bis mille flor. Conſilio juſtitiæ in ea urbe inſtituto præerit, cui aſſeſſores ex ſcabinis aliquot, ex Cons. Brabantiæ bini, dati. Dubius hujus mutationis fructus, Conſilio Viglii deſuper habito. De rotulo beneficiali. De x. denarii collectione publicanda angitur, Albano affirmante Regem id abſolute præcepiſſe.

Digitized by Google

CL. D. HOPPERE. Illuſtriſſimus Dux nuduſtertius D. à Champaignii Gubernationi hujus urbis præfectum declaravit, verùm non ſecundum formulam commiſſionis à vobis tranſmiſſæ, ſed aliam hîc conceptam. Neque enim Excellentiæ ſuæ viſum fuit ejus adminiſtrationi totum Marchionatum, ſub quo & Breda & Berga cenſetur, ſubjicere, ſed tantum Antverpiam, cum diſtrictu ad eam urbem pertinente. Duo autem millia florenorum pro ſtipendio aſſignavit ſolvenda non ex ærario Regis, ſed ipſius civitatis. Inſtituit vero Excellentia ſua præter Scabinos, quorum cognitio duntaxat ſe ad cc. florenos extendet, Conſilium, quod vocat Juſtitiæ (18) penes quod de criminalibus majoribusque cauſis civilibus judicium erit. Cui præerit Gubernator quatuorque ejus aſſeſſores: ac cum ea ratio nobis non ſatis probaretur, neque tam paucos tantis cauſis proceſſibuſque expediendis ſufficere poſſe diceremus, tandem ægre impetratum eſt, ut ex collegio Scabinali, cùm opus videbitur, coadjutores aliquot aſſiſtere poſſint. Inter aſſeſſores vero ex Conſilio Brabantiæ ad tempus aſſumptus eſt Oudardus, Boniique filius; experientia autem docebit quidem fructum hæc mutatio

(18) *Conſilium Juſtitiæ*] De quo ita ſcripſit Butkens Trophées de Brabant. Tom. 2. p. 510. novæ edit.: „ 1571. *fut dreſſé une* „ *Chambre de Juſtice qui avoit la judicature du Criminel & de toute* „ *action Civil, excedant* 200. *Francs, les Deputées furent.* Meſſ. „ Fredericq Perenot de Granvelle, Seigneur de Champigny, „ Gouverneur de la Ville. Meſſire Nicolas Oudart, Chlr. „ *Conſeiller de Brabant.* Corneille Boon, *Conſeiller de Brabant.* „ Meſſ. Lancelot van Urſele, Chlr. *Bourgemaiſtre.* M. Cor- „ neille de Wyſe. M. Adrien Dyck, *Greffier. Auſſi fut dreſſé* „ *une Chambre de Comptes ou Treſorie, ou furent deputez.* Meſſ. „ Pierre Butkens Chlr. Chef. Meſſ. Henry van Berchem, „ Chlr. Chef. *Commiſſaires.* M. Paul Schuermans. Gillis „ Happaert. Jean van Woenſele. Abraham s'Hertoghen. „ Corneille Lantſchot. *Greffier.* 1575. 16. *Janvier, furent* „ *abolies les dictes Chambres, & le tout remis en ſon ancien eſtat.*" Emanuël Van Meteren in Vita ſua, quæ exſtat ad calcem hiſtoriæ, narrat, ſe autoritate hujus *Conſilii* incarceratum fuiſſe Antverpiæ, & a Conſiliario *Boonen* examinatum, ſed die ſequenti dimiſſum, ſuadente *Boonio*, ut in Angliam reverteretur.

Digitized by Google

mutatio adferet. Suggesseram ego aliquando, ut in reformanda hac Rep. Cæsaris Caroli Quinti exemplum sequeretur, quod Gandavi anno XL. editum non infructuosum hactenus fuit, verùm nullo pacto id illis probari potuit. Cùm Dux confectis hîc rebus Bruxellam redire constituisset, ego Gandavum invisere decrevi, ideoque, si forte me absente cursor aliquis ad vos expediretur, ne sine meis ad vos veniret, literas hasce in ejus abitum apud M. Postarum relinquam.

Quod rotulo adjectum nuper D. V. ad me misit, D. Præsidi Tysenachio tradidi, ad cujus officii authoritatem tota ipsius rotuli cura pertinet. Alberto autem ab Loo, ac aliis quibusdam Regiam provisionem declaravit; miror autem in his M. Idzardum à Sickinga prætermissum fuisse, cùm ipse sibi à D. V. pinguem aliquem Canonicatum promissum dicat.

Literæ commendationis pro fratre Denneterii, me præsente recitatæ fuere, sed parum illis motus fuit, aliisque lubentius gratificaturus videtur.

Domini de Financiis valde perplexi sunt in ordinanda collectione decimi vicesimique denarii, quem Dux proximo mense publicare decrevit. Omnes autem sperabant Regem consensurum, ut quæque Provincia quotam suam potius præbuisset, cùm præter populi clamores vereamur, ne operarios mercatoresque omnino abigamus, & vix dimidium inde ad Regiæ Majestatis utilitatem sit perventurum. Verùm cùm Regem absolute id Excellentia sua præcepisse dicat, refragari nos non decet. Deus autem bene vertat. Bene vale, CL. D. Hopperb, & conjugi liberisque multam à me salutem, ac à Stina totaque familia mea dicas velim. Antverpiæ. XXII. Julii. CIↃ IↃ LXXI.

EPISTOLA CXLII.

Nuntio de adventu Ducis Medinæ Cœli non adhibetur fides. Rollema ex carcere dimissus, sed bannitus. Innuit injustitiam hujus sententiæ. Terrores ex Gallia, Germaniaque vani. Denneterius Regis

Digitized by Google

Regis liberalitatem ſenſit, quem Hoppero conſervandum cenſet, ne alius obtrudatur, Albano magis, quàm illi fidelis futurus.

CErtior factus, CL. D. HOPPERE, ab Duce noſtro expediri curſorem, qui ad Regiam Curiam mitteretur, nolui occaſionem, per illum tria verba ad D. V. ſcribendi omittere, eique ſignificare, me binas ab eadem XIII. ac XIV. præteriti menſis Julii datas, nudiuſtertius accepiſſe, per quas de adventu Ducis Medinæ Cæli certiora, quam antea, nuntiabantur, verùm ea parum noſtros commovere videntur, nec fides eis tribuitur, donec ejus adventum præſentia teſtetur. Nepos autem meus Folcardus prævertere eum cuperet, verùm juſſi illum nihil ſine D. V. conſilio tentare. Quod ſi autem antea huc venerit, curabo ut inter primos ſit, qui ad miniſterium Illuſtriſſimi Ducis Medinæ Cæli (ubi huc appulerit) accurrent, modo D. V. hoc antea apud eum egerit, ut in ejus ſervitium acceptetur.

Rollema noſter tandem ex diuturno carcere relaxatus fuit, bannitus tamen perpetuò ex Hollandia, Zelandiaque, ac in Friſia confinatus, de cujus ſententiæ æquitate forte alii ad D. T. ſcribent, ac Gurdium, qui hîc adeſt, non puto taciturum, quæ ad eam cauſam pertinent. Omnium vero judicio non ſolum eum abſolutum intellexi, ſed viſum quoque fuiſſe, accuſatores, inter quos fuit Hiſpanus, qui in ejus officio ſuffectus fuit, pœnæ falſæ accuſationis ſubjici debere. Sed Vargas propter tuam meamque cum illo amicitiam Duci perſuaſiſſe fertur, ut exemplum ederetur contra eos, qui ſimili commendatione nituntur.

Rumores, qui ex Gallia Germaniaque terrorem aliquem nobis incuſſere, hactenus vanos fuiſſe comperimus, & ſperamus nos ab exteris hoſtibus tutos hoc anno fore, modo novitas rerum hîc attentatarum nobis non aliquid turbæ concitet, quam tamen ſtudioſe, quoad licebit, omnes fideles Regiæ Majeſtatis miniſtri avertere conabuntur. Bene vale, CL. D. HOPPERE, & conjugem familiamque tuam ex me ſaluta. Bruxellæ. II. Auguſti. CIↃ IↃ LXXI.

Denne-

Digitized by Google

Denneterius noviſſimis literis ad me perſcripſit Regis erga ſe liberalitatem, eamque literis meis ad Majeſtatem ſuam ulterius promoveri deſiderat. Ego vero quæ ad D. T. antea de eo ſcripſi, ſufficere exiſtimo, & tamen non recuſarem hoc officium, ſi D. T. ad ejus promotionem id proficere judicabit. Mihi enim omnino dignus videtur, qui Regia gratia in Majeſtatis ſuæ, Dominationisque veſtræ ſervitio retineatur, ac niſi tempeſtive provideatis, hinc vobis fortaſſis aliquis obtrudetur, qui non æque idoneus erit. Nam hoc agitur, ut Duce iſthuc redeunte, Courtewillio etiam invito aliquis ſurrogetur, qui ipſum fortaſſis magis colet, reſpicietque, quam D. V. ſeſe accommodabit.

EPISTOLA CXLIII.

Occaſione novi Gubernatoris venturi commendat, ut idonei eligantur conſiliarii. Ordini Dominicano ac Franciſcano impenſa a Rege liberalitas. Noircarmius æger corpore & animo, quem, Caſtillumque, commendat. De Scharembergero, Sterckio, aliisque. Mittit placcata ſuper exactione x. denarii, quæ non probat.

CL. D. HOPPERE, literas veſtras VI. Auguſti ſcriptas accepimus, verùm alias avide expectamus, quo de adventu novi Gubernatoris certius aliquid cognoſcamus. Puto autem D. V. cùm in commiſſione ipſius expediendâ occupatam ſe ſcribat, memorem eſſe, quæ aliquando de ſtatu præſentis regiminis ſubindicavi, opusque erit, ut Regia Majeſtas conſiliis, conſiliariisque una provideat. Novit enim D. V. quanta laboremus penuria eorum, qui res eas intelligant, à quibus ſtatus Reſp. dependet. Me vero deinceps in eorum numero habere non debetis, cum quotidie debilior atque ad res gerendas inutilior fiam. Communicarat autem jam pridem mecum Dux de augendo eorum numero, qui Secreti Conſilii negotiis aſſiſtunt, ſed neſcio an ei placeant, quæ ſuggeſſi.

Digitized by Google

Multum gavisus fui de Regiæ Majestatis liberalitate erga Ordinem Dominicanum, Franciscanumque, qui profecto nisi adjuventur prorsus ruent, nec tamen ulli hodie sunt Monachi, qui rem religionis magis sustinuêre, promoverêque. Tibique Ordo uterque gratias agit, qui hanc eorum causam tam fideliter, strenueque adjuveris.

Noircarmius adhuc cum morbo conflictatur, eundemque subinde excruciat, quod super Baillivatu, Præfecturaque Hannoniæ, benignum ab Rege responsum impetrare nequit, cujus causam D. V. etiam atque etiam commendo.

Castilius quoque Doctoris Delryo frater se suamque operam Regi abs te commendari iterum atque iterum rogat.

De Laurentio Scharenbergero, miror te nihil rescribere, cùm tamen Duci suisque aliquid de eo subolevisse intelligam: iidemque hîc Courtewillium permanere desiderant, ac in locum ejus vobis surrogare moliuntur Sterckium quendam, Hontsochii generum, qui ad socrus intercessionem graphiarius Financiarum (Reingotio vitrico succedente in locum Martini van Berge) factus est. Quanquam ego putarim Denneterium nostrum non paulo rectius eo munere functurum, ut alia taceam, quæ D. V. per se intelligit. Nepotem Folcardum viatico abs te instructum hîc brevi expecto, si forte novum Gubernatorem huc adnavigare contingat. Hasce literas in occasionem cursoris dictavi, ne forte celeri ejus abitione præveniar. Quod restat, opto D. T. conjugique, ac toti familiæ fœlicia faustaque omnia. Bruxellæ. XXIII. Augusti. CIↃ IↃ LXXI.

Adjunxi hisce literis placcata nuper hîc publicata super decimi vicesimique denarii collectione, quam semper veriti sumus ne aliquid turbarum in populo nobis excitet: ideoque aliam viam præferri desiderassemus. Sed cùm Dux expressam se de eo Regis ordinationem habere dicat, non potuimus contra fluvium natare. Certe jam multis locis mercatorum operariorumque tabernas concludi, ac de alio eos migrandum cogitare ferunt. Periculum quoque est, ne alterum centesimum denarium populus, ingruente belli necessitate, contribuere recuset, in quo tamen magnam securitatis spem habueramus. Verùm cùm Excellentia sua silentium

nobis

nobis imposuerit (in aurem id tibi dictum velim) si quid adversum acciderit, non prævisum à nobis dici poterit. Datum ut in literis.

EPISTOLA CXLIV.

De impositione x. denarii variæ populi querelæ, unde Albanus mirabiliter turbatur; cui displicet quoque quod Rex de Traj. negotio scripsit. Quamvis a Gubernatorum sententiis numquam fuit appellatum, dubitat, an Dux possit Status Provinciæ privilegiis suis exuere: super quo silendum ei fuit, quòd judicio Vargiano refragari piaculum sit. De Secretariis Hoppero obtrudendis. Novus præses Luxemburgensis.

CL. D. HOPPERE, post novissimas literas meas, quibus abs te acceptis respondi, nihil hîc accidit scriptu dignum, nisi quod populus noster ubique graviter queritur de edicto insolitæ impositionis decimi denarii, in quam plerique se non satis consensisse ajunt, alii verò quòd Regem quotas perlaturum sperabant, refragari contradicereque postulatis noluerint, quæ res & Ducem & subditos mirabiliter turbat. Ac nos certe, qui inter utrumque natamus, optaremus utrique satisfactionem dari, præcavereque, ne majora incommoda inconvenientiaque nobis inde exoriantur. Subodoratus quoque sum, Illustrissimum Ducem non satis contentum esse de eo, quod ab Regia Majestate de Trajectensi negotio scriptum nuper fuit. Ego autem, tametsi non meminerim unquam ab Gubernatorum sententiis ad Regem fuisse appellatum, dubitavi tamen, si Ducis commissio cognitioque eò se extenderet, ut Status Provinciæ exauthorare, privilegiisque suis exuere privareque posset, nisi quod in gratia, condonationeque hoc reservatum comperi, ut si aliqui in Regiam Majestatem peccarint, de abusibus reformationeque privilegiorum, quæ prætendunt, cognoscere possint, aut si ii ei forsitan

sitan contradicerent, auditis partibus justitiam administret. Sed cum hîc nihil communicetur, peneque piaculum fuerit aliquid allegare, quod Vargiano Judicio improbetur, silere præstat : ac sententia adversus Tzommonem nostrum lata, ne alia hîc commemorarem, sat demonstrant, qua integritate hæc judicia peraguntur, Roerdamque audio non tacere quæ ipsi quotidie displicent.

De Secretariis vobis obtrudendis hîc sollicite agitur, quod quidam ideo fieri existimant, ut adveniente successore, ea quæ hîc scribentur, Ducis Albani ministris communicentur. Quod an ita fieri conveniat D. V. melius judicare poterit. Commendo autem D. V. Denneterium, cùm meliorem nanciscì non poteritis, si aut Courtewillius noster reditum suum differet, aut Bertio nostro forsitan, ut in eam conditionem surrogetur, persuaderi non possit.

Vanderanus præses Luxemburgensis (19) commissionem suam accepit, ac mille & ducentos florenos ipsi pro salario pensioneque tribui impetravimus.

Frater meus Gerbrandus huc advenit, filiumque ex Hispania avide expectat, Petro Buygerano ejusque conjuge domi relicta, quòd proxima partui esset. Speroque me primis literis significaturum D. V. quid de procatione nopotis mei Hectoris cum vidua consobrinæ tuæ filia successerit. DEUS OPT. MAX. D. T. conjugemque, cum tota familia incolumem conservet. Bruxellæ. III. Septembris. CIↃ IↃ LXXI.

EPI-

(19) Componitur provinciale Consilium Ducatûs Luxemburgensis & Comitatûs Chinensis ex uno præside Jurisconsulto & Consiliariis togatis ejusdem professionis quinque ordinariis, itemque quatuor aliis ordinariis nobilibus, quos ad differentiam ceterorum, cum brevi toga appellant. *Conseillers de courte robe. Carolus V.* Imp. illud institutt anno 1531. & primum illi præsidem dedit *Nicolaum de Naves* J. U. L. Tabulas institutionis habes in *Miræi opere dipl. Tom. 2. p. 1282. nov. edit. Bertelius in hist. Luxemb.* enumerat præsides alios quinque: *Felicem van Hornunck* & *Joannem Reck* J. U. Doctores; *Petrum Van der Aa*, de quo hîc, *Joannem ab Hatteſtein* dominum in Born, ac *Joannem Benninch* ex Parlamento Mechlinienſi desumptum. *V. catalog. in Suppl. Butkens Tom. 2. p. * 317.*

Digitized by Google

EPISTOLA CXLV.

Liberalitatem a Rege in Collegium ſuum Lovanienſe collatam, non in laborum ſuorum mercedem imputandam cenſet; ceterùm non futurus importunus, nec qui aliis invideat. De Tzommone, & qui eum adjuvêre. Nummi Ariæ Montano a ſe numerati. Reviſio a ſententia Secreti Conſilii prima, intentanda. Novus ſenator in Parlamento Dolano. De viſitatione Burgundica.

LIteras tuas, CL. D. HOPPERE, penultima Auguſti ſcriptas accepi, atque eis conjunctas omnibus, quibus deſtinabantur, reddi curavi. Quod D. V. pollicetur, nihil prætermiſſuram ſe officii, ne ſervitia mea proximis annis cum tanto periculo præſtita, remuneratione careant, magnas D. V. de eo gratias ago. Neque enim quod in Collegium meum Regia Majeſtas contulit, ſic eam accipere exiſtimo, ut ea liberalitate, cujus ipſe gratiam à DEO expectabit, ſimul meorum laborum mercedem concluſerit. Nolo tamen importunior videri, & ſi quid alii uberius conſequentur, non ipſis invidebo, nec Mepſchium de ſuo dono triumphare ægre fero, cui, ubi effectu potitus erit, una gratulabor. Æquiſſimum autem eſt, ut quoque D. V. trituranti os non obturetur.

Tzommo noſter in Friſia lætus agit, verùm omne patrimonium fratri ſororioque, qui ei in longo carcere ſumptus ſuppeditavere, inſolutum ceſſit. Ei vero, qui ſe in ejus cauſa omnem navaſſe operam D. V. ſcripſit, quidam non multum deberi exiſtimant. Quod vero ait multos capite luiſſe, hoc quam juſtum fuerit, tu ipſe, qui eum ex præſumptionibus condemnatum intelligis, melius judicabis. Uxor autem hactenus hîc manſit, expectans novi Gubernatoris adventum, quò illi pro relaxatione Banni confiſcationiſque ſupplicet.

Sexcentos regales nummos Ariæ Montano annumeravi, cuperemque, ſi fortaſſis Dux Medinæ Cœli non veniet, ut

Digitized by Google

aliquam viam inveniatis qua huc nepos Folcardus tuto redire possit. Nam D. T. tamdiu gravem sumptuosumque esse, me fratremque non parum pudet, & jam olim obtuli me paria lubenter cum aliquo ex filiis vestris facturum, cùm occasio dabitur.

De pensionibus quod D. V. scribit, lubenter promovebo, cùm Courtewillius huc redierit: apud quem sunt regiæ omnes literæ, quæ per novissimum cursorem allatæ sunt.

Revisionem in causa (20) Senariæ si admittere volueritis, præstat sane ut pro antiquo aliorum Consiliorum more sententiam Secreti Consilii prius exquiratis: præsertim cùm illa prima futura sit (quod equidem meminerim) quæ solemniter ab ejus Consilii judicio, cujus Gubernator ipse particeps extitit, intentabitur.

Ad dignitatem Ecclesiastici Senatoris in Parlamento Dolano vacantem ex tribus nominatis, inter quos erat Mesmeyus, qui per D. V. commendari petiit, ac Torrius Curator Capellæ Regiæ, Illustrissimus Dux, D. D. B. Fonteine (21) filium D. Mauricii, Præsidis quondam Consilii Status, consobrinumque D. Cardinalis Grandvellani, præcelit.

Blaserius cum Polictonio Media-barba nondum ex Burgundica visitatione rediit, plaustrumque informationum adferre dicitur, quæ nobis non parum, ut vereor, negotii facessent. Quatuor autem Senatores ab ingressu Consilii illic suspenderunt,

(20) *Senariæ*] Quæ hæc sit causa, frustra quæsivi. Suspicor subesse errorem amanuensis, & legendum: in causa *salinaria* vel *salinarum*, nempe in Burgundia, de qua ipse supra sæpe. Sed MS. cum Gabbema convenit.

(21) *D. De Belle Fontaine*] Hic innotescit ex libello: *Tomb. des hom. Illustr. pag.* 33. „ Messire Jacques de S. Mauris, Grand „ Chantre de l'Eglise Metropolitaine de Besancon, Commen„ dataire des Prieurez De Belle Fontaine, S. Nicolas sous „ Valenciennes, & Notre Dame dudit Besancon, fils de Mes„ sire Jean de S. Mauris, Seigneur de Montbarrey, Ambas„ sadeur en France, Président du Conseil d'Estat. Il fust „ pourveu a l'Estat de Maitre des Requêtes de l'Hotel du „ Roy, & Conseiller du Conseil Privé par le Roy Philippe „ II. ayant auparavant esté Conseiller Ecclesiastique en la Cour „ Souveraine du Parlement de Dole. "

Digitized by Google

runt, qui de injuria sibi illata graviter quiritantur. Hasce literas in occasionem cursoris conscripsi, ne forte mihi serius postea admonito tempus scribendi denegetur. Bene vale, HOPPERE CL. cum conjuge omnibusque vobis charis. Bruxellæ. xx. Septembris. CIↃ IↃ LXXI.

EPISTOLA CXLVI.

De novi Gubernatoris adventu, multa certitudo. Expetitur a populo. D. de Champigny non arridet Consilium Justitiæ Antverpiæ institutum, super quo non parvæ difficultates. In Tzommonis causa nihil sperandum sub Albano. Scribit Regi pro Denneterio. Courtewillius incertus, nec Duci gratus ut ante, qui secretarium in Hispania cupit sibi fidum. De pensionibus nihil actum. Trajectenses ac Groningenses metuunt ab Hispano milite. Pestis grassatur. De x denario Statutum populique querela, ac Viglii sententia; ob quam ei infensus Albanus.

CL. D. HOPPERE. Literas D. V. XIV. præteriti mensis die scriptas accepi, expectabamusque, ut per illas de novi Gubernatoris adventu paulo certiores redderemur. Sed video nos adhuc in dubio, quod per totum pene annum suspensos nos tenuit; relinqui: præstiteratque, ut antea aliquando, D. T. scripsi, mutationem Gubernationis celari, quàm tam intempestive publicari. Populus autem noster mirabiliter in desiderium accensus est, ac per eum serenitatem aliquam affulsuram nobis, sperat.

Domino à Champaignii nova Provincia non valde arridet. Quò autem tendat, ut tanta illi soli potestas daretur, multi suspicantur, ut experimentum Correctorum Hispaniensium fieret. Verùm cùm super nova ordinatione (22) Consilii Bra-

(22) *Nova ordinatio*] nempe Consilii Justitiæ Antverpiæ instituti, de quo sup. ad Epist. CXLI.

Digitized by Google

Brabantiæ ſententiam ii, qui eam conceperunt, requirere noluerint, nec ea quoque ſatis ſequi, quæ Secreto Conſilio viſa fuere; non parvæ difficultates poſtea exortæ ſunt.

Sickinga jam pridem à me petiit ut beneficia uberiora, quæ in rotulo habentur, ei ſignificarem; quod non gravate feci, ſed vereor non ſatis ei placiturum, quod multis ſæpe annis expectandum ſcripſerim, cùm vix arbitrer primum ei locum conceſſum iri. Nepotis adverſam valetudinem dolenter intellexi, vobiſque omnibus gratias ago pro curâ ſollicitudineque ei exhibita. Cuperem autem cum bono comitatu eum huc reverti, quando Ducis Medinæ Cœli abitus adhuc in incerto eſt, ante cujus adventum in Tzommonis cauſa nihil quoque fieri poſſe video, cùm non ſit ſpes ut hîc quicquam ſub iſto regimine obtineatur. Et ſi vobis iſthic ſupplicabitur, vereamur, ne aliud impetrare queat, quàm ut ad Ducem pro adviſo remittatur, quod quale futurum ſit, D. V. per ſe intelligere poteſt.

Denneterii noſtri deſiderio rectius ſatisfacere potuiſſem, ſi quam in ſententiam Regi à me ſcribi vobis videretur, ſignificaſſetis, aliquid tamen literarum concepi, quod ſi vobis videbitur, Majeſtati ſuæ exhibere poteritis.

Courtewillius autem videtur mihi nihil certi conſtituturus quamdiu Dux hîc adſit, quòd perſuaſum habeat, illum non cupere ut in Hiſpaniam redeat, ac jam alii ſpem feciſſe dicitur, in ejus locum ſufficiendi quem ſibi magis quàm Courtewillium addictum fore confidit. Nam audio Ducem de priſtinâ erga eum affectione non parum remiſiſſe: quanquam profecto, ſi ejus valetudo ferret, magis ad hoc munus Secretariatus aptum non facile ſitis reperturi. Exiſtimo autem Excellentiam ſuam jam prævidere, cum ſucceſſore non ubique ſibi conventurum, unde referre forſitan putat, habere Secretarium iſthic, qui à ſe dependeat, quique illum, quæ ultro citroque ſcribentur, non celet. Ideoque Denneterium, nobis nimium familiarem ac amicum, loco ſubmovere ſtudebit. Proinde tua quoque referre puto, ut Denneterium retineatis, cum is quem ſubintrudere conantur, rerum omnium ſit adhuc ignarus; nec æquali ſtili elegantia ac facilitate præditus.

Rad-

Digitized by Google

Radbodi (23) effigiem jam bis ad vos miſi, ſperoque poſtremam jam vos accepiſſe.

De literis Cæſaris ad Regem Romanorum Vanderano, Scharenbergeroque mandavi, ut quærerent ea quæ deſideratis, & ubi ea nactus ero, ad D. V. actutum mittam.

De penſionibus nihil adhuc fieri potuit propter Courtewillii abſentiam, qui in Flandriam ob conjugis ægritudinem profectus, jam aliquot diebus abfuit.

Trajectenſes valde ſibi metuunt, ne miles Hiſpanus veterem apud eos ſtationem, hybernaque repetat. Literæque Regiæ plus ponderis hîc haberent ſi Hiſpanica lingua ſcriptæ eſſent. Groningenſes quoque graviter de militari præſidio conqueruntur, à quo liberari ſe ſperant, ſi caſtrum, quod ibi extruitur, ad juſtam munitionem ante hyemem duduci queat. Peſtis apud nos multis in urbibus pagiſque graſſatur, verùm hîc nonnihil ſe remittere cœpit. D. Antonium Mueleneer (24) Conſiliarium Mechlinienſem hiſce diebus amiſimus, ac paulo ante Procurator Generalis Hollandiæ, dum ex Curia domum revertitur, non ſine contagionis ſuſpitione, extinctus fuit.

Status noſtri omnes, poſt publicatum edictum ſuper decimo viceſimoque denario, huc frequentes confluxere, ut Illuſtriſſimo Duci ſupplicarent, quo quotis ſeu alio contributionis genere contentus eſſe velit, cùm omnes prætendant, ſummam Regioni iſti ruinam deſolationemque ex ejus exactione imminere: Ac jam ex ſola edicti publicatione ante executionem multos alió confugere, commertiaque ceſſare, & populum ubique graviſſimas edere querimonias, aſſerant. Verum Dux nihil de ſententia remiſſurus videtur. Cùmque ego forte dixiſſem, in re tanta non malè convenire, ut ejus executio ad breve aliquod tempus ſuſpenderetur, quo interea Regia Majeſtas ea de re certior redderetur, ac de populi querimoniis, Statuumque poſtulatione, plenius informaretur, & quid deſuper fieri vellet, Majeſtas ſua declararet; interea tamen certas ſummas ſeu quotas, ut duobus antea annis factum

(23) *Radbodus*] V. ſup ad Epiſt. CIX.

(24) *Antonius Mueleneer*] Succeſſor Viglii anno 1548. *Butkens Suppl. Tom.* 2. *p.* 318.

Digitized by Google

ctum est, singulæ Provinciæ, ne quid detrimenti ex mora Majestas sua caperet, persolverent: id ægerrime Excellentia sua tulit, etsi ei sententiæ cæteri, qui in Consilio aderant, quoque adstipulabantur.

Quoniam autem vereor ne ob eam rem me forte apud Regiam Majestatem fugillet, te etiam atque etiam rogo, ut si quid tale intelligas, meo nomine Majestati suæ supplices, ne quam siniſtram de me opinionem contra inauditum induat. Fuit enim semper in Consilio liberum sententias suas proferre, citra aliquam Gubernatoris seu cujuslibet alterius indignationem. Et quanquam non ignorem ejus authoritatem, tamen cùm omnes in Consilio ab ejus sententia abhorrerent, Statusque omnes enixe idem deprecarentur, populumque, cujus vox, DEI vox est, tumultuari vererentur, non inconsulto mihi visum fuit, ut hoc casu Rex, cujus suprema est authoritas, consuleretur. Bene vale, CL. D. HOPPERE, conjugique ac toti familiæ plurimam quæso ex me salutem dicas. Bruxellæ. Postridie Cal. Octobris. CIↃ IↃ LXXI.

EPISTOLA CXLVII.

Albanus super x. denario persistit in sententia, moderationes interim offerens. Consilii privati super eo supplicatio, pro qua, & pro se quoque, Hopperi apud Regem patrocinium petit.

CL. D. HOPPERE. Secunda hujus mensis die ad D. T. novissime scripsi, postque illud tempus nihil hîc magnopere scriptu dignum accidit.

Status, qui de decimo denario gravissimas querelas Duci obtulere, nondum hinc dimissi sunt, quanquam, quantum intelligere possumus, Illustrissimus Dux noster, nullo pacto se ab proposito diverti sinet, speratque se aliqua ampliore moderatione illorum querimonias mitigaturum esse: verùm valde vereor, ne ea contenti sint futuri, cùm tam evidentia sint damna, quæ inde his Provinciis imminent, ac nos quidem illi scripto supplicavimus, ut quoad usque Regia Majestas plene informaretur, dilationem concederet, intereaque quotas

Digitized by Google

quotas pro rata perciperet. Verùm ille nobis reſpondit, de omnibus Regiam Majeſtatem à ſe plene informatam, & ſibi mandatum, ut ipſam in juris collectandi decimi denarii, ex conſenſu Statuum acquiſiti, poſſeſſionem ſine ulteriore diſputatione ponat. Quod nos quidem credere debemus, quanquam nullam ejus literam hactenus viderimus, arbitranturque nonnulli, eum largius Regi ſuper dicti decimi denarii conſenſu ſcripſiſſe, quàm nunc Status agnoſcere velint; multa interim interveniſſe prætendunt, quæ, ſi in judiciali foro ventilarentur, dubium eorum conſenſum (ſi fas eſt dicere) redditura eſſent. Quæ cùm à vobis conſiderata fuerint, magnamque calamitatem ex ejus exactione exorituram vereamur, non ſine cauſa viſum nobis fuit, rem Regiæ Majeſtati exponere totam, priuſquam ad executionem procederetur. Sed cum Excellentiæ ſuæ ſententia noſtra non placuerit, periculum quod timetur, ſubire, populique clamorem una ſuſtinere, cogimur. Cùm autem aliunde hac de re quærelas ad Regiæ Majeſtatis aures perventuras non dubitamus, nihil nobis ſuam Majeſtatem imputaturam confidimus, ſi forte res aliter ceciderit.

Quemadmodum ſi ex Ducis relatione nos non ſatis fortiter opinionem ſuam Regia Majeſtas ſuſtinuiſſe intelligat, nos nulla habita voluntatis ſuæ ſignificatione, quod prius illam conſulere voluerimus, quam in aliquod periculum Provinciam noſtram adduceremus, nobis veniam eandem daturam ſperamus, & ut Majeſtas ſua in bonam partem conſilium noſtrum interpretetur, patrocinium veſtrum enixe imploramus. Bene vale, HOPPERE CL. ac conjugem totamque familiam à me amanter ſaluta. Bruxellæ. xv. Octobr. CIↃ IↃ LXXI.

EPISTOLA CXLVIII.

Penſiones imponendæ Abbatiis Viconienſi & S. Eligii prope Atrebatum. Dux Medinæ Cœli in itinere. Vigilius laborat ex pedibus.

CL. D. HOPPERE, de inſcriptionibus literarum Cæſaris Caroli ad Ferdinandum fratrem, diligentur inquiſivi, verùm

Digitized by Google

verùm non aliud expiſcari potui, quam quod ab Scharenbergero, Vanderanoque relatum literis adjunxi.

Courtewillius ex Flandria huc rediit ac Abbatem Viconienſem, ſanctique Eligii prope Atrebatum (25) huc evocabimus, ut de penſionibus, quod Rex juſſit, illis exponamus; videturque mihi van Loo aliam occaſionem præſtolari malle, quò filio ejus paulo plenius provideatur. Itaque penſiones in illos diſtribuemus, quos D. V. literæ continent.

Cùm jam Dux Medinæ Cœli ex Curia diſceſſiſſe feratur, Æolum, Neptunumque illi propitios precamur, optaremque nepotem meum, ſi vires ferre poterunt, huc tempeſtive advenire, quò inter primos eſſe queat, qui ſe novi Gubernatoris ſervitio adjungent. Malum quo diu ex pedibus laboravi, quotidie magis ac magis aggraveſcit, impedimentoque eſt, ut Curiam, ut ſoleo, frequentare amplius poſſim; ſperoque Regem de iis Conſiliariis providiſſe, quorum miniſterio novus Gubernator uti poſſit, nam in me quidem ſiculneum erit præſidium. Bene vale, HOPPERE CL. ac conjugem à me amanter ſaluta. Bruxellæ. XV. Octobr. CIↃ IↃ LXXI.

EPISTOLA CXLIX.

Ducis Albani metus, ob rejectas Statuum de x. den. preces. Præſidium Trajecti, cujus urbis nomine querelæ apud Regem oblatæ. Langii Secretarii obitus.

CL. D. HOPPERE, præterito menſe aliquoties ad te ſcripſi, verùm intellexi, literas meas aliquandiu hîc detenten-

(25) *Abbatem Viconienſem &c.*] Viconia (*Vicogne*) S. Sebaſtiani olim *Caſa Dei*, Ordinis Præmonſtratenſis, pulcherrimum eſt cœnobium juxta Valencenas. Mons S. Eligii (*Mont St. Eloy lez Arras*) eſt Monaſterium Ordinis S. Auguſtini Canonicorum regularium, Atrebato duobus ad Aquilonem paſſuum millibus diſtans, quod nomen ſumpſit a ſacello quod *S. Eligius* Noviomenſis Epiſcopus a ſe conſtructum valde frequentabat. *V. Gall. Chriſt. Tom. 3. novæ edit. col. 460. & 425.*

Digitized by Google

tentas fuisse, ut tibi eas in tempore non redditas metuam. Abs te autem nullas post XIV. Septembris scriptas accepi. Ducem nostrum, qui Statuum supplices preces de decimi denarii remissione non admisit, nonnullus angit metus, ne inde aliquæ oriantur turbæ; potissimum autem, ne vicini, ob exacerbatos subditorum animos, occasionem aliquam nos infestandi arripiant, magnopereque nostri adventum novi Gubernatoris expectant, quem ipsorum querelas benignioribus auribus auditurum sperant.

Trajectum octo vexilla Hispanorum remissa sunt, nec parum Ducis, Vargæque animum exacerbaverunt querelæ, quæ isthic Regi nomine ipsorum oblatæ fuere. Nescio autem, an ad Majestatis suæ literas hinc aliquid respondebitur.

Hector nepos meus Consiliarius in Senatu Frisiæ, tandem procationis suæ desideratum consecutus est successum, ac ad D. Martini festum cum cognata tua Bugyrana vidua N. ab Gratinga nuptias celebrare constitutum est, quibus ego tecum interesse magnopere desiderarem.

Langius Secretarius superioribus diebus ex hac (26) vita migravit, cujus animæ æternam quietem precor, deque ejus, uti amici familiarissimi amissione, multum certe dolui.

Nepotem meum Folcardum convaluisse perquam lubenter audivi, ac aliqui hîc nobis eum in itinere esse annuntiaverunt, quod si ita sit, incolumem brevi hîc eum adfore desidero. Bene vale, HOPPERE CL. ac conjugi tuæ à me salutem dicas. Bruxellæ. III. Novembr. CIↃ IↃ LXXI.

EPISTOLA CL.

Commendat Hopperò causam episcopi Brugensis.

CL. D. HOPPERE, quid Reverendissimus Episcopus Brugensis (27) hisce diebus à me postulavit, quidque ei responderim, ex adjunctis literarum exemplis D. V. cognoscere

(26) *Langius*) „ Jean de Langhe fut Secretaire du Conseil „ privé l'an 1553. Signa encore l'an 1557." *Suppl. Butkens. Tom.* I. *p.* 190. **

(27) *Episcopus Brugensis*) Remigius Druitius.

Digitized by Google

gnoscere, quæso, ne gravetur. Cui equidem lubentissimè gratificari ipse desiderarem, verùm cùm non satis de prætenso ipsius jure edoctus essem, nec quid ex adverso allegaretur, satis scirem, non ausus fui me latius extendere. Sed cùm D. V. cognitum esse non dubitem, qualiter ejus querimoniæ fundatæ sint, eandem enixe rogo, ut jus ejus, quoad queat, tueatur, votique, si fieri poterit, compotem eum reddat. DEUS D. V. incolumem custodiat. Bruxellæ. Cal. Decembr. CIↃ IↃ LXXI.

(1) EPISTOLA CLI.

Inedita

Angitur ob non acceptas ab Hoppero literas de nepotis reconvalescentia, cujus obitum ex Cardinalis Granvellani literis intelligit; dolente se, sed inprimis parente, de hæredis bonorum Zuichemensium amissione. Solatium capit ex Dei voluntate & ex numerosa alterius fratris prole, quorum fortunam exponit. Gratias agit pro officio morienti impenso, ac sumptus offert. Aggæus Herbipoli, & Tzommo in Frisia. De Denneterio in Secretarium retinendo.

CLARISS. D. HOPPERE. Hesterna die primum accepi literas D. V. XIIII. præteriti mensis die datas. Ac profecto tarditas, expectatioque literarum vestrarum valde me perplexum habuit, ut de reconvalescentia nepotis, quem postremis graviter decumbere significabatis, cùm parens ejus ex Frisia me hîc invisisset, certiores redderemur: qui cùm meliorem nuncium diu expectasset, tandem, ingruente hyeme, domum rediit. Post ejus verò discessum literas ab Illmo. Dno.

(1) Hæc epistola ex Cod. nostro desumpta, abest ab editione Gabbemæ.

Digitized by Google

Dno. Cardinale Granvellano accepi, quibus mihi tristissimum casum, obitumque nepotis significavit, quem ego arbitrabar me non ex Neapoli ab illo, verùm a vobis prius intellecturum. Ego autem tametsi juvenem amabam, multisque sumptibus eum hactenus enutrieram, & secundum hæredem bonorum Zoichemensium (a patentis morte) eundem constitueram, non tamen ejus amissio tanto me dolore affecit, quanto fratrem, qui illum unicum habebat filium in quo senectutis suæ solatium constituerat. Uterque autem votis nostris decepti sumus, quod æquo animo ferre cogimur, postquam ita Deo placuit. Et fortassis illi melius fuerit, in hac innocentia, vivendi finem fecisse, quàm si multis malis obnoxiam vitam longius produxisset. Me verò consolatur, quod quinque adhuc ex fratre meo Serapione supersunt nepotes, quorum duo primi Ecclesiastici sunt ordinis, ac Bucho (2) Senior, jam pridem ex Italia rediens Gandavum secessit, ibique residentiam (3) ut ajunt, inchoavit. Alter Volcardus Canonicus Atrebatensis ibidem Officialis (4) munere pro Episcopo fungitur. Ex Secularibus autem succedit Hector (5) qui prima Dominica Novembris nuptias cum Bugyrana cognata tua celebravit. Acciditque ut eodem tempore Jaquelina Petri uxor filium apud Snecam pepererit, quod nuptiis impedimenti aliquid præbuit, ac Hector eò profectus, ut eo nomine puerum de sacro fonte levaret, Rintzii nomen cognationi vestræ * inseruit: migravitque cum nova conjuge in ædes meas Leovardienses, (Igramo (6) se

* *Supple*: familiare, *aut quid simile.*

(2) *Bucho*] Aytta, Coadjutor Viglii anno 1576. Obiit præpositus Gandavensis anno 1599. die Ult. Octobr. *Gall. Christ. Tom 5. col. 169.*

(3) *Residentia*] id est, assidua commoratio beneficiati apud Ecclesiam in qua beneficium obtinet, & ad quam jure Canonico tenetur sub pœna privationis beneficii. Hodie utimur jure novo Concilii Tridentini, & pro stricta, ut vocant, residentia diversus est Ecclesiarum usus ac consuetudo.

(4) *Officialis*] qui exercet Episcopi jurisdictionem contentiosam.

(5) *Hector*] Aytta Consiliarius in Senatu Frisiæ.

(6) *Igramo*] Van Achelen præside Senatus Frisiæ.

Digitized by Google

se in vicinam domum Cancellariæ (quæ ad eam perfectionem deducta est, ut Senatus ibi habeatur) recipiente: ac in ipso, cùm sit Senior Aytanorum secularium, spes aliqua familiæ nobis consistit, si secundum modo hoc erit matrimonium. Mihi autem plurimùm dolet, quod hac molestia familiam vestram affecerit, Dominationique T. ac conjugi, cæterisque, qui ei ægrotanti, morientique adstitistis, ac extremum officium tam honorifice impendistis, non possumus ego & frater pro meritis sat dignas agere gratias. Denneterius de debitis ab eo contractis, funerisque expensis ad me quædam perscripsit. Verùm in iis annotatum non video quæ D. T. debet, quòd eum supra biennium (ni fallor) mensa tua dignatus fueris: quæ equidem libentissime refundam, cùm ipsum mors prævenerit, ut gratias ipse agere, referreque non potuerit. Quæso itaque, mi HOPPERE, ut te non pudeat quod æquum est a me accipere, cùm mihi, ut par in tuos excerceam, occasio non offeratur. Denneterio autem respondi, & literas eum D. T. communicare jussi, ex cujus sententia omnia eum fa..... D. Aggæus Weisburgum sive Herbipolim migravit. accepta apud Episcopum Consiliarii conditione satis luculenta, quæ mihi displicere non potuit, nisi quod timeam ne veterem de religione errorem excutere nondum possit. Mitto autem ad te noviſſimam ejus epistolam, quæ tibi, si aliquid ad eum scribere voles, argumentum suppeditare poterit. Tzommo in Frisia se continet, & si advenientibus Syndicatoribus obtineri poterit, ut ipse in persona causam suam prosequatur, forte detegere poterit passiones quæ Vargam in ejusmodi sententiam adduxerint, quas potissimum exortas ex eo ferunt, quòd Hispanum ab Tzommone aliquando punitum, ac in ejus officium intrusum, in eodem manutenere voluerit: ac deinde quod Regi supplicatum fuerit; quod D. T. mihique imputavit. Denneterii nostri causam, dum recens Regis est memoria, rogo ut promoveas, ac ferrum dum calidum est, cudas, antequam is adveniat qui evertere studebit quidquid nos construximus. His bene vale, Clarissime Dne. HOPPERE, ac aliàs de aliis. Bruxellæ. III. Decembris MDLXXI.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CLII.

Non ad ſe pertinere ſcribit, quod ad negotia, quæ ex Hiſpania mittuntur in Belgium, non reſponderi queratur Hopperus. Negotia Conſilii Status, fere tractat Albernotius, alii alia. Trajectenſium querelæ ex Vargæ arbitrio pendent. Penſiones acceptatæ ab Abbatibus. De viſitatione Burgundica. Quæ de x. denario ſcripſit, Rex in bonam partem accepit. Dux ejus executionem fruſtra urget. De rebus Anglicis, & Colonienſis Univerſitatis ſupplicatione. Comes Culemburgius hac urbe pulſus. De Deynio, Marco Duce, Joanne Hallio & Jacobo Daventrienſi. De Regia remuneratione diffidit ob Albanum.

QUod iſthic miramini, CL. D. HOPPERE, tot ac tanta negotia, quæ inde ad nos mittuntur omnia fere magni momenti ad nullum tamen reſponderi, non ad me pertinere puto, ſed ad eos quibus ea per Illuſtriſſimum Ducem committuntur diſtribuunturque. Magna enim pars eorum relegatur ad Conſilium, quod vocant turbarum quod ſub titulo confiſcationum cognitionumque criminalium, potiorem partem ad ſe trahit, atque ad illud forum Illuſtriſſimus Dux omnes Trajectenſes, ſimilesque quærelas & literas rejicit. Nec ſatis æquo animo fert Vargas ad Regem recurri de iis, quæ ad ipſius cognitionem pertinent. Pars altera negotiorum de quibus Regia Majeſtas huc ſcribit ad Secretum Conſilium pertinet, cui ut ſcis Præſes Tyſenachius præſidet, quem lubenter commonebo ut officio ſuo in reſpondendo ſatisfaciat. Tertio loco multa Financias concernunt quæ mihi quoque non communicantur.

Quartum autem negotiorum genus ad Conſilium Status pertinet, quod quo loco ſit, antea tibi (niſi fallor) aliquid ſcripſi, & ea fere per Albernotium tractantur, ac in lingua

Digitized by Google

Hiſpanica expediuntur, quæ raro ad noſtram notitiam perveniunt.

Sunt poſtremo alia quædam quæ Excellentia ſua Courtewillio referenda committit, videlicet quæ ad beneficia officiaque pertinent, apud quem & literæ hujuſmodi hærent. Is autem majore ex parte temporis cum morbo podragaque conflictatur, nec ſemper Duci eorum relationem audire vacat, cui ego tamen præſto ſum ſemper, quandocumque mea opera Conſiliumque requiritur. In cæteris, Catonis ſententiam ſequor, ut ad conſilium non accedam, niſi vocatus. Taceo autem alia impedimenta, quæ D. T. per ſe ex hominum rerumque qualitate ſatis colligere poteſt, quibus remedium non adhibetur, quamdiu ordo antiquitus obſervari ſolitus, reſtitutus non fuerit. Me autem ſemper excuſatum vobis cupio, cum neque manus, neque pedes officium faciant, & ut conſilio non multum valeo, ita actionibus multo minus. Et ex ſupradicta diſtinctione facile exiſtimari poteſt quantula ſunt, quæ meum officium concernant.

Quæ Trajectenſes conqueruntur de aggerum pontium, itinerumque reparatione, ea ex Vargæ arbitrio potiſſimum pendent; nec quicquam eorum, quæ ad bona confiſcata quomodolibet pertinent, à quoquam tractari permittit.

Penſiones uti D. V. deſideravit, ab Abbatibus acceptatæ ſunt, præter eam quam Langio Rex conceſſerat, cujus conſtitutionem mors ejus prevenit. Eam tamen Dux reſervavit ad utilitatem ejus, cui Regia Majeſtas concedet, de qua aliquid ad ipſam perſcriptum Courtewillius mihi retulit.

Blaſerius à viſitatione Burgundica jam pridem rediit plauſtrum informationum referens, quæ Conſilio noſtro negotium faceſſent, ac omnia præparatoria eſſe intelligo: accurruntque multi, qui ad purgationem, atque ad contrarias probationes admitti ſe poſtulant. Ex quibus ſunt nonnulli Senatores Parlamenti Dolani ab ingreſſu Senatus ſuſpenſi, de quorum cauſa, quantum potero, promovebo, ut quàm primum cognoſcatur.

Literas vero, quas ad Blaſerium, Boulinumque tuo faſciculo incluſas inveni, nunciis, qui oblati fuerunt, in Burgundiam perferendas dedi.

Dux

Digitized by Google

Dux autem super literis Regiis eos concernentibus, resolutionem in eorum reditum differendum censuit, providens interea de ipsorum viatico ad bonum, ut dicitur, computum.

Valde gavisus sum quod ea quæ ad te de decimi denarii quæstione scripsi, in bonam partem Rex acceperit. Dux autem quantum potest ejus executionem urgere pergit, missis ad Status civitatesque gravibus mandatis & commissariis, qui inquirant per quos stet, quo minus ipsis pareatur, verùm parum promovetur. Vereor autem ne in nervum aliquem arcus nimium tensus erumpat, nisi inde ad nos aliquid remedii adferatur; & in spem populus erigi cepit ad nuncium advenientis novi Gubernatoris.

In Angliam ante aliquot dies Thomas Flifcus mercator Genuensis ab Duce missus est, ut super restitutione mercium retentarum cum Regina transigat: indigna sane sunt quæ patimur, &, si Medinensem advenire Regina intelligat, verendum est, ne rem eo usque differat, cùm Ducem Albanum Vatiniano odio prosequatur, uti & D. Geraldum Oratorem. Colonienſis Universitas supplicationem suam D. V. etiam atque etiam commendat, super qua sententiam meam aliquando perscripsi. Ab Excellentia autem sua nihil mitius quàm antea est expectandum.

Nunciatum autem nobis est Culenburgium urbe ibi ejectum, & complures hæreticos una cum Concionatore in carceres ab Senatu conjectos.

Deynius (7) Præsidis Nicolai quondam gener ac Consiliarius Mechlinienſis suam supplicationem D. T. à me commendari petiit, & est sane in ea fortuna constitutus, ut sine subsidio rem familiarem dignitatemque senatoriam tueri ægre possit. De officiis, de quorum vacatione antea scripsi, nihil Dux statuit, neque etiam de Abbatiis, inter quas est Vlierbacensis, (8) defuncto eo qui te hîc præsente creatus fuit, quicquam adhuc Dux resolvit. Tui

(7) *Deynius*] Messire Thiery Deyn, Chevalier, succeda à Messire François Cranevelt par lettres patentes du 4 Novembre 1564. *Butkens Suppl. Tom. 2. p. * 315.*

(8) *Abbas Vlierbacensis*] Joannes Hauterus, Affligenienſis cœnobita, successorem accepit *Petrum Coels*, dictum *Glymes*. Vlierbacum est Ordinis S. Benedicti monasterium dimidio fere milliario a muris Lovanienſibus.

Digitized by Google

Tui autem affinis Marci Ducis (9) lubenter rationem quam potero habebo, ſed non multum ſperare audeo ſub Duce Albano.

Joannes Hallius jam dudum Hiſpaniæ viſendæ cupiditate ducitur, quod iter quantum poſſum ei diſſuadeo, veritus ne homines ſuſpicentur me authore iſthuc eum ire, cum non dubitem magnas variaſqae eum ad Regem perlaturum eſſe querimonias.

Jacobus Daventrienſis opus ſuum tandem perfecit, ac huc advenit, quò illuminatione illud exornet.

De remuneratione Regia quid nobis expectandum ſit, ſi ex Ducis arbitrio ea diſtribuetur, non ſatis video. Erga me enim propter ſententiam decimi denarii, non ut antea afficitur, & neſcio an ea quæ D. V. dirigente in cauſa Trajectenſi aliorumque huc ſcribuntur, ſatis illi placeant. Bruxellæ. VIII. Decembris. CIↃ IↃ LXXI.

EPISTOLA CLIII.

De literis ad Imperatorem aliosque Principes ſcribendis ſuper ſurrogatione novi Gubernatoris. De ſale Hiſpanico, Gallico ac Portugalenſi. Dux Holſatiæ mari præficiendus. An cum effectu? Germani quare non faveant Regis cauſæ?

QUoniam, CL. D. HOPPERE, ſuper quibuſdam articulis Rex meam ſententiam, uti literæ D. V. continent, requirit, paucis lubenter dicam quod ſenſero. Imprimis quomodo de ſurrogatione Ducis Medinæ Cœli in regimen hujus Provinciæ, ad Imperatorem cæteroſque Principes Imperii ſcribendum videatur, cum Scharenbergero contuli, formulamque quandam ejus, à nobis conceptam, hiſce junxi, unà cum declaratione eorum ad quos nobis ſcribendum eſſe videatur. Quæ deinde ipſis Regentibus Gubernatoribuſque honora-

(9) *Marci Ducis*] De Marco de Hertoghe V. inf. ad Epiſt. CCXXXIII.

Digitized by Google

noraria sive ordinaria sive extraordinaria data fuisse memini, conjuncta schedula declarabit.

Quod ad novas Impositiones, quæ à mercatoribus nostris salem ex Hispania petentibus exolvendæ sunt, pertinet, jam antea divineramus prædixeramusque, id quod accidit. Ut scilicet propter vectigal insolitum ac nimis grave, nostri mercatores inde averterentur, ac aliunde sibi providerent. Proximum autem emporium salis crudi in Gallia apud Rupellam est, & quanquam is non ita acris est, neque tantum in purgando, sive ut nostri dicunt, finando, substantiæ præbeat, ejus tamen diminutionem facile compensat itineris brevitas, preciique vilitas. Post Gallicum salem, Portugalensis habetur, melior Gallico, sed minus tamen bonus quàm Hispanicus, quo hodie fere nostri mercatores naves suas onerant, ab Andolosio abstinentes propter vectigalium gravitatem, quibus sublatis plærique ad vetera emporia non illubenter redibunt, si de eo sufficienter certiorati fuerint. Quoniam autem privatis literis meis forsitan non satis credere volent, præstaret inde aliquod documentum ab Regia Majestate expediri, quo plenior illis fides fieret. Interea autem non omittam meis literis, Amsterodamensibus aliisque, quos ea res concernit, id quod D. V. ad me scripsit, significare.

De præfectura maris Duci Holsatiæ committenda, quidnam Illustrissimum Ducem Albæ moverit, jam antea Regem per ejus literas intellexisse puto. Sed nescio an ita plene Hispanicus Secretarius reddiderit, quæ à nobis lingua Gallica fuere concepta. Scriptum autem hisce adjunctum ac ab Scharenbergero conceptum, plenius quæ acta in ea causa fuere, explicabit. Non fuit autem visum nobis Regiæ Majestati aliquod præjudicium generari. Et si nobis communis maris littorumque Provinciæ nostræ major cura fuisset, non in tam multa damna, ne dicam ignominiam, Provinciæ nostræ incurrissent. Verùm non arbitror, hoc quod proposuit de Duce Holsatiæ, effectum unquam sortiturum, cùm Germani populique sub Imperio, qui ad nostrum mare habitant, nimis à nobis alienatis sint animis, cùm ipsi fere hæresi sint infecti; piratisque proscriptisque à nostris Provinciis ob eandem causam favere non desinunt, & in sum-

Digitized by Google

ptus ad eos junctis viribus propellendos, vix consentire volent. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. XI. Decembris. CIↃ IↃ LXXI.

EPISTOLA CLIV.

De Regio puero nato gaudet, votaque facit. Populus non lætatur, quod x. den. exactio continuetur. Dux frustra moderationes promittit, dum Status consensum se præbuisse negant. Consilium suum ut Rex sequatur, inculcat. Nihil auxilii a populo expectandum si bellum ingruat. Condonationem Regiam expetit, & carcerum supplicio-rumque finem faciendum censet. Status decreverunt ad Regem mittere deprecatum x. den. exactionem, Duce obnitente, allegatoque Regis sententiam ad se perscriptam, de qua dubitat Viglius, super hac materia non scripturus amplius.

CL. D. HOPPERE, hodie, hoc est die Sancto Thomæ sacro, literas D. V. nunciumque de fælici partu sereniſſimæ Reginæ accepimus, justiſſimaque lætitiæ causa cunctis subditis, atque erga Regiæ Majestatis familiam bene affectis, præbita est. DEUMque OPT. MAX. merito precari debemus, ut hunc partum plures alii eadem fælicitate subsequantur, ac Regi pueroque concedat, ut tamdiu saltem patrem superstitem habeamus, quo ad Gubernacula Regni suscipienda filius aptus erit. Verùm adeo populum nostrum contristat perturbatque decimi denarii exactio, & metus, ne in graves tumultus cædesque res exeat, ut in populi cordibus nullus lætitiæ locus relinquatur. Dux autem ut hæc amoliatur, promittit se omnia gravamina temperaturum, si prius Rex in possessione ejus juris confirmetur. Verùm hoc aliò tendere suspicantur, nec ullis pollicitationibus moderationum, ampliùs commoveri se sinunt. Ac consensûs fundamentum, quo hæc exactio nititur, variis allegationibus omnes

pene

Digitized by Google

pene Status subvertere conantur: quæ te propter periculi magnitudinem celare nolui, rogans ut in consiliis vestris super directione rerum tanti momenti, ratio ishhic aliqua habeatur. Non dubito autem Ducem fortiter suam apud Regiam Majestatem sententiam tueri, sed si Majestas sua, quæ per Status hîc quotidie exhibentur, cognosceret, alterique parti alteram aurem præberet, & consilium nostrum, quod ex supplicatione Excellentiæ suæ jamdudum exhibita & ad D. T. per me transmissa, satis colligi potest, forte non respueret, ac quotas rantisper admitteret, donec de decimi denarii prosecutione, cognitis omnibus circumstantiis, maturius pleniusque deliberaret. Pecunia aliqua saltem in stipendia militum interea submministraretur, & ab præsenti rerum discrimine liberaremur. Loquor autem liberius apud D. T. quam cautelam adhibituram non dubito, ne inde mihi Ducis indignatio augeatur, vel Rex alloquium ea interpretetur. Increbuerat hîc nuper falsus rumor Ducem Medinensem in Zelandiam appulisse, unde incredibilem populus lætitiam concepit. Verùm si is, quæ per Ducem nostrum cœpta sunt, prosequi debeat, haud magnum de ejus adventu gaudium populo erit. Et si Galli aliique vicini, quorum ligæ foederaque jactantur, exulesque nostri ac Hugenotti cum Geusiis, incitante Turca, aliquid moliri tentabunt, cogitari facile potest, quid auxilii à nostro populo sic affecto exulceratoque expectandum erit. De gratia verò, quod secundis literis scribis, non possumus non Regiam clementiam laudare, atque cùm carceres nostri pleni sint captivis, qui concionibus turbulento tempore interfuerunt, gratiamque superiori anno publicatam neglexere, quorum aliquam condonationem generalem Dux noster meditabatur, forte Regiæ Majestatis literæ ejus propositum incitabunt, ac profecto, cùm tandem carcerum suppliciorumque finem facere conveniat, tum hæc mihi occasio optima videtur. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ. XXI. Decembr. CIↃ IↃ LXXI.

Huic epistolæ à me dictatæ hoc mihi, HOPPERE, adjicere visum est, quod cùm hodie apud Ducem referretur Statuum Brabantiæ supplicatio pro decimi denarii deprecatione, fream impetrare hic non possent, decrevisse ad Regem mittere, de cujus benignitate sibi promittebant, non passurum

Digitized by Google

eum tantam ruinam, quanta ex prædicta exactione videbant Patriæ imminere, ſed potius Reip. ſalutem prælaturum, ac in veterem ſtatum eam reſtituturum, ita multa in contrarium ille allegavit, & ab Rege reſolutum & ad ſe perſcriptum dixit. Si eam Majeſtatis ſuæ ſententiam intelligerem, quod ad me equidem pertinet, verbum non amplius adderem, & ſuo marte rem decurrere ſinerem. Quanquam enim difficile eſt, communi omnium Provincialium opinioni reluctari, alia tamen ex parte contra Regis ſententiam conteſtari, minime convenire cenſeo. Verùm hujus voluntatis ſuæ miniſtros, ipſoſque denique Status, ſibi hactenus devotiſſimos, certiores fieri expediret, ne ſi quid ſiniſtri ac præter opinionem acciderit, imputari eis poſſit. Ego autem DEO hanc rem committens amplius ſuper hac materia quicquam ſcribere non decrevi, te etiam atque etiam rogans, ut quæ antea confidenter ad D. V. ſcripſi, ea ne mihi fraudi ſint, operam dare velit. Iterum vale, datum ut ſupra.

EPISTOLA CLV.

Rembertus Dodoneus medicus videtur in Hiſpaniam iturus. Res Hollandicæ non ex voto. Scriptum pro juſtificatione Regis adverſus turbarum authores a ſe & Tyſenachio examinatum. Albanus Neomagi agit, Dux Med. Cœli Buſcoducis; inter quos non ſatis convenit. Tres Friſiæ Civitates ab Albano mœnibus exui juſſæ; quod Viglius improbat. Damnum urbis Lovanienſis ex aquarum inundatione.

CL. D. HOPPERÆ, proximis hiſce diebus literas accepi ab Urdio noſtro, quibus junctæ erant aliæ, quas ad te mitto, & ejuſdem argumenti eſſe reor, nec multum mihi aberrare à ſcopo videtur, cùm (10) Reip. noſtræ ſtatum ac remedia diſcurrit. Junxi quoque literas Remberti Dodonei, vide-

(10) *Addes* circa, *vel* ſuper.

Digitized by Google

videturque facile posse perpelli, ut ad vos commigret, si paulo liberiores in eum eritis, & sane ope vestra indigere videtur; qui naufragium Mechliniæ passus fuit.

Res hactenus in Hollandia non satis ex animi nostri sententia votoque succedere, & plerique culpam rejiciunt in nimiam severitatem illorum, qui rebus præsunt, nec dubitant, si ea, remissa executioni demandata fuissent, quæ jam pridem ab Regia Majestate perscripta fuerant, quin omnia & facile & cito confici potuissent. Miserat autem Illustrissimus Dux ad Præsidem Tysenachium, ac me, superiore mense, scriptum ex Hispania ad se allatum, super justificatione Regis adversus harum turbarum authores. Verùm quid nos illi responderimus, ex exemplo literarum nostrarum cognosces, super quibus ulteriorem Excellentiæ suæ jussionem expectamus. Agit autem ille adhuc Neomagi, non satis firma valetudine præditus, ac Medinensis apud Buscoducenses delitescit, cum de rerum gerendarum consiliis non satis inter eos conveniat. Ante triduum nos hic invisit M. Idzardus à Sickinga, triumque civitatum nostrarum, quas mœnibus fossisque exul Dux jussit, querimoniam deferens, meamque opem implorans, quem ad te quoque eadem de re scripturum existimo. Nec scio sane quid nostræ civitates plus cæteris aliarum regionum peccarint, quæ ab Geusiis oppressæ, in libertatem sese inter primas vendicavere. Minusque in Frisia id fieri convenit, cujus eum scis esse situm, ut præsidiis earum civitatum, qui ruri fere habitant, destituti, piratarum quotidianis incursionibus, deprædationibusque exponerentur. Neque Catonis Majoris exemplum; qui Proconsulem apud Hispanos agens, tam multas, authore Plutarcho, urbes mœnibus ibi denudavit ab Historiarum scriptoribus commendari percipere potui. Quis autem præsens Frisiæ status sit, ipse plenius ad D. T. perscriber. Rebellium autem profugorumque præcipuorum nomina ex schedula hisce conjuncta D. V. cognoscet. Rollemam quoque ajunt cum conjuge ac liberis Emdam profugisse.

Bonnii Consiliarii filius ipse quoque ejusdem Senatus collega, hisce diebus cum Heetveldii Secretarii Lovanienſis filia bene dotata nuptias celebravit. Verùm sub idem tempus incredibile damnum urbs Lovanienſis accepit ex aquarum in-

Digitized by Google

undatione, quo potissimum affecti sunt, qui ad Dilam habitant. Hæc habui quæ D. T. impræsentiarum significari volui, cursoris occasionem expectans. Bene vale, HOPPERE CL. & conjugem liberosque à me quæso plurimum saluta. Bruxellæ. XIII. Januarii. CIↃ ƆↃ LXXII.

EPISTOLA CLVI.

De deditione arcis Gaudanæ, ab Hopperi genero factâ, cui, exemplo Ritzconis ab Unya (qui ob arcis Gelmudanæ deditionem carceri mancipatus est) suadet, ne ad pristinam præfecturam restitui se multum contendat, ob infensum omnibus Batavis animum ejus, qui hic rerum potitur.

ACcepi, CL. D. HOPPERE, hisce diebus literas ab genero (11) C. G. quibus accurate ad me perscribit, quæ eum ad deditionem arcis, cujus custodia ipsi commissa fuit, compulerint, & ut plenius rem omnem, atque in quo statu conjugis socerique ac filii tui G. Antonii, res sint, cognoscas, visum ei fuit Giulielmum famulum suum qui omnis fortunæ suæ particeps fuit, ad te mittere, quod etsi haud magnopere opus esse judicarem, disuadere tamen ei nolui, cum ei ita visum fuerit, & tibi conjugique tuæ non ingratum existimarem. Ex literis autem tuis cognovi Illustrissimo Duci aliquoties te ejus causam commendasse, verum cùm non scribas, quam ille tibi spem fecerit, haud suadeo ut temere se periculo committat.

Cum Ritzco noster ab Unya (cui similis casus in castri Gelmudani custodia accidit, licet se purgationi obtulisset) in arce tamen Leovardiensi captivus adhuc detineatur, ac, uti etiam urbs Goudana, ad obedientiam rediret, ingratam tamen ei recordationem perfidiæ eorum fore existimo, ut non ausim suadere, ut ad pristinam functionem præfecturamque restitui se multum contendat. Ac de successoris benevolentia

(11) C. G.) id est: Castellano Gaudano.

Digitized by Google

lentia in tuam gratiam fortaſſis meliora ſperare poterit, quàm de eo qui adhuc rerum potitur, cujus exacerbatus exulceratuſque eſt animus, ac omnibus Batavis infeſtus ob adverſum rerum ſucceſſum. Bene vale, HOPPERE CL. conjugique, ac liberis multam quæſo à me ſalutem dicito. Bruxellæ. XXIII. Februarii. CIↃ IↃ LXXII.

EPISTOLA CLVII.

Queritur miniſtros Regios remedia de die in diem protelare, & ſibi non credere, nec ipſi Duci Medinenſi. De formula gratiæ deliberat Dux, cui populus ſub hoc Gubernatore fidem non habebit. Lovanienſes Regi commendati, & ex Hopperi promiſſis in ſpem erecti. Bilius in caſtris ante Harlemum. De rebus privatis. Alberto a Loo ſucceſſor datus in Conſilio Finantiarum. De duobus milionibus loco x. den. præſtandis.

CL. D. HOPPERE, literas tuas IV. Februarii ſcriptas, XX. ejuſdem menſis die accepi. Et quod promittis, tandem aliquid vos ſignificaturos per curſorem proprium, quod ad veram Reip. compoſitionem & pacem pertinebit, id nos jamdudum ſummo deſiderio expectavimus, & veremur valde, ne dum vos remedia de die in diem, ac curſore in curſorem protelatis, nimis ſero id adferatur, cùm credi non poſſit in quas anguſtias civitates totaque Provincia, ac populi ſub hoc ſtatu rerum, redigantur. Sed ſurdis, ceu fabulam noſtras calamitates narramus, dum aures habetis aliorum præſtigiis præoccupatas. Scripſi aliquando ad D. V. me hoc nomine optare Ducis Medinenſis præſentiam, ut quæ nobis forſitan non creduntur, ipſe ceu ocularis teſtis confirmare valeat. Et quantum intelligere poſſumus, ea, quæ conſpicit, diſplicereque ei videntur, in hoc regimine, vos non celat, ſed quam illi quoque fidem adhibeatis, nondum nobis cognoſcere licuit.

Gau-

Digitized by Google

Gaudeo Præſidis ac meum reſponſum ſuper publicatione (12) ſcripti, poſt dimidium annum nobis primum communicati, Illuſtriſſimum Ducem ad Regem tranſmiſiſſe, ac id Majeſtati ſuæ non improbatum fuiſſe. Neſcio autem quid demuo Excellentiæ ſuæ Majeſtas ſua mandavit, ſed id intelligo, nunc deliberari de formula quadam gratiæ ac condonationis concipienda, ſed vereor ne rurſus illa tantopere reſtringatur, ut effectus non magnus ſequatur. Forte autem & nobis hîc communicabitur Ducis deliberatio, ſed cùm non dubitemus jam antea negotium in Vargiano conſilio reſolutum, conſultatio noſtra tantum pro forma ſerviet. Illud maxime vereor, ne, quæcunque tandem gratia proponatur, fidem multam populus ſub hoc Gubernatore attribuat, præſertim cùm videat civitates nonnullas, quæ ejectis perturbatoribus ad officium redîere, in ſuſpenſo adhuc manere, quæ tamen illos, qui cauſam alterationis præbuere, non ægre ferrent dignis affici ſuppliciis. Ago autem D. T. magnas gratias quod pro Lovanienſibus noſtris tam diligenter interceſſerit, qui niſi favore Regis ſuſtineantur, toti pereunt. Nam & civitas inundatione proxima afflicta, maximum paſſa eſt detrimentum, & ſcholares, Magiſtrique, Ducis cenſuram formidantes, ipſi quoque huc illuc diffluunt. Verùm proximæ literæ veſtræ, quas Doctori Elberto communicavi, nonnihil conſolationis attulerunt, quam ſpero D. V. proximis ſuis literis (uti promittit) confirmaturam.

Quæ circa Harlemium aguntur, vix ſcribere vobis audeo, cùm aliis magis quam nobis credatis: hactenus certe in vanum ab noſtris laboratum eſt, non ſine magna hominum jactura. Junxit ſe etiam caſtris Bilius, qui rebus præclare in Friſia geſtis, omni ibi virtute gloriam continuare ſtudet, verùm queritur alios ipſius conatibus non reſpondere. Videntur tamen aliqui adhuc nobis ſpem præbere, fore ut brevi urbe potiamur, id quod DEUS propitius faxit priuſquam majores motus experiamur.

Guilhelmus Caſtelani famulus, uti ex literis meis hiſce junctis cognoſcere poteris, die D. Matthiæ hinc ſe itineri accinxit, ſed cùm pedibus longum ſit iter, vereor ne ita cito ad

(12) *Super publicatione Scripti.*) de quo ſup. in Epiſt. CLV.

Digitized by Google

ad vos perveniat. Si Cornelius tuus meo consilio uteretur, haud suaderem ut Rollemæ frivola expeteret, cùm occupationem illorum D. V. imputaturus fuerit. Satius autem erit eum ingratitudini malitiæque suæ relinqui, quam occasionem querimoniamque ei præberi, quasi multa ei millia adempta fuerint. Hermes (13) noster, qui per aliquot hebdomadas male valuit, hodie spiritum DEO reddidit.

Loy (14) mortem multi boni viri deplorant, datusque est ei successor Oyenbruggius, qui apud Ducem favorem meruit ex recollectione centesimi denarii quam rebuscam (15) vocant, quæ magnas nobis quærelas excitat. Loy autem conjunx D. T. magnas agit gratias pro ipsius commendatione impetrationeque duorum milium, plurimumque rogat, ut in hac ærarii penuria D. V. procurare velit, ut certa aliqua, bonaque assignatio ei detur, aut sine longa mora præstari, quod Regia liberalitas concessit, mandetur.

Dux noster, dum à Statibus duos miliones annuatim perpetuo

(13) *Hermes noster*] is est *Hermes de Winghe* Consiliarius in Secreto Consilio, ut est in Epist. proxime sequente. De quo in libello *Tomb. des Hom. Illust. p.* 32. „ Messire Hermes de „ Winghe natif de Renay près d'Audenarde, Docteur & Pro„ fesseur en Droit en l'Université de Louvain, succeda en l'e„ stat de Conseiller du Conseil Privé a Mess. Jean d'Auxtru„ yes, dont il avoit epousé la fille, de laquelle il procrea „ Jean de Winghe, en son temps Conseiller du Conseil de „ Brabant. Il mourut a Bruxelles le 11 de Mars 1573. & gist „ en la chapelle du Venerable sacrement a S. Gudule, sa „ pierre sepulchrale contenant l'inscription suivante: Cy gist „ noble Homme Messire Hermes de Winghe, en son temps „ Docteur ès Droits, Conseiller & Maitre des Requestes or„ dinaire de l'hotel de l'Empereur Charles le V. & Philippe „ Roy d'Espagne & son fils, & Tresorier de leurs Chartres en „ Flandres. Lequel apres avoir servy es estats susdits l'espa„ ce de XXXVI. ans, tresspassa le XI. de Mars 1573. Et Dame „ Marguerite Auxtruyes son Epouse, laquelle tresspassa le „ XVI. d'Octobre en l'an. 1570. " Laudat eum Viglius in subsequente epistola.

(14) *Loy Mortem*] id est *Alberti a Loo* Consiliarii in Consilio Finantiarum, cui successit *Engelbertus d'Oyenbrugge. V. Butkens.*

(15) *Rebuscam*] V. Notas ad Commentar. de x. den. ad n. 3.

Digitized by Google

petuo præstandos loco decimi denarii impetrare nequit: interea dum de eo cum ipsis contenditur, unius milionis obligationem præstari postulat, ac nos, ut ille id impetret, omnem lapidem movemus. Sed res in tanta animorum aversione rerumque angustia, difficultate non caret, habenturque ea de re in singulis Provinciis conventus, tandemque Excellentia sua permisit ut eadem opportunitate deputati, qui in Hispania fuerunt, acta impetrataque, Statibus, à quibus missi fuere, referre possint. Bene vale, CL. D. HOPPERE, Bruxellæ. 11. Martii. CIↃ IↃ. LXXII.

EPISTOLA CLVIII.

Senatus Frisiæ supplicat pro augmento stipendiorum, quod omnibus dudum consiliis promissum extitit, dum interim nemini solvitur, unde multi a publicis functionibus absterruntur. Consilium Secretum ad triarios redactum sublato Hermete a Winghe. Classis contra Hollandos mare ingressa.

CL. D. HOPPERE. Cùm frater meus Gerbrandus nuper ex Frisia huc adveniisset, hortatus eum sum, ut ipse ad te quædam perscriberet, cùm de publico statu; tum de privatorum tibique conjunctorum rebus, quæ D. T. non ingrata fore judicabam. Attulit autem idem ad me literas ab Senatu nostro in Frisia, quibus enixe me rogavit, ut D. T. commendare vellem supplicem libellum pro stipendiorum augmento, oratque me singulariter Præses, ut ipsius quoque ratio haberetur. Fecit autem cùm collegio nostro, tùm multis spem certam Illustrissimus Dux, fore ut generaliter super augmento stipendiorum (quò omnis sordium corruptelarumque occasio præcideretur) liberalius per Regiam Majestatem provideretur. Verùm hæc tempora videntur eam voluntatem ei excussisse, ut non modo quicquam de augmento liceat intelligere, sed de sorte etiam in dubium veniamus, cum pene nemini, quod debetur, exolvatur: Interea in omnium rerum penuria, crescentibusque difficultatibus, periculisque, multi

Digitized by Google

multi ab publicis functionibus absterrentur. Quamobrem remuneratione aliqua confirmandi mihi videntur; consiliarii præsertim, qui officium suum egregrie hactenus præstiterunt, uti præ cæteris à Frisiis factum fuit. Consilium autem Secretum hîc ad triarios redactum videtur, sublato nuper è vivis D. Doctore Hermete, qui ætate, experientia, ac doctrina ceteros antecellere visus fuit, atque quorundam consilia eò spectare videntur, ut sublatis extinctisque veteribus, nova Resp. instituatur. Ex Hollandia nondum quicquam boni successisse nunciatur. Classis autem, quæ apud Antverpiam instruebatur, à Calen. Martii mare ingressa est, & in horas bona de ea expectamus, licet adversarii navium, nautarumque numero nostros forte excellant, sed nos contra milites habemus rei bellicæ magis gnaros. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. VII. Martii. CIↃ IↃ LXXII.

EPISTOLA CLIX.

Experiuntur Hispani ante Harlemium flegmaticis Hollandis animos esse ac vires; proinde alia ineunda ratio. Exprobrat Hoppero Remp. sibi curæ non esse, qui calamitatem ejus denuntiantibus non credat. Interim ruinam patriæ imminere dicit, & auxilia a populo præstari non posse. Scriptum pro justificatione Regis, intempestivum judicat Dux, cujus fidem in dubium revocant plurimi. Ajunt, hæreticis fidem non esse servandam.

TRadideram, CL D. HOPPERE, Magistro postarum ante aliquot dies literas meas, nonnullorumque aliorum adjunxeram, ut ad D. T. una perferrentur, sperans fore, ut Harlemio expugnato, quemadmodum certo, brevique futurum nobis persuaserant il, qui in castris agunt, confestim Illustrissimus Dux cursorem in Hispaniam ablegaret. Verùm hactenus successum frustra expectavimus, neque sine magno damno aliquoties res tentata fuit, sed ab hostibus nostri repulsi, animadverterunt in flegmaticis Hollandis plus esse ani-

Digitized by Google

mi viriumque, quam Hiſpani arbitrabantur. Et, niſi alia rerum gerendarum conſilia ineantur, veremur, ne noſtra Reſp. brevi tota corruat, miranturque multi, vos iſthic adeo eſſe incredulos, ut ab tam multis vobis denunciatam calamitatem, ruinamque Patriæ noſtræ, curæ, cordique habere aſpernemini. Timendum autem eſt, ne noſter interitus alias quoque aliquot Provincias Regiæ Majeſtatis, in diſcrimen una trahat. Dum autem de abolitione decimæ ac de limitatione ejus, quod in illius locum ſurrogabitur, convenire inter Ducem ac Status noſtros non potuit, auxiliorum præſtatio hactenus dilata fuit, atque ex Hiſpanico ærario in belli ſumptus neceſſariam pecuniam erogare Regi cum tempore moleſtum fore arbitramur, ac interea ad eam paupertatem Provinciales rediguntur, ut, quod volent, contribuere nequibunt. Ad literas noſtras ſuper editione ſcripti juſtificationis veſtræ, Dux reſpondit, ſibi quoque ejus publicationem intempeſtivam videri. Verùm ſi tum cùm ad Excellentiam ſuam miſſum fuit, unà cum venia, condonationeque propoſitum fuiſſet, haud infructuoſam eam futuram exiſtimant: niſi quod Ducis fidem plurimi in dubium revocant, ob ſiniſtra Vargæ conſilia, cùm paſſim dicatur, rebellibus, hæreticiſque fidem non eſſe ſervandam, licet in Montenſi deditione contrarium apparuerit. Bene vale, HOPPERE, CL. Bruxellæ. XIV. Febr. CIↃ IↃ LXXII.

EPISTOLA CLX.

Cenſet non immutandam adminiſtrationem ærarii publici, & antiquo pede procedendum, contra quàm Dux vult, qui omnia nova facere velle videtur. Hellerii cujuſdam petitioni repugnat. De Coadjutore Præpoſituræ ſuæ Gandavenſis a Rege obtinendo ſilere ſtatuit, quia Albani ſententia eſſet exquirenda. Anguſtiæ rei nummariæ. Taxat Hopperi tarditatem in Rep. reparanda.

CUm noviſſimis literis tuis, HOPPERE CL. accepi ſcriptum à Dominis Financiarum iſthic oblatum, ſuper quo Regia

Digitized by Google

Regia Majeſtas meam, uti ſcribis, ſententiam intelligere deſiderat. Ego quidem nihil ad Regiam Majeſtatem tale perſcriptum antea intellexeram, licet hîc plerunque querimonias ſuper ea re audieram, miratuſque ſubinde fui, quænam ratio Ducem moverit, ut pecuniæ, patrimoniique Regii adminiſtrationem, à ſapientiſſimis Principibus tanta ſollicitudine, diligentiaque conſtitutam, commutarit, Regiaque Majeſtas id permiſerit, niſi quod eo medio conſtitutiones noſtras diſſolvere, ſuaſque, quas ſemper meliores arbitratur, ſubintroducere, authoritatemque adminiſtrationis pecuniæ in alios transferre, & nova omnia facere velle videatur. Idemque in Judicibus conſtituendis, legibuſque ac conſuetudinibus reformandis nonnulli jampridem tentarunt. Verùm, ut libere dicam, ego nunquam ſatis eorum conſilia probare potui, & viris prudentibus diſplicere intellexi: ſed qui contra ſentiunt, non ſunt amici Pontificis. Quamobrem, ſiquid mei eſt judicii, optime Regia Majeſtas faciet, ſi rem in veterem ſtatum reſtituat, conſtitutioneſque editas ſuper adminiſtratione financiarum, Regiæque pecuniæ, ac patrimonii, exacte obſervari præcipiat, talibuſque officia committat, qui non ſua, ſed Reip. Majeſtatiſque ſuæ utilitatem præ oculis habeant, nec mercatores lucris perpetuo ſuis inhiantes, ad ea irrepere (quod cùm nonnullorum pace dictum ſit) permittat. Nihil autem opus eſſe ſentio, rem claram pluribus explicare, aut majorum leges ſub incudem revocare, proinde ſcriptum ad me miſſum hiſce rurſus junxi.

Hellerii noſtri deſiderium lubens equidem promoverem, ſed penſionis, quam captat, ſolutionem illi promittere non audeo, cùm res noſtræ ita anguſtæ ſint, ut pene nulli juſta ſtipendia amplius perſolvi queant. Et ut ex veritate, non affectu, loquar, quale ab Hellerio ſervitium expectandum ſit, non ſatis video, niſi quod de iis, quæ Auguſtæ, ubi mercatorum potentium eſt frequentia, geruntur, ſuis literis aliquando annunciare poſſit: quorum ſatis ſagax indagator mihi eſſe videtur & diligens perſcriptor, quod ego teſtari poſſum, ad quem de rebus, quæ in Germania geruntur, ſatis prolixe ſæpe ſcribit. Duci autem noſtro difficulter perſuadebitur, ut homini extraneo pro hujuſmodi miniſterio quicquam præſtetur.

Digitized by Google

De Coadjutore non amplius verbum faciam, neque enim mihi consultum videtur, ut id in hominum ora veniat, nec de ejus, cujus Rex sententiam requirit, favore multum spero, satiusque esse sentio, ut illum, quem promovere cupivi, intra suam se pellem adhuc continere jubeam, & fortassis virtuti, meritisque aliquando dabitur, quod per gratiam obtinere non possumus. De illius autem industria ac idoneitate, eruditioneque certior factus Reverendissimus Archiepiscopus Trajectensis (16) ultro illi præbendam in majori Ecclesia obtulit.

Sex millium, quæ Regia Majestas D. T. super bonis confiscatis hîc largita fuerat, persolutionem, vivente Domino Alberto à Loo, qui diligens eorum sollicitator fuerat, impetrare non potuimus, licèt graviter quiritantibus iis, quibus eam pecuniam deputaras. Optamus, ut melius secunda hæc assignatio succedat super pecuniis, quæ à Majestate sua missæ fuerant. Verum Duce adhuc apud Noviomagum agente, certam de iis spem concipere non possumus. Sed Cornelium tuum eò extrudere conamur, ut is perquirat, quid expectare debeamus. Rei certe nummariæ ea apud nos est penuria, ut Excellentia sua summæ ab Rege missæ potius aliquid addi, quam detrahi patiatur.

De D. Adriani de Montoya negocio nihil mihi adhuc ab Gandensibus nunciatum est.

In Harlemii oppugnatione frustra adhuc laboratur, & si victoria potiri licebit, melius ea civitas aratrum meretur, quàm tres nostræ in Frisia urbes, quæ tempestive ad officium rediere.

De Rep. componenda laudo, amoque tuum studium, sed quæso ne nos perpetuo suspensos teneatis, cum rebus deperditis sero adhibebitur consilium. Bene vale, HOPPERE. CL. Bruxellæ. XX. Martii. CIↃ IↃ LXXII.

(16) *Archiepisc. Trajectens.*] Fredericus Schenck a Toutenburch, primus & ultimus Archiepiscopus Ultrajectinus.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CLXI.

Supplicat Regi pro amortizatione Collegii ſui Lovaniensis. Eccleſiaſticorum, viduarum, pupillorum, aliorumque querelæ ob detentos proventus ſuos, qui debentur ex bonis confiſcatis. Albertus a Loo in Hollandia pro inſtruenda claſſe. Courtevillius pro reſtauranda valetudine Lovanii.

CL. D. HOPPERE. Miſi ad Denneterium ſupplicationem quandam, ut eam apud D. V. ſollicitet, ſuper qua ſi D. V. placebit loqui verbum Majeſtati, non puto eam aliquam difficultatem in ejus conceſſione facturam. Eſt enim res cumprimis pia & Regio favore digna. Quoniam autem in impetranda admortizatione Collegii Lovanienſis, nonnulli, parum hujuſmodi piis operibus faventes, non valde propenſos ſe oſtenderunt in deſiderium meum, (cui tamen tandem Dux annuit) viſum eſt mihi hoc beneficium ab ipſo Rege petere, cui id totum debere malo. Poterit autem Regia Majeſtas remittendo ſupplicationem meam, ſignificare Gubernatori, eam non gravate conceſſiſſe, & cæteris, ad quos ea res pertinet, ipſius expeditionem mandare.

Scripſit quoque D. V. ad me nuper, Eccleſiaſticos pleroſque querelam Regiæ Majeſtati expoſuiſſe, de proventibus ſuis cum magna ſervitii Divini diminutione detentis ob confiſcationem bonorum, ex quibus ii debentur, cui tandem hîc provideri ceptum eſt. Sed quantæ ambages, remoræque quærantur, ex copia literarum hiſce junctarum, intelligere D. V. poterit. Cæteris autem Conſiliis in eandem ſententiam ſcriptum eſt. Innumeræ enim ſunt cauſæ ejus generis, viduarum autem, pupillorum & omnis generis hominum multa millia, quorum querelæ in cœlum aſcendunt.

Albertus à Loo in Hollandiam ad claſſem inſtruendam miſſus eſt, ex cujus literarum exemplari D. T. cognoſcere licebit, quo in ſtatu res conſtitutæ ſint. Courtewillius noſter quotidie minorem nobis longæ vitæ ſpem facit, Lovaniumque ſecedendi licentiam obtinuit, ut ibi valetudinem af-

Digitized by Google

afflictam, paululum ab negotiis remotus, curare commodius possit. Venit me visitatum Hector nepos meus cum Baucka conjuge, & Ida ejus sorore; illa autem uterum gerere videtur, etsi, ut mos est mulierum, verecunde fateri non audeat. Gavisus autem sum & conjugalem inter eos affectum quotidie crescere, & nepotem se non male officio suo accommodare, teque & conjugem tuam liberosque omnes amanter salutant. Bene vale, CL. D. HOPPERE, Bruxellæ. XXI. Aprilis. CIↃ IↃ LXXII.

EPISTOLA CLXII.

Significat Ducem de re gravi, super qua ipse consultus sit, ad Regem scribere. Decanus Majoris Ecclesiæ Trajectensis subito mortuus. De Courtevillio non sperat melius.

CL. D. HOPPERE, cùm cursorem ad vos epediri intelligerem, qui vobis rerum nostrarum statum annunciaret, de quibus à me sæpe prænoniti fuistis, & utinam tempestive remedium impetrare potuissemus, hoc superioribus addam duntaxat, Illustrissimum Ducem super re illa gravi, cujus in literis prioribus memineras, meam sententiam requisivisse, de qua Excellentia sua paucis Regi rescribit. Heri nobis subitanea ac inopinata mors D. Joannis Vechty (17) Decani majoris Ecclesiæ Trajectensis annunciata fuit, cujus obitum omnes ex animo dolemus.

De Courtewillo quoque parum meliora speramus, & neptis mea Hesselia deplorate valet; fœlices autem mihi videntur, qui ad hæc tempora, quæ nobis imminent, non reservantur; fœlices & vos isthic, qui extra jactum telorum agitis. Bene vale, HOPPERE CL. & conjugem, liberosque à me amanter saluta. Bruxellæ. XXV. Aprilis. CIↃ IↃ LXXII.

(17) *Joannes Vechtius*] Vide Catalog. meum Præpositorum & Decanorum quinq. Eccles. Trajectens.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CLXIII.

In Consilio Turbarum 15000. Causæ pendent indecisæ: Ex confiscationibus nulla Regi utilitas.

LIteras tuas, CL. D. HOPPERE, per Westerholtium missas, accepi, ipsum autem nondum vidi, quod recta profectus esse dicitur ad Comitissam Arembergensem. Dascheum adhuc expectamus.

Quæ Lindanus, (1) Gravianusque conquesti sunt, eadem ex plurimis aliis intelligetis. Audio quindecim millia causarum in eo Consilio (2) indecisa adhuc pendere, ex quibus crecentæ forsitan proximis his annis, vel importunitate partium, vel favore expeditæ fuerint. Porro causas Ecclesiastica jura concernentes, intellexi ad Consilia Provinciallia esse remissas, ut ibi excutiantur, & cum Consiliorum advisu remittantur ad Ducem, Vargianumque tribunal. Pupillorum autem, viduarum, ac multarum miserabilium personarum, cum reliquis, causæ, adhuc in dormitorio quiescunt. Et videbit tandem Rex, quid solutis debitis, ex confiscationibus supererit, cùm pecunia indè proveniens in aliòs usus impensa fuerit, ac reditus, debitaque interea accreverint.

Venit huc heri Hector nepos meus cum uxore ejusque sorore, sobrinis tuis, qui nobis amicorum omnium prosperam valetudinem, & novum Gubernatorem vehementer expectari, desiderarique annunciarunt, cùm Patria prædonum piratarumque injuriis exposita sit, protectoreque penitus careat. Bene vale, HOPPERE CL. conjugemque ac liberos amanter à me saluta. Bruxellis. 11. Aprilis. CIↃ. IↃ. LXXII.

(1) *Lindanus*] Guilielmus, primus Ruræmundenſium Episcopus. *Gravianum* non novi.

(2) *Consilio*] Turbarum: vulgò, Sanguinis.

Digitized by Google

EPISTOLA CLXIV.

Meminit de gravibus negotiis sibi non propositis. Mala Reip. sæpe a se significata, erumpunt. Dolet se corpore & animo deficere. De rebus privatis.

ACcepi jam pridem, CL. D. HOPPERE, postremas D. V. literas, XVIII. Febr. datas. Ascheum hactenus frustra expectavimus, quanquam in mora non leve est periculum, cùm Bisontini quotidie in pejus ruant. De re gravioris momenti (cujus in literis tuis mentio fit) nihil mihi hactenus ab Illustrissimo Duce communicatum extitit: & certe per multas hebdomadas sellæ affixus fui, ob pedis incommodum, ac insanabile meum cacoëthes, ut in Curiam progredi nequiverim. Si tamen hoc est, quod subodoratus sum, de successione Imperii; in tanta animorum alienatione, nullum consilio locum relictum video.

Mala, quæ sæpius D V. nobis imminere significavi, jam multo periculo nostro passim erumpunt, quæ ab aliis ad vos quàm à me scribi malim, ne inauspicatus habear nuntius. Dolet autem mihi non mediocriter, quod nec corpori vires suppetunt, neque animi pristinus adsit vigor, ut tantum valerem, quantum vellem, resque exulceratas unà mitigare possem.

(3) Bruhesius noster, accepto responso, decretoque regio

(3) *Bruhesius . . . . mirum in modum commovetur*] Quod igitur fuit responsum, decretumque Regium? Qua super re? Quantum conjicere licet, improbaverit Rex electionem de ejus persona factam ad Decanatum Majoris Ecclesiæ Ultrajectinæ, de qua dignitate ad Regem pertinebat, vi indulti Apostolici, prout ostendi in *Hist. Eccl. Ultraj.* Porro ejus electio in locum *Joannis Vechtii* facta fuit intempesta nocte, ut Regis nominatio præveniretur, quemadmodum scribit *Viglius* inf. in Epist. CLXVI. Vide de *Bruhesio* & *Vechtio*, *Catalogum meum Præpos. & Decanor. quinq. eccl. Traject.* ubi observabis *Bruhesium* non nisi ad annum 1573. Decanum statui, quod tantum temporis interceserit usque ad Regium consensum.

Digitized by Google

gio intellecto, mirum in modum commovetur. Tzommo quoque prope desponder animum, dum alterius adventum frustra expectamus, in cujus æquitate omnis ejus spes posita est. Urdium quæso ut D. T. responso aliquo dignetur, ne incuria mea literas suas forsitan deperditas esse suspicetur. Neptis mea Hesselia quasi desperate ægrotat, Deus illi meliorem det valetudinem, qui & vos omnes salvos ac incolumes conservet. Bruxellæ. XIX. Apr. IↃ CIↃ LXXII.

EPISTOLA CLXV.

Courtevillius morti proximus, se, suasque facultates Regi commendari cupit, petitque Viglii intercessionem, quam is interponit, hominis merita commemorans, & successum enixe commendans.

CL. D. Hoppere, significatam D. V. superioribus meis literis, haud magnam nobis spem præberi de convalescentia Secretarii Courtewillii, qui indies debilior factus ipsemet animum quasi despondere videtur, cùmque ego eum (uti valde desidero) invisere nequeam, cùm morbus, quo ex pede jamdudum laboro, domi me sellæ affixum teneat, & alia quoque subinde accidentia accedant, quæ officium hoc impediunt, ipse quidem mihi per amicum hisce diebus indicavit, se in hoc vitæ periculo non posse omittere, quin Regi nostro suarum facultatum conditionem, æsque alienum, hisce annis ab eo, in servitio Majestatis suæ, contractum, exponat, supplicetque ut ejus Majestas sua rationem aliquam habere dignetur. Cùm autem me authore suasoreque, conditionem Secretarii apud Regiam Majestatem initio susceperit, intercessionem quoque meam, quam alicujus fore momenti credit, interponi postulavit, quam homini amico, beneque de Regia Majestate merito, denegare non possum. Proinde D. T etiam atque etiam rogo, ut, cùm ejus negocium propones, meas preces una pro illo conjungere velis. Amittet autem profecto Rex servitorem singularis virtutis, fidei, ac

Digitized by Google

integritatis, industriæque, cujus parem inter multos vix reperiet, & hunc certe morbum contraxit potissimum, dum Illustrissimo Duci nimis sedulum officium impendere studuit. Admonitus initio aliquoties à me, ut valetudinis suæ rationem haberet, nunquam in animum inducere potuit, ut ei ferio vacaret, balneisque, ac aliis medicorum consiliis operam daret. Cùm verò idem aliquando nobis evenire poterit, meritò ejus desiderio assistere debemus, quò idem aliquandò nobis vicissim impendant.

Quamobrem ne pigeat quæso D. T. hoc beneficium amico impartiri, cujus gratiam non minoris æstimabo, quàm si mihi ipsi impensa esset. Reliqua ex ipsiusmet literis plenius intelliges, cujus bonum aliquem successum maturè nobis renunciari cuperem, quò ipse, dum adhuc aura æthereæ fruitur, consolatione aliqua recreatus, minore mœrore illam (si ita DEO placebit) compleat. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ. VIII. Maii. CIↃ IↃ LXXII.

EPISTOLA. CLXVI.

Quiter navigit statum Reip. piratarumque incursum, qui occasionem arripuerunt x denaria. Quæritur si de bono consilio lapidari in Hispania. Stipendia a Rege constituta non solvuntur. Mepschii instantiæ. Bruhesius Decanus Trajectensis electus. Mors viduæ D. a Chantonai. Courtevillius morti proximus.

CL. D. HOPPERE, Aschanum, per quem de omnibus late te scripseram, novissimis literis suis, IX. Aprilis datis, promittebas, frustra hactenus expectavimus, nec de Mediolanensi quicquam certi scire potuimus, &c., si rebus paulo tranquillioribus, maturiusque isthinc solvisset, non sua tantùm fecunditati, sed patriæ nostræ melius consuluisset. Quo in statu hîc res sint, præsertim ad oram maritimam, alibunde non dubito te intellexisse. Ego autem perscribere non ausim, ne vobis incredulitatem exprobrare videar. Certe initio

tio piratæ levi negocio profligari poterant, frustra quiritante opemque implorante fratre meo Rintzio, qui primum illorum impetum pertulit, ac tantùm non ex mœrore animi mortuus fuit. Arripuereque deinde occasionem ex decimi denarii indictione, ut promiscuum vulgus ad se traherent, dum negotiatio, opificiaque hîc penitus cessant. Orandus autem est nobis propitius DEUS, ut Regiæ Majestati salubre aliquod consilium inspiret, ne fideles subditos penitus perire sinat. Verùm longius calamus procurrit quàm constitueram, cùm de fideli consilio ithic me lapidari intelligam.

Dominicani, Franciscanique nondum Regiæ munificentiæ assignationem obtinere potuerunt. Duacensis quoque, ac Dolana Accademia de stipendiis constitutis (&) non solutis graviter queruntur, fiscumque exhauriunt quotidianæ belli necessitates, ut nesciam quid cæteri sperare debeant, cùm ii, quibus jam dudum Rex munificentiam declaravit, effectu ejus careant.

Mepschius quoque noster, DEUM hominumque fidem implorat, ut promissus annuus 1500. florenorum proventus tandem præstetur: verùm illo fœliciores videntur, quibus paratæ aliquid pecuniæ obtingit.

Trajectenses in Decani Vechtii locum (4) Bruhesium mox intempesta nocte elegerunt, quò Regiæ Majestatis nominationem prævenirent, sed id ne ratum Dux habeat, veremur.

Viduam D. à Chantonai (5) hisce diebus hospitio apud D.

(4) *Bruhesius*] Joannem de quo sup. ad Epist. CLXIV. V. *Catalogum* meum sæpe cit.

(5) *Vidua D. a Chantonai*] *Helena de Brederode*, filia *Reinaldi* & *Philippotæ Van der Marck*, quæ erat soror *Erardi a Marca* Cardinalis & Episcopi Leodiensis. *Butkens Tom. 2. p. 249.* patrem Helenæ vocat *Walravium*, sed is ejus avus fuit. Porro *Helenam* ejusque maritum *Thomam Perenottum* (Cardinalis Granvellani fratrem) sepultos dicit Antverpiæ apud Carmelitas: *Van Leeuwen* autem asserit Vesontione tumulatos: & rectè; quamvis Antverpiæ epitaphium habeant in templo Carmelitarum, quod hic subjungo.

D. O. M. S.

HELENÆ DE BREDERODE Illustriss. REGINALDI Eq. aurei

Digitized by Google

D. de Champaignii exceptam, longus morbus tabesque extinxit, quod fortassis liberis non incommode accidit, si forsitan illa matrimonium repetere voluisset.

Courtewillius, ac neptis mea Jetsia, eodem pene morbo laborantes, adhuc parva spe vitam producunt. DEUS utrique concedat quod salutare erit. Bene vale, CL. D. HOPPERE, ac conjugem liberosque à me officiose saluta. Bruxellæ, IX. Maii. CIↃ IↃ LXXII.

EPISTOLA CLXVII.

Nuntiat obitum Courtewillii, non sine laude; eumque commendat, ac pro successore in officio, Arnoldum Denneterium.

CL. D. HOPPERE, quod proximis literis indicavi, haud magnam nobis supereſſe spem de vita (6) Jodoci Courtewillii, id hodiernus dies nobis verum esse comprobavit, qui illi extremus fuit: obiit autem plane exhausto corpore, sed animo adhuc vegeto, de cujus morte non parum dolui, quando mihi cum ipso semper amicitia syncera fuerit, & quem Regiæ Majestatis fidelem ministrum compererim, ac qui in suo officio secundum vix reliquerit, rogoque D. V. ut

aurei Velleris F. viduæ THOMÆ PERENOT, Comitis a Cantecroy, Ord. Alcantaræ, Commendatoris Salamcæ, D. de Granvelle, Haurincourt, Chantonai &c. *Philippi II.* Hispp. Regis œconomi, & a Status Consilio: a quo etiam Civit. Antverp. Gubernator fuerat designatus, FREDERICUS PERENOT, Baro Renaci, Aspremont, D. S. Lupi, Champagney &c. ejusdem Civitatis Gubernator, fratriæ chariss. post omnem in deplorato morbo operam frustra exhaustam, mortuæ annua sacra pietatis ergo instituit, & ob M. E. hoc Cænotaphium P. Obiit pridie Non. Maii. Corpore in Perenottorum monum. Vesuntium apud Sequanos elato. Anno CIↃ. IↃ. LXXII. cum vixisset ann. XLIIII.

(6) *Judoci Courtewillii.*] Quis ille, V. in notis ad Vitam Viglii N. LXXVI.

Digitized by Google

ut causam ipsius, quam nuper ei commendavi, ita promoveat, ut intelligere possimus D. V. eidem amicam quoque fuisse.

Dux confestim D. Delryo, Albernotiumque (7) misit ad ædes defuncti, ut papyros omnes literasque concluderent, & quoniam non desunt, qui ejus officium, quod in Secreto Consilio habuit, ambiant, Arnoldum (8) nostrum D. V. commendo, ne illi injuria fiat, ac promisso defraudetur. Quæ de rebus nostratibus hîc habentur, ea aliis literis scribenda mandavi. Ab D. V. nullas diu literas recepisse me miror, cùm Dux noster frequentes accipiat, nisi vos ad Aschei abitum omnia reservetis, quem jam duobus pene mensibus expectamus. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. XIX. Maii. CIↃ IↃ. LXXII.

EPISTOLA CLXVIII.

Nuntiat amissam Brilam; Valencenas, Montesque Hannoniæ occupatos; Albani perplexum animum; periculum ex x. den. exactione, metumque tumultus popularis. De vectigali salis Hispanici. Courtewillii viduam commendat. Ut Rex stipendia judicibus, Assessoribusque Cameræ Imperialis debita persolvi jubeat, ardentissime urget.

CL. D. HOPPERE. Literas D. V. v. hujus mensis die datas accepi. Ego quoque à mense Martio pleraque ad vos dedi, sed vereor, ne satis tempestive isthuc allatæ sunt:

(7) *Delryo, Albernotiumque*] Ludovicus Del Ryo consiliarius Consilii Turbarum; *Albernotius* Secretarius Ducis Albani, arcanorum omnium participes.

(8) *Arnoldum*] Denneterium. Is absentis ab Hispania *Judoci Courtevillii* munus (Secretarii rerum Belgicarum) apud *Joachimum Hopperum*, supplevit: ipsi *Judoco* in officio Secretarii Secreti Consilii Bruxellis succedens; sed non statim. V. sup. ad Epist. V.

Digitized by Google

sunt: cum occupata Brila Calen. Aprilis, & aliorum quorundam locorum tumultu, defectioneque subsequente, vos interea miseria nostra celata sit. Quod an cursorum intercepti one, aut alia ex causa acciderit, scire non possum. De Medinensi quoque Duce hîc multus fuit rumor, in propinquo videlicet illum esse, sed postea audivimus, eum in Hispaniam, unde solverat, remeasse. Accessit deinde Valencenarum, Montisque Hannoniæ improvisa occupatio, astutia Comitis Ludovici à Nassou, quæ nos plurimum terruit, conturbavitque. Valde perplexum comperimus Ducem nostrum, à quo omnium subditorum animi aversi sunt ob decimi denarii pertinacem prosecutionem, quem omnes boni cives, subditique ac vicini extreme abominantur, ac utinam Regia Majestas tandem oculos aperiret, & rem justa trutina examinaret. Materiamque sufficientem Deputatos Statuum suggesturos vobis arbitror, unde plenius intelligere poteritis, quæ, nonnullis fidelibus servitoribus nunciantibus, minus fortassis credere voluistis. Periclitamur autem propemodum de omnibus Hollandiæ civitatibus. Nam de Enchusa (quod nuper copiis literarum Alberti à Loo intelligere potuistis) idem non successisse postea scripsit, uti ex ejusdem literis intelliges. Statum oppidi Dordracensis ex Corneti literis cognosces, & quæ præmia expectant ii, qui decimum denarium promoverunt, inde colligere poteris.

Albertus à Loo adhuc Amsterodami hæret, ubi similiter ex decimi exactione ab tumultu populari non leve periculum est, cùm omnis navigatio, negociatio, piscatioque per totam Hollandiam cesset, ociosaque hominum turba, quæ inde sustentari solet, ex egestate ad mala consilia, resque novas animum convertit.

Sandelinus autem Pensionarius hisce diebus huc scripsit, quod de vectigali salis abolito in Andolosia, jussu Regiæ Majestatis, atque ex literis vestris ipsis annunciatum, vanum esse comperisse nautas, qui nuper salem ithinc advexerunt. Quamobrem rogo, ut dispicias per quos stet, quo minus Regiæ jussioni obtemperatum sit.

Literas ad Medinensem D. T. remitto, alias ad Courtewillium scriptas viduæ ejus tradidi, nam illum nobis ereptum esse, novissimis literis significavi, cujus negocium uti morens roga-

Digitized by Google

rogavit, & ad D. T. perſcripſi, quæſo ut omni ſtudio apud Regiam Majeſtatem promoveas, quò ſaltem aliquem fructum ſervitiorum ſuorum defunctus percipiat.

Jetzia quoque neptis mea pridie Sanctæ Pentecoſtes, poſt longam ac gravem ægritudinem, animam DEO reddidit. Minus autem amicorum amiſſio gravis videri debet, cùm nobis, qui relinquimur, quotidiana pericula miſeriæque impendeant, à quibus vos liberos immuneſque eſſe merito gaudere debetis. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ. XXIX. Maii. CIↃ IↃ LXXII.

Unum (9) prope oblitus eram ad te ſcribere, rogareque, quod jam dudum facere meditabar, ut Regiæ Majeſtati per occaſionem exponere non gravareris: valde me timere ne ob (*non*) ſoluta multis annis Judicibus, Aſſeſſoribusque Cameræ Imperialis ſtipendia, prout Majeſtas ſua ex contractu Auguſtenſi obligatur, contra Regem duriores aliquæ cenſuræ per illos proferantur, quod indignum certe foret ob ſex aut ſeptem milia florenorum reputationem fidemque ſuam publico fieri ludibrio. Et ipſe quidem privatis literis pollicitationibusque effeci, ut hactenus ſententia dilata fuerit. Scribunt illi autem, inſtantque quotidie. Et quamquam Dux noſter ſæpius ſolutionem fieri mandarit, nihil tamen ab quæſtoribus noſtris, aut dominis qui financiis præſunt impetrari potuit, cùm alias majores neceſſitates facultatem ejus impedire, remorarique dicant. Ego autem ſic ſentio: potius nos debere ſub graviſſimis uſuris, aut venditione rei alicujus patrimonialis, pecuniam hanc conquirere, quàm tantum dedecus periculumque incurrere. Quamobrem iterum iterumque rogo, ut ab Regia Majeſtate ſerium aliquod mandatum D. T. impetret, ne noſtri longius ſolutionem differant, ac undequaque potius pecuniam confici curent, quàm ut aliis pleriſque malis, hæc ignominia, damnumque accumuletur: cùm publicatâ ſententiâ Cameræ, ſubditis Regiæ Majeſtatis parum tutus fuerit in Germaniam acceſſus, & defuturi non ſint, non ſatis nobis faventes, qui hanc occaſionem exequendi prædictam ſententiam contra nos liben-

(9) Hoc *poſtſcriptum* abeſt ab editione Gabbemæ.

Digitized by Google

libenter arripiant: Et fortaſſis magno pretio abolitionem ejus impetrare poſtea neceſſe fuerit.

EPISTOLA CLXIX.

De retributione 6000. flor. Hoppero per Regem facta. Gauda, aliæque urbes a Geuſiis occupatæ. Prætexitur x. den. exactio, ſuper quo Dux moderatius ſentit. Nihil illo multis ſeculis damnoſius.

CL. D. HOPPERE. Poſt noviſſimas meas literas, per Bertium Secretarium, Regiæ Majeſtatis ordinationem ſuper ſolutione 6000. (10) florenorum Illuſtriſſimo Duci inſinuari curavi, rogavique, ut ſuo favore eam coadjuvaret, executionique mandaret. Verùm tale reſponſum obtinui, quale deſiderabam, ſed iterum eum prima occaſione interpellari curabo, & cùm interea Albertus ab Loo redierit, ipſe una ſollicitabit, ut voti tui te compotem faciamus. Ejuſdem quoque literis percipies, Goudam in partem Geuſianorum tranſiiſſe, aliaſque quaſdam urbes Hollandiæ, Gelriæque ſe illis junxiſſe, ut periculum ſit, ne totam illam provinciam amittamus. Prætexitur autem ubique decimi denarii exactio, & revera egeſtas, negotiationiſque ac navigationis ceſſatio, populum contra Magiſtratuum voluntatem ad res novas incitat, & alia ex parte invitat eos deprædationis licentia, ut nunquam credatur hæc Provincia in tali diſcrimine verſata fuiſſe. Quibus difficultatibus Dux adductus, tandem de decimo denario moderatius cepit conſilium, quod an Regi probabitur, neſcimus, poſtquam aliqui ab D. V. quædam ſcripta aſſerunt, quæ ſpem nobis præcidunt. Verùm, mi HOPPERE, crede mihi, nihil multis ſeculis in hac Provincia magis damnoſum experti ſumus. Bene vale,

(10) Hæc ſumma ſuper bonis confiſcatis aſſignata fuit. V. inf. Epiſt. CLXXIII.

Digitized by Google

le, & uxorem liberosque à me salutem. Bruxellæ xxiv. Junii. CIↃ IↃ LXXII.

EPISTOLA CLXX.

De defectione urbium Hollandiæ, & de genero Hopperi. Dolet Regi non potuisse persuaderi ea, quæ a se perscripta sunt. Frisia adhuc in fide permanet virtute Billii.

CL. D. HOPPERE, literas D. V. VII. proximi mensis Junii scriptas accepi, & quæ evenerunt post novissimas meas de deditione Goudæ, Leidæ, Dordraci, Gorcemii, aliarumque urbium Hollandiæ, plenius ad te ab Alberto à Loo perscribenda autumo. Mihi autem cum primis dolet casus generi tui, (11) quem Dux noster indignissime fert, tum me valde afficit commiseratio ejus parentis senis, ac servitoris fidelissimi Regiæ Majestatis. Verùm quod ipsis accidit, nobis, omnibusque fidelibus ministris Majestatis suæ imminet, quibus dolet, Regi persuaderi non potuisse ea, quæ à nobis perscripta, & ab Statibus aliquot harum Provinciarum vobis isthuc exposita fuere. Magnis autem sumptibus, quæ amissa sunt, recuperari nequibunt, &, nisi à vobis isthic subsidia mittantur, spem nullam recuperandi esse video. Frisia autem nostra adhuc virtute ac diligentia D. à Billii in fide permanet, & is sane dignus est, cujus Rex rationem habeat, meritisque, & non generis fumis præfecturas concredat, quanquam ipsum intelligam apud suos non ignobili natum loco. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ. III. Julii. CIↃ IↃ LXXII.

(11) *Casus generi tui*] Cornelius Van der Myl, dominus toparchiarum Van der Myl, Dubbeldam, S. Antonis polder, Castellanus, Ballivus ac prætor Gaudanus, duxerat primis nuptiis Catharinam Hopperi filiam. *V. Van Leeuwen Bat. Illustr. p.* 1018. Quomodo arcem Gaudanam tradiderit Principi Auriacensi, narrat *Borrius lib. 6. pag.* 275. *Vsa.*

Digitized by Google

EPISTOLA. CLXXI.

Omnia Belgii oppida periclitantur ob x. denarii odium, & quòd populus inedia prematur. Optat Regem, meliora consilia sequentem, Deputatos Statuum contentos remissurum, Ducemque Medinensem adfuturum cum x. denarii abolitione. De amortizatione Hospitalis sui gratias agit.

CL. D. HOPPERE. Cursor à vobis XX. Maii expeditus huc Calend. Junii advenit. Si Regiam Majestatem graviter affecere, quæ hîc accidisse intellexerat, vereor ne multo magis eam conturbatura sint, quæ postea subsecuta fuere, circa occupationem Valencenarum, Montisque Hannoniæ, quanquam iilæ magna incolarum clade recuperatæ sint, nec ullum quasi oppidum est, quod ab popularis tumultus metu immune sit, tanta est apud vulgus decimi denarii execratio, quòd inedia premitur, cùm omnis negotiatio omniaque opificia cessent. Quamobrem speramus DEUM meliora consilia Regi nostro inspiraturum, ut Statuum legatos, uti scribis, contentissimos remittat. Idem autem faxit, ut Medinensis tandem adveniat, nunciumque desideratum de remissione decimi denarii nobis adferat, sine cujus abolitione populus nunquam quietabitur, nec plus efficient qui eum persuadere pergunt, quàm ut Regem in majus odium adducant, ac ligna ardenti foco addant. Quidam tentavere suspensionem persuadere, sed ita omnium exulcerati sunt animi, ut, quod antea lubentissime acceptassent, nunc plane abhorreant. DEUS Remp. nostram, quæ tota in ruinam tendere videtur, suo numine suffulcire dignetur.

Denneterius mihi significavit promptum officium D. V. præstitum in impetranda amortizatione hospitalis mei, de quo Regi imprimis humillimas ago gratias, injungamque, ut perpetuis temporibus pro Regia Majestate successoribusque suis, ac benefactoribus omnibus (quorum catalogo D. V. asscribam) hospitalarii mei DEUM orent. Verùm in hac tempe-

state

Digitized by Google

ſtate de omnibus pene fortunis in dubium venimus, periclitamurque, niſi nos DEUS propitius reſpiciat. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ. IV. Junii. CIↃ IↃ LXXII.

EPISTOLA CLXXII.

Dux Medinæ Cœli in Flandriam appulit, unde mirabilis populi lætitia. Brielenſes, Vliſſingenſes & Enſchuſani in rebellione perſiſtunt. Mons Hannoniæ a Comite Ludovico cuſtoditur, magno Reip. & religionis detrimento.

CL. D. HOPPERE, heſterna die nuntium Brugenſem accepimus de appulſu Illuſtriſſimi Ducis Medinenſis apud Sluſam Flandriæ, cui fidem vix attribuere noſtri voluere, quòd ſæpius antea incerto rumore decepti fuiſſent. Verùm hodie literis ipſius Ducis nova hæc confirmata fuere, unde populus noſter in hac rebellium hoſtiumque adverſus nos machinatione, ac belli undique apparatu, mirabilem lætitiam accepit, ſperatque ejus prudentia moderanda eſſe, quæ propter alterius rigorem animos ab devotione Regis averterunt. DEUM autem rogamus, ut vota populi ſecundet, & hanc imminentem tempeſtatem à nobis avertat. Brielenſes, Vliſſingenſes, atque Enſchuſani adhuc in rebellione ſua perſiſtunt, nec Oceani tantum littora nobis infeſta reddunt, ſed mediterranei maris navigationem totam impediunt: ut ex Hollandia, Gelria ac Friſia nulla ad nos navis ſecure pervenire poſſit, ac per Dordracum in Brabantiam nullus advehi queat commeatus. Mons Hannoniæ ab Comite Ludovico diligenter cuſtoditur, noſtrique è contrario aditus obſervant, ne plures hoſtes eo confluere poſſint. Magnum profecto detrimentum in ejus urbis amiſſione fecimus, qui alteram vix ſimilem habemus, in qua fiduciam ac refugium conſtituere poſſimus, quodque lamentari merito debemus: cùm populus ejus urbis magis cæteris ab omni errore & hæreſi hactenus abhorruerit, nunc novis immiſſis pſeudoevangeliſtis in damnata dogmata protrahatur.

Digitized by Google

Dux autem noſter contrà numeroſiſſimum contraxit exercitum, cui, cum ſtipendia difficulter ſolvere poſſimus, magnopere verendum eſt, ne (ut etiam nihil proficiant, adverſum nos hoſtes) propriis tandem telis conficiamur.

Aſchei adventum adhuc differri miramur, qui non ſine magno periculo differtur, ut ex Burgundiæ Gubernatoris literis cognoſcetis. Bene vale, HOPPERE CL. ac conjugi liberisque multam à me ſalutem. Bruxellæ. XIII. Junii. CIↃ IↃ LXXII

EPISTOLA CLXXIII.

Declarationem Regiam ad Deputatorum a Statibus ſupplicationem, ante dimidium annum dandam fuiſſe cenſet. Dux Medinæ Bruxellas advenit, ſed quia nulla auctoritate præditus eſt, ſpes populi evaneſcit. Exponit anguſtias Reip. Pecunia Hoppero aſſignata ſuper bonis confiſcatis, obtineri quare non poſſit. Demeterius in Courtevillii locum Secretarius Regis, invito Albano.

CL. D. HOPPERE, literæ tuæ XXVII. Junii datæ, nobis hîc redditæ fuere XI. Julii, per quas reſolutionem Regiæ Majeſtatis ſuper iis, quæ Deputati Statuum noſtrorum iſthic ſupplicarunt, lubenter intellexi, atque utinam Regia Majeſtas eam declarationem ante dimidium annum feciſſet. Perſuaſum enim habeo non fuiſſe eventura illa, quæ jam cum dolore omnium bonorum experti ſumus, & ea quoque, quæ Regia Majeſtas à Statibus fieri poſtulat, multo faciliorem habitura fuiſſent ſucceſſum. Interea verò tot oppidis locisque ab obedientia ſuæ Majeſtatis diſtractis, reliquiſque adhuc nutantibus, ac noſtris hoſtiumque copiis militaribus afflictis, neſcimus quid auxilii ab illis ſperare debeamus. Crede enim mihi, ſummæ ubique ſunt rei pecuniariæ apud nos anguſtiæ; faciemus tamen omnes officium, quod poterimus, quoad

Digitized by Google

quoad uſque licebit. Jam vero eo redacti videmur, ut vix, ubi tuto conſiſtere poſſimus, ſciamus.

Dux Medinenſis huc jam pridem advenit, magnaque omnium lætitia exceptus fuit, ſed cùm populus videat, nulla eum authoritate præditum eſſe, velut in fumum ſpes de eo concepta abit. Ducis autem Albani authoritatem omnes abominantur, licet ipſe omnia, quæ poſſibilia ſunt, ea prudentia vigilantiaque procuret, quæ præſentium temporum conditio permittit. Veremur autem valde, ne reſponſum ab Majeſtate ſua datum iſthic Deputatis Statuum, quod ante ſemeſtre gratiſſimum fuiſſet, nunc non æque, rebus perturbatis mutatisque, placeat. Et Dux, quò populum placaret, abolitionem decimi denarii jam antea propoſuerat. Speramus autem Regiam Majeſtatem conſenſuram, ut in unam ſententiam ipſius Ducisque reſponſio conveniat. Connitendum enim eſt omnibus modis, ut in hoc extremo rerum diſcrimine, aliquo modo rebus, ne totam Provinciam Rex amittat, conſulatur. Etenim vix unus eſt dies, quin nobis annuncietur amiſſio alicujus oppidi, de quo ad D. V. plenius ab aliis ſcribi exiſtimo. Ipſe enim præ dolore animi iſta denunciare non poſſum. Pecuniam quam D. V. Regia Majeſtas ſuper bonis confiſcatis hîc aſſignarat, non video quomodo impetrare poſſim, cùm major pars bonorum confiſcatorum jam ab adverſariis occupata ſit, & ſi quid relictum exiſtat, ſtatim in alias neceſſitates convertatur, ſic ut Conſiliarii, Secretarii, cæterique officiarii, qui ei Conſilio aſtiterunt, de ſuorum ſtipendiorum perceptione ſolliciti ſint. Nos tamen omnes officium pro D. V. hac in re præſtabimus.

Denneterii noſtri Regem rationem habuiſſe gaudeo, ac ſi Dux Regis ſervitium magis expendere, quàm ſuo affectui indulgere velit, non hîc inveniet, quem Denneterio præferet.

Courtewillii viduæ renunciavi quod tribus verbis D. V. mihi ſignificavit, cujus cauſam D. V. iterum atque iterum commendo. Bruxellæ. XIII. Julii. CIↃ IↃ LXXII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CLXXIV.

Quotidianæ urbium defectiones. De pecunia Hoppero debita. Deputati Statuum ab Hiſpania adſunt. De Gaudanis, Dordracenſibusque. Bruxellis nihil tutum, unde fuga in animo.

CL. D. HOPPERE. Reſpondi XIII. hujus menſis die, literis D. V. XXVII. Junii datis, ac poſtea huc advenit Capitaneus Arieta, qui literas, Calend. Julii ſcriptas, nobis attulit, per quas intelligere non potuimus ea, quæ interea ſucceſſerunt, ad Regis notitiam adhuc deducta fuiſſe. Quotidie autem audimus novas urbium defectiones deditionesque, tametſi Dux noſter omni diligentia ſtudeat copias viresque contrahere, ut adverſariis obviam eat.

De pecunia D. T. rurſus interpellavi Excellentiam ſuam, quæ ſatis benigne reſpondit, curaturam ſcilicet ſe ut quantocius provideat, ſed in quibus anguſtiis verſemur me ipſum ſatis conſiderare poſſe, omninoque opus eſt, ut D T. Excellentiam ſuam crebro deſuper interpellet, nam ii quibus D. V. ſuper iis aſſignationem fecit, nos quotidie interpellare non deſinunt.

Deputati Statuum Brabantiæ hîc adſunt, ſed non ea celeritate negocia tractare videntur, quàm præſens rerum ſtatus exigeret · Idem veremur de cæteris, quorum Provinciæ vel militibus opplentur, vel quorum urbes ab adverſariis occupatæ ſunt.

De Goudanis, Dordracenſibusque ſubinde nobis aliquid boni adfertur, verùm nihil affirmare auſim, ſed D. Alberto ab Loo ſcribendum relinquo. Ego autem, quamdiu hîc ſalvi ſubſiſtere poterimus, multos dubitare video, ſed pedibus æger non ero primus, qui hinc profugiat, & quonam tuto profugere poſſimus in tanta animorum averſione, non ſatis videmus. Bene vale, HOPPERE. CL. Bruxellæ. XVIII. Julii. CIↃ IↃ LXXII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CLXXV.

De Academiæ Dolanæ ſtudiis, rationibusque. Rationales ibi quales, quidque petant. De conquirendis Confeſſario, Medico, ac Chirurgo Belgis, & in Hiſpaniam mittendis.

CL. D. HOPPERE. Venere huc hyeme præterita quidam Deputati ab Academia Dolana, ut ſuper quibuſdam articulis ad incrementum ſtudiorum, decusque ejus Univerſitatis pectinentibus, declarationem, confirmationemque obtinerent; reque omni diligenter ac mature perpenſa, examinatoque, relationem tamen ejus, ob turbas hîc exortas, Illuſtriſſimo Duci tardius audire vacavit. Cùm autem nepos meus Wibrandus in ea Academia profiteatur, ac primariam Inſtitutionum lectionem ibi adeptus ſit, nunc verò ad vacantem Ordinariam juris Canonici concordibus ſuffragiis vocatus ſit, me interpellare non deſinit, quò expeditionem eorum, quæ ad Univerſitatis cauſam ſpectant, tam hîc apud Illuſtriſſimum Ducem, quàm apud D. V. Regiamque Majeſtatem promovere non graver. Cogit autem me affectio gratitudoque erga Dolanam Academiam, in qua ego potiſſimum ſtudiorum meorum profectum feci, pro eadem intercedere. Proinde tibi, mi HOPPERE, etiam atque etiam hoc negotium commendo. Quod de immunitate excubiarum petunt æquiſſimum mihi videtur, indignum enim eſt eos qui ſtudiis ſuis, ut alios eruditiores reddent, invigilare tenentur, ad hæc munia, cùm neceſſitas non urgeat, vocari.

Movent etiam Profeſſoribus controverſiam de præcedendi honore Rationales ibi non ita dudum inſtituti; verùm D. T. non ignorat, ex quo genere hominum illi conſiſtant, qui nullo pacto Doctoribus Regiisque Profeſſoribus Theologiæ, Canonum, Legumque Magiſtris coëquandi ſunt, ſed eam præeminentiam fere id hominum genus ſibi vendicat, quòd res pecuniaria fere ab ipſis dependeat, veremurque ne ſcrupulum aliquem impedimentumve injiciant, quo minus, quod

Digitized by Google

Regia Majeſtas in dotis augmentum, & Univerſitati liberaliter contribuit, conſequi queant. Quapropter D. V. dignabitur, quæ ſemper ſtudioſis affecta fuit, patronum ſe ei Academiæ exhibere.

Scripſit ſemel atque iterum ad Illuſtriſſimum Ducem Regia Majeſtas de conquirendo Confeſſore, Medico ac Chirurgo pro commoditate Curiæ, qui Præſidi Tyſenachio ac mihi id injunxit. Verùm moram nobis injicit, quod neſciam, quæ eorum futura ſint ſtipendia, emolumentaque, ac quod nemo lubenter ſine viatico longam profectionem inſtituit.

Cùm mihi autem perpetuo cum Chirurgis res ſit, à quibuſdam mihi commendatus eſt quidam verſatus in Italia ac Gallia, bene idoneus, ſed deſiderat centum coronatos pro ſumptibus itineris ac aliis damnis, quæ ſuſtinere cogitur ex mutatione rei familiaris. Quamobrem ſi hunc aliosque ad vos mature venire volueritis, opus eſt ut de viatico provideatis, nam hîc, qui pecuniam petunt, ſurdis fabulam narrant. Bruxellæ. II. Auguſti. CIↃ IↃ LXXII.

EPISTOLA CLXXVI.

Deputati Statuum benigne ex Hiſpania præter opinionem dimiſſi. Veretur ad effectum deduci non poſſe, quæ Rex decrevit. Conſiliis olim ſuis non eſt amplius locus. Religio tota regione periclitatur. Boni in exilium ſponte eunt. Carpit Hopperum, quod ſe aliosque miniſtros Belgas omnium calamitatum reos facere videatur. Non ad ſe pertinere ait, quod Regis juſſio impleta non fuit. De x. den. in ſententia ſua perſiſtit. Status Reip. vix non ſine remedio. Excuſat quod parcius de motibus Belgicis ſcripſerit. Senatores Hollandi Trajectum ſeceſſerunt, inſtituto a Geuſiis Hagæ-Com. novo Conſilio, & celebrato Dordraci Statuum conventu. Ruræmundæ in religioſos ſævitum. Corretius & Quarebbe

Digitized by Google

rebbe in cuſtodia Dordraci. Status Friſiæ. De re pecuniaria Hopperi, de Duce Med. Cœli, de rebus Burgundicis. Mors præpoſiti Ultrajectini, pro cujus ſucceſſore commendat nepotem ſuum. Scribit ſe deficere corpore & animo.

PEr Meytingum, CL. D. HOPPERE, literas D. T. accepi, ſed communicatione commiſſa D. Theſaurario Schetſio cum eo ſuper negotio, cujus gratia huc venit, plurimisque Duce negotiis aliis implicito, nondum ejus relatio facta eſt. Expedit verò ſemel mercatoribus ſatisfactionem præberi, ne fides Principis penitus concidat. Huc etiam poſtea advenit Trelongius, qui mihi literas veſtras reddidit, retulitque, quanta benignitate Regia Majeſtas Deputatos noſtros iſthinc dimiſerit, quod tamen præter quorundam opinionem accidit, qui indignationem carceresque eis minitabantur. Optarem autem poſſe ad effectum deduci quæ Regia Majeſtas decrevit, ac quibus iſthuc Deputati lubentes acquieviſſe videntur. Verùm metuo magnopere ne in hoc rerum ſtatu magnas experturi ſimus difficultates, cùm hoſtes præ foribus ſint, ac multas Provincias noſtras, partim adverſarii occuparint, partim intraneus miles extraneusque exedat, & pecuniæ difficulter inveniri poterunt Salubribus autem conſiliis, quæ ante ſæpe ſuggeſſimus, amplius locus vix conceditur, experimurque nimis verè ea nunc evenire, quæ ſæpe antea veriti ſumus, ac taceo de religione, quæ tota hac regione valde periclitatur, privatis etiam fortunis plurimi boni viri, fidelesque exuuntur, ac domibus omnibusque relictis, in exilium abire coguntur. Unde autem hoc malum procedat, jamdudum, ſi fides nobis adhibita fuiſſet, vobis prædictum fuit & D. V. poſtremis literis ſuis, XXI. præteriti menſis die datis, ſatis indicat; ſed ſic ſcribit, tanquam nos omnes eorum reos faciat, quanquam ad alios hoc pertinere putem. Ego, ut neminem reprehendere aut culpare velim, ita apud Majeſtatem Regiam facile excuſatum me fore ſpero, nec enim unus alterius culpa prægravari debet. Quod verò D. T. dicit, nullam ſalubrem Regis juſſionem executos nos eſſe, ad id illi reſpondebunt, quibus Rex

Digitized by Google

jussit, & quorum consiliis obsecutum fuit. Illud autem quod Regiæ Majestati placuit mandare de decimi denarii executione, nunquam contradixi, verùm celare neque debui, neque potui, quantum eam omnes abhorruerint. Proinde visum mihi fuit, contra communem populi sententiam niti, perinde esse, ac si quis adverso flumine natare instituat. Adhæc ab universis Statibus tam multæ in contrarium allegatæ fuere causæ, unde ruinam Patriæ imminere sustinebant, ut eas Regiæ Majestati plenius exponendas expendendasque judicarent, priusquam res in periculum deduceretur; quod jam, proh dolor! experti sumus.

Remedium à nobis novissime propositum nonnihil profore spero, nisi ille, qui antea sæpe reluctatus fuit, rursùs scrupulum injiciat. Et instructio, à vobis unà missa, vereor ne magnum ad tranquillandum res impedimentum præbeat, cùm illi, qui authores fuerint ad occupandas dolo ac insidiis urbes, in exulum banitorumque numero sint, qui favore amicorum, consanguineorumque, ac affinium adjuti fuerunt, penes quos urbium occupatarum fere potissima est authoritas, cùm boni cives ab illis oppressi, mutire non audeant. Sed brevi, spero, Duce cum justo exercitu in arenam prodeunte, & nobis animi redibunt, & mali gratiam ultro implorabunt. Bene vale, CL. D. Hopperi. v. Augusti. CIↃ IↃ LXXII.

De iis quæ hîc geruntur, quod parcius ad D. T. scripserim, partim, in causa fuit, quod ea non sine magno animi dolore, indignationeque commemorare potuerim, partim quod vos contristari noluerim: cùm quotidie defectiones urbium, subditorumque Majestatis Regiæ nobis annuncientur, & in Hollandia, præter Amsterodamum, nullus pene locus ibi in Regis obsequio manserit. Ac ante nonnullos dies revocatis militibus Hispanis, qui Roterodami, aliisque locis in præsidio erant, omnia mox in Geusiorum potestatem cessêre, profugientibus, unà cum iis, senatoribus Hagensibus, omnibusque Ministris Regiis, Trajectumque concedentibus, (12) ubi

(12) *Senatoribus... Trajectum, concedentibus* &c. Præses senatus *Cornelius Suys*, Dominus de Ryswyck, omnesque Senatores abiere Ultrajectum, uno excepto *Adriano Van der Houf*. Horum nomi-

Digitized by Google

ubi quoque non sine periculo agunt : Curiamque Hagensem occupavêre adversarii, præsidemque ac Consilium novum ibidem instituêre ; Conventusque Status Hollandiæ apud Dordracum celebravêre, emungunturque ubique quidquid possunt pecuniæ, & quam exerceant tyrannidem ex mandato quodam in contrarium edito colligere D. T. licebit. De genero tuo liberisque nihil adhuc certi rescire potui, nisi quod eos Gaudæ adhuc subsistere audiam.

Apud Ruremundam in Carthusianos, Canonicos ac sacerdotes nonnullos mirabile edidere crudelitatis specimen. (13) Retardavit autem repressitque eorum conatus nonnihil victoria Hannonica, sed dum nos imperati ab expugnatione Montium cessamus, nec exercitum ob equitum Germanicorum moram, in arenam producimus, nonnulla Brabantiæ oppida, aliaque, nonnihil quoque nutare incipiunt. Deus autem propitius animos subditorum in fide confirmet, ac nos ab hisce imminentibus periculis tandem liberet.

Corretius unà cum D. Quarebbe (14) adhuc in custodia apud Dordracum detinetur. Frisia nostra virtute D. a Billy hactenus salva permansit, repulsis aliquoties per eum Geusiis, qui Slotam, Cuneramque, ac Bloxzilam occupare tentarunt, sed nisi aliqua brevi hujus tragœdiæ catastrophe appareat, non video quomodo subsistere possit, cùm non modò hinc nullæ suppetiæ submitti valeant, sed occupatis locis urbibusque in medio existentibus, nunciis ad nos tutus accessus vix pateat.

De re pecuniaria tua Ducem interpellare non desino, & promisit mihi Albernotius se itidem apud Celsf. suam intercessurum, sed quum hactenus nihil nisi verba data sint, suadeo ut literis tuis iterum iterumque Celsf. suam interpelles.

Dux Medinæ Cœli Consiliis Status, quæ nunc solito frequen-

nomina reperies apud *Van Leeuwen Bat. Illustr. p.* 1472. 1473. *& seq.* De Conventu Statuum Dordraci habito *V. Borrium lib. 6. fol.* 281.

(13) *Crudelitatis specimen*] Vide Arn. Havens. de Erect. novor. Episc. lib. 2. cap. 6 & 7. & Borrium lib. 6. fol. 290. Vso.

(14) *D. Quarebbe*] Prætor urbis Lovanienſis *Petrus a Quarebbe* anno 1562. *Septem Tribus patriciæ Lovanienſes pag.* 45.

Digitized by Google

quentiora habentur, plerumque intereſt, verùm modeſtiſſime ſe gerit, neque auctoritatem aliquam aſſumit, ſed omnia ad Albæ Ducem rejicit : ac, quantum colligere poſſum, non levi tædio pœnitentiaque afficitur, quod in hæc tempora ſucceſſio ejus inciderit.

Aſcheus hac tranſiens per Burgundiam ad Imperialem Curiam profectus eſt, ac res Biſontina quotidie in pejus tendit, dum tempeſtive remedium non eſt adhibitum.

Vidua Courtewillii literis ſuis me nonnumquam interpellat, num aliquid de ſuo negocio intellexerim, meamque commendationem apud D. T. expetit.

Præpoſitus Major Trajectenſis (15) diem clauſit extremum, & Comitis Boſſuti frater ejus Coadjutor, ad eccleſiaſticum ſtatum parum affectus videtur. Velim autem te meminiſſe Buchonis noſtri, cujus conditionem cum noveris, commendatione apud te opus non arbitror. Sperarem autem non eccleſiæ tantum, ſed Regiæ Majeſtati non inutile ſervitium eum præſtare poſſe.

Ego, mi HOPPERE, quotidie magis atque magis deficio, & cùm corporis morbis graviter divexer, tum animum quoque hæc tempora non mediocriter angunt, nec deinceps tractandis publicis negociis ullo pacto aptum me ſentio. Pedem autem amplius proferre (*non*) poſſum, ſed dum ad Curiam adeſſe jubeor, ſellâ deferri cogor; quod velim per occaſionem Regiæ Majeſtati ſuggeras, quò me aliquando ab hoc jugo abſolvat. Datum ut in literis (16)

EPISTOLA CLXXVII.

Mandata ab Hiſpania miſſa haud placent Conſilio Turbarum. Banniti & exules quomodo condemnati. De gratia a Rege propoſita, quid ſentiat. Ex-

(15) *Præpoſitus Major Trajectenſis.*] *Cornelius a Myerop*, cui ſucceſſit *Antonius de Hennin de Boufſu. V. Catal. meum.*

(16) Quod ſubjungitur *poſtſcriptum*, e codice noſtro deſumptum, non eſt in editione Gabbemæ.

Digitized by Google

Excuſat ſe ab non executa Regis juſſione. Quid Bilium impedierit, ne Snecanis provideret. Exſpectatio ſua de obſidione Montenſi. Circa quotarum, loco x. den. ſolutionem, cum Statibus difficultas.

SUperioribus diebus, CL. D. HOPPERE. aliquid ad literas tuas, xx. Julii datas, reſpondi, committens id poſtarum Magiſtro, ut ſi forte curſor aliquis ſecretò expediretur, unà id mittere poſſit. Poſtea vero alter curſor advenit, per mare mediterraneum huc miſſus, cum mandatis, quæ à vobis iſthic viſum fuit pro remedio aliquo turbarum proponere. Ea verò tradita Conſilio, cui Vargas præeſt, ut illic examinentur, intelligo haud uſquequaque placere, nec ad noſtri Conſilii notitiam hactenus pervenere.

Banniti vero & exules (quorum maxima pars eſt eorum, qui has turbas excitavere) fere ob contumaciam & non comparitionem magis fuere condemnati, quam quod ex eorum numero fuerint, qui à vobis in inſtructione excepti fuere. Unde illi fortaſſis conſiderant totum confiſcationum negotium, quod tanto ſtudio procuravere, in confuſionem venturum, ſi gratia propoſita locum obtinebit, & plærique eorum jam rerum in Hollandia, Gelria ac Zelandia potiti, bona ſua confiſcata recuperavere. Verùm ſi quando DEUS ad nos ſe converterit, ut ad fidelitatem Regis oppida occupata redirent, magno uſui ſupradictata gratia eſſe poſſit, ſi tamen horum novorum tumultuum authores, poſt tot ſcelera, afflictamque miſere patriam, ut nullum pene templum ab eorum injuria immune manſerit, Sacerdoteſque, Monachos, ac Moniales ſedibus ſuis expulerint, boniſque exuerint, ac quoſdam etiam diris ſuppliciis affecerint eâ gratia gaudere deberent. Cùm verò ſæpius D. T. inculcet: ſi vos juſſa Regis executi fueritis, video D. T. innuere, quaſi & ego unus ex illis ſim, ad quos eorum executio pertinet, cùm ego minimum in eo poſſim. & vires amplius non ſuppetant, ut crebrò conſiliis intereſſe valeam. Et ut etiam valerem, jam antea tibi ſignificaverim, quomodo res omnes ſub hoc regimine tractatæ fuerint, & ſubinde, ad te perſcripſerim,

Digitized by Google

rim, quæ mihi displicerent, suggesserimque ea, quæ præsentem calamitatem à nobis avertere potuisse sperabam. Nolo tamen ita scripta abs me intelligi, quasi (17) accusatione me extorquere cupiam, ut in alios culpam transferam, qui cùm in suo sensu abundent, si quid secùs, quàm ipsi arbitrabantur, evenerit, vobis ipsis, qui ea fere comprobatis, imputare aliqua ex parte debetis.

De genero, liberisque, ac rebus tuis nihil certi hactenus intelligere potuimus, ut credam ipsos Goudæ sacramento adstrictos, ne quid scribant nuncientque.

Frisia nostra Bilii virtute egregie adhuc defenditur, quemadmodum, ex literis ipsius, Præsidisque Igrami, quas hisce junxi, intelligere poteris. Et sane illius virtus meretur, ut Regiam Majestatem non celentur servitia ipsius, oportunoque tempore ab ipso remunerentur. De Snecanis Igramus aliquid metuere videtur, sed speraßem Bilium facile provisurum fuisse, si tria Walonum vexilla, quæ Dux noster ei hîc conducere assenserat, dum in Frisiam proficiscuntur, non fuissent ab Hiergio Gubernatore Geldriæ, permissu Ducis, Neomagi, Arnemique in transitu detenta, dum majorem vim Principis Auraicensis amoliri satagitur. Verùm omnia mihi pendere videntur ex successu obsidionis, expugnationisque urbis Montensis, & ubi Dux in arenam fuerit congressus, castrisque se jungens, uti brevi futurum arbitramur, exercitum, adveniente Germanico equite, explicabit. Interea nos hîc (ut audio) relinquemur cum aliquo præsidiario milite sub Gubernatione Ducis Arschotensis. Concedat autem nobis propitius Deus, ut hîc diu tuto secureque subsistere possimus.

Cum Statibus, præcipueque Brabantinis, super eo quod à vobis in Hispania decretum est, difficulter convenimus, ac ante omnia decimum denarium simpliciter aboleri prætendunt, allegantque ejus assertionem ab D. V. illinc factam, etsi decretum Regis suspensionis duntaxat meminerit, & cùm nos allegamus, circa quotarum solutionem antea difficultatem hîc non fuisse factam, causantur nunc extremam populi paupertatem

(17) *Accusatione*] Ita in Cod. nostro & apud Gabbema. Legendum: *excusatione*.

Digitized by Google

pertatem, agrorumque depopulationem, ac urbes longo gravique præsidio afflictas: ut nisi à vobis succurratur, etiam parta contra hostes victoria, neque solvi stipendia extero, intraneoque militi debita poterunt, neque commeatus ad eum alendum suppetet, postquam ab exteris nihil inferri potest, & commertia ubique cessant. De pecunia tua deligenter D. à Loo & ego sollicitamus, sed hactenus præter verba nihil impetrare potuimus. Bene vale, HOPPERE CL. ac conjugem bono animo esse, melioraque nobiscum sperare jube. Bruxellæ. XVII. Aug. CIↃ IↃ LXXII.

EPISTOLA CLXXVIII.

Albanus cum Duce Medinæ Cœli ad obsidionem Montensem profectus. Deplorat Hollandiam, Gelriam, Transisulaniamque amissas, & Frisiam periclitari. Status petunt x. denarii abolitionem, & in subsidiis conferendis antiquum morem restitui. De præsidatu Burgundiæ. De rebus Anglicis. Mercatorum operâ in rebus-publicis non utendum. Altercatio cum Anglis populum in desperationem abegit.

CL. D. HOPPERE. Hesterna die Illustrissimus Dux noster Albanus hinc ad castra, quæ sunt in obsidione ad Montes Hannoniæ, profectus est, comitante eum Duce Medinæ Cœli: quod desideramus ante mensem unum, in recenti victoria, consternatisque obsessorum animis, factum fuisse: sed pulveris bombardici, aliarumque rerum necessariarum defectus, hactenus eum remoratus fuit, qui aliqua ex parte processit, quod omnis earum cura fere commissa fuerit ils, qui rerum nostratium ignari, honoris & præmii, quàm laboris ac sollicitudinis, appetentiores sunt. Et nisi cito se ante Montes expediant, valde verendum est, ne alia majore necessitate coacti, inde discedere cogantur. Obsidio autem ista magno admodum Regi constat, cùm interea fere Hollandiam, Zelandiam, Gelriam, Transisulaniamque perdide-

Digitized by Google

rimus. Jamque de Friſia in dubium venimus, prout ex domini Roblii literarum exemplo cognoſces, occupata patria tua Sneca: ut ego de Leovardia non melius ſperem, ſi vexilla, quæ Roblius ſuo ære conduxit, & in Gelria retardata fuere, longius detineantur. Intelligis autem, quam jacturam Regia Majeſtas factura ſit, ſi Friſiam amittat, quam non ea facilitate forſitan recuperabit, quâ cæteras Hollandiæ urbes. Ego autem, qui omnem fortunam meam, ac quicquid à patrimonio acceſſit, atque induſtria mea per totam vitam acquiſivi, illic (uti ſcis) collocatum habeo, & uno die deperdo, quo animo hoc infortunium ferre debeam, ipſe perpendere poteris.

De pecunia tua quid impetraverimus, proximis meis literis ad te ſcripſi. Interea tuas IX. Auguſti datas accepi.

Cum Statibus hîc præſentibus magnæ nobis difficultates ſunt, inde potiſſimum exorientes, quod omnimodam decimi denarii abolitionem petant, ſine qua populum quietari poſſe negant, & quod ſurrogabitur, ut perpetuum ſit, omnes reclamant, cupiuntque veterem morem reſtitui, ut in aliquot annos conſentientes, poſt eos expletos, juxta neceſſitates publicas facultateſque Provinciæ, ſubſidia Principi præſtentur. Nam ut res noſtræ, nunc ſunt, vix quartam partem ejus præſtare poſſe vident, quod antea dare ſolitæ ſunt. Ingruente autem neceſſitate officio ſuo non defuturos pollicentur.

De Præſidatu Burgundiæ ſuſcipiendo cum aliquibus, qui non inîdonei videbantur, hîc egimus, verùm nulli perſuadere potuimus, ut eam conditionem apud eam gentem, quæ exteros non ſatis fert, & per ſe multis paſſionibus agitatur, ſuſcipere vellet. Et Urdio ad eam author eſſe non audeo, & illum quoque apud Ducem non magnum favorem habiturum exiſtimo, quem Vargius, ob Rollemæ diligentem ac fidelem defenſionem, plane avertit, quem tamen ego meliore fortuna conditioneque dignum exiſtimavi.

D. Geraldus de rebus Anglicis non omnino vana narrat, quanquam Courtewillio, ac me, pro Milio intercedentibus, nihil ejus impetrare potuimus, & ſi aliqua licentia ei conceſſa fuerit (quod ego ignoro) Ducales ſibi id magis quàm nobis deberi voluiſſe autumo. Quod ſi autem permiſſum fuiſſet,

Digitized by Google

fuiſſet, ut literæ Regiæ ante duos treſve annos ad Reginam ſcriptæ, ipſi traditæ, ac procuratoria ipſi exhibita fuiſſent, res forte meliorem habuiſſet exitum. Neque unquam mihi placuit mercatoris opera in rebus publicis uti, quod illi ſemper, quæ ſua ſunt, quærant. Venditio quoque mercium Anglicarum hîc facta, concordiam non multum promovit, verùm prudentiorum potentiorumque conſiliis reluctari non potui. Illud autem apud me perſuaſum habeo, ſi hæc cum Anglis (18) alteratio non incidiſſet, ibidemque piratæ recepti ac adjuti Anglorum favore non fuiſſent, nunquam ipſos ad occupanda loca noſtra maritima oportunitatem facultatemque habituros fuiſſe, neque ex navium merciumque amiſſione, piſcationumque impedimento, ad hanc deſperationem populum venturum fuiſſe. Sed ita res fere ſuccedunt, ubi non conſiliis, ſed experimentis creditur.

Viduæ D. Courtewillii cauſam non poſſum non D. V. ex animo rurſus commendare, cùm meam operam amico morienti promiſerim. De eo autem, quod tibi ab eo debebatur, illam per Vaſſurium admoneri curavi. Bene vale, HOPPERE CL. cum omnibus tibi charis. Bruxellæ. XXVII. Auguſti. CIↃ IↃ LXXII.

EPISTOLA CLXXIX.

De urbis Montenſis deditione. De Principis Auraicenſis tranſitu per Brabantiam, de rebus Friſicis, ac de Epiſcopis & Conſiliariis Mechliniæ captivis.

CL. D. HOPPERE; literas tuas VII. Septembr. datas accepi, cùmque ſub idem tempus urbs Montenſis deditione capta eſſet, arbitratus, Ducem noſtrum id continuo Regiæ Majeſtati ſignificaturum, hocce epiſtolium ad Magiſtrum Poſtarum in caſtris exiſtentem, dare volui, ut unà mitti curaret.

De capitulis autem concordiæ ac deditionis nihil indicare certi

(18) *Alteratio*] Lege: altercatio.

Digitized by Google

certi possim, postquam ea nondum nobis communicata fuerint. Interea autem Princeps Auraicensis cum exercitu ex Hannonia rediens, & circa hanc urbem transiens, duasque vel tres noctes ibidem pernoctans, nobis nonnullum metum incussit, sed tandem Mechliniam, ac ad vicina loca contendens, nos paullo securiores reddidit, præsertim cùm ab obsidione noster exercitus liberatus, succurrere facilius nobis possit, & Auraicensem insequi.

Quæ in Frisia aguntur, ex exemplis literarum cognoscere D. T. poterit; valde autem contristatus fui cùm intelligerem nonnullos, de quibus bene meriti sumus, in partes inimicorum concessisse. Episcopos nostros apud Mechliniam captivos, Consiliariosque Magni Consilii speramus conditionibus tractatus Montensis liberos fore, inter quos & Blaserius est, quem cùm primum potero, necessitatis liberorum suorum apud Salamanticam certiorem reddam. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. XXII. Septembris. CIↃ IↃ LXXII.

EPISTOLA CLXXX.

Versantur Bruxellis inter spem, metumque; exitum prælii inter Albanum, Principemque Auraicensem expectantes. Mechlinia, Lovanium, aliaque oppida amissa.

CL. D. HOPPERE. Versamur hîc adhuc inter spem metumque; & morbi nostri crysis in propinquo est, cùm conjuncti sint exercitus, ut sine prælio separari non posse videantur. Interea adhuc quotidie à nobis civitates desciscunt, & mirum quantopere omnium animi ab imperio nostro abhorreant, dum de gratia boni malique desperant. Nec vos latere puto, quo pacto post Mechliniæ amissionem, Lovanium quoque in potestatem adversariorum redactum sit, cum aliis oppidis vicinis, ut & nobis multi metuant: verùm cùm ita placuit Duci stationem relinquere, non potui (19) quanquam

(19) Desunt nonnulla in MS. & apud Gabbema quoque.

Digitized by Google

quam optaremus firmiora præsidia majoremque civium concordiam, sed DEO committere nos oportet. Si quid melius acciderit, arbitror Ducem ex castris vobis citius id adnunciaturum, cùm nos cursorum abitum præscire nequeamus. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ. XVI. Septembr. CIↃ IↃ. LXXII.

EPISTOLA CLXXXI.

De Rollemæ facinoribus. Expilatio urbis Mechlinienſis. Teneramundenſium defectio. Quæ ſpes recuperandi amiſſas urbes. De. x. denario. Lovanienſes ad Albanum excuſatum mittunt.

CL. D. HOPPERE, Quænam in Friſia gerantur, ex adjunctis literarum exemplis D. V. cognoſcet.

Rollemam Grieteniam Petri Buygerii invaſiſſe, eamque authoritate Principis Auraicenſis exercere, ac bona omnia ipſius Petri, & Jaquelinæ in ædibus Snecæ per auctionem vendita, preciumque eorum fiſco (cujus ipſe Rollema receptor eſt) illatum eſſe, ad me perſcriptum fuit. Spero autem aliquos jam pœnas luiſſe, quanquam particularia de iis, quæ apud Stauriam, & in Hinnelum cæſi fuere, nondum intelligere potui. Princeps autem Auraicenſis, poſt deditam urbem Montenſem, longius à nobis receſſit, ac noſtro exercitu Mechliniam verſus tendente, intempeſta nocte, profugientibus inde Geuſiis, Hiſpani, Valonique milites, ſcalis mœnia conſcendentes, urbem eam cepere, quam Illuſtriſſimus Dux in prædam ipſis dedit, exceptis Eccleſiaſticorum, Conſiliariorumque domibus, Epiſcopis captivis, reliquiſque libertati reſtitutis. Viſum autem mihi fuit jungere copias literarum, tam Mechlinienſium, quàm præfati Principis, quibus ipſis Tenremundenſibus perſuaſere, ut in ſuas partes concederent, unde impudentiam, & quo ſe protervitas eorum extenderit ample cognoſcere poteris. Bona autem ſpes nos habet recuperandi cæteras urbes ab Geuſiis occupatas, ſi tempus hybernum ſuffragaretur, & militibus ſtipendia non deeſſent, qui profecto omnia paſſim vaſtant, agricolaſque depauperant, par-

Digitized by Google

vaque ſpes eſt, aliquid ſubſidii auxiliique à Statibus impetrari poſſe, quamdiu Rex decimum denarium non omnino abſolute aboleri jubet. Quod autem ejus loco ſurrogabitur, nullo modo, ut perpetuum ſit, induci Status poſſunt, ſed tantum ad triennium, quadrienniumve illud præſtare offerunt. Quod cùm Duci neutiquam arrideat, videtur belli ſucceſſum malle experiri, quàm ab opinione ſua diſcedere.

Scriptum à vobis nuper miſſum hactenus ſuppreſſum fuit, forſitan, quod ea, quæ ipſum continet, non omnino cum veritate conſentiant. Nam de indulgentia, militariumque inſolentiarum coercitione, ac aliis nonnullis, quam parum fiat forſitan aliunde D. V. intellexiſſe arbitror. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. III. Octobr. CIↃ IↃ LXXII.

Lovanienſis Senatus, Univerſitaſque ad Ducem cum exercitu huc Mechliniamque redeuntem, legatos ſuos miſere excuſatum, deprecatumque veniam, quod vi neceſſitateque compulſi Auraicenſi ſeſe ſubmiſerant. Nobis autem, licet pro illis intercedentibus, non aliud reſponſi retulere, quam Excellentiam ſuam de eorum veritate, quæ geſta ſunt, ſeſe plenius informaturam, deſtinatis eo aliquot cohortibus atrorum equitum, qui in urbem admiſſi, magno terrore omnes affecerunt, idem illis minati, quod apud Mechliniam Hiſpani, Walonique perpetrant. Verum nos meliora ſperamus, licet ob non ſolutionem ſtipendiorum, ad pejora conſilia forſitan impellentur. Datum ut ſupra.

EPISTOLA CLXXXII.

De Dolana & Lovanienſi Univerſitatibus. Hanc anxie excuſat a Capitulatione cum Principe Auraicenſi inita. Exponit miſerum Belgii ſtatum. Urget miſſionem ſuam, quam a decennio petiit. Nihil ſub regimine Albani boni ſperandum, miraturque Regem non aperire oculos. Non ſoli hæreſi adſcribendum malum; venia, non rigore agendum. De Remb. Dodonæo. De Coadjutoria beneficii

Digitized by Google

neficii ſui. De Confiſcatione bonorum Admiralli Franciæ.

CL. D. HOPPERE. Favorem quem D. V. in negotio Univerſitatis Dolanæ pollicetur in mei, Wibrandique gratiam, gratiſſimum habeo. Reſolutum autem erat jam pridem apud Ducem, id quod circa illud Regi ſuggerendum videbatur, ſed mors Courtewillii, occupationeſque bellicæ quibus Bertius Secretarius, (cui ejus expeditio mandata fuit) detinetur, hactenus eam ſunt remoratæ.

Lubenter quoque intellexi liberalitatem Regiæ Majeſtatis erga Univerſitatem Lovanienſem. Sed incidit quædam nebula ex infortunio civitatis Lovanienſis, quod & Univerſitatem illam involvit: graviſſimèque tulit Dux noſter capitulationem cum Principe Auraicenſi initam, in quam & Univerſitas pertracta fuit. Et certe, quæ de Principis ſuſcepta protectione, libertate Religionis, ac abolitione Inquiſitionis, ea continet, indignationem mererentur Majeſtatis ſuæ, niſi vis major (ne in omnimodam ruinam adducerentur) hoc extorſiſſet. Factum autem mox excuſavere; & ad priſtinam fidem obedientiamque rediere: quibus apud Regiam Majeſtatem D. V. patrocinari dignabitur, ne quid offenſæ apud eam incurrant. Inter omnes enim urbes, quæ aliquam his perturbatiſſimis temporibus culpam contraxere, excuſatiſſima mihi videtur Lovanienſis civitas, quæ hoſtibus mœnia oppugnantibus fortiſſime reſtitit, & cædis, totaliſque ruinæ periculum iſta capitulatione evitavit.

Quis autem hujus noſtræ urbis ſtatus fuerit D. V. conjectare poterit, cùm bis nos Principis exercitum in Creynhem, ac vicinis pagis conſpexerimus; nec civium militumque ea nobis videretur concordia, quam periculi magnitudo requirebat. Verùm DEUS propitius graviora mala à nobis avertit, vicinæque urbes, quæ Principis fidem ſecutæ fuerant, magno ſuo damno reductæ ſunt. Inter quas Mechlinia, Teneramundaque extrema ſunt paſſæ, nec meæ quoque apud Teneramundam ædes à præda immunes fuere. Hæc, mi HOPPERE, cùm mecum conſiderem, indiſpoſitionemque, ætatem, ac valetudinem meam perpendam, non poſſum non deſiderium votumque meum cum omni ſtudio proſe-

Digitized by Google

prosequi, quo tandem hisce me Reip. curis extricem, ne rursus hujusmodi discrimina incurram. Jam autem pene decennium est, quod hoc ago, sed Rex me semper, & spe adventus sui, & meliorum temporum, inani expectatione lactavit, detinuitque, quæ ego quotidie in pejus tendere video, &, ut libere dicam quod sentio, vix potest aliquid sub hoc regimine boni sperari. Miramur quoque Regem non aperire oculos, nec interitum Provinciæ suæ videre, neque tot querimoniis Statuum commoveri aures-que præbere.

Quod vero nonnulli hæresum infectioni totum hoc malum adscribant, id quàm maligne fiat DEUS novit, cùm pluribus in urbibus religio multo syncerius, quàm ante sex annos, colatur: quæque in locis, quæ ab obedientia Regiæ Majestatis distractæ sunt, adversus Catholicam religionem perpetrata sunt, fere procedunt à malitia eorum, qui hinc banniti fuerunt, quorum aliquot sunt milites, qui rebus fortunisque exuti, ex Ecclesiasticorum bonis restaurationem quærunt. Et si denuo simili ratione adversus eos procedetur, qui nova hac rebellione involuti fuere, aliquot centena millia hominum solum mutare cogentur, quos venia ad meliorem mentem, religionem ac fidem revocare possit, quod & à vobis isthic prudenter visum fuit, sed executionem, ob quorundam (uti multis videtur) erga gentem nostram odium, differri dolemus. Mechlinienses certe omni fortuna exuti sunt, unde Rembertus Medicus, qui alibi fortunam quærere cogitur, nunc ad conditionem olim ei propositam propensior videtur, facileque eum impuleris, ut isthic commigret, quando cum alio nondum convenire potuimus, ut conditionem acceptet.

De Legatorum, qui in Hispania fuerunt, reditu, nihil adhuc audimus, & illi cùm omnia ad suos antea perscripserint, non multum videntur causam publicam promoturi esse, cùm, ut antea ad D. T. scripsi, nisi abolita fuerit decimi denarii memoria, atque in certos annos ea restricta contributio, videantur nostri potius extrema experturi, quàm ab sententia discedant. Contra vero Dux omnino videtur contendere, ut quod decimo denario surrogabitur, perpetuum sit. Cùm verò pecunia ad militum stipendia deficiat, veremur,

Digitized by Google

remur, ne cæteris bene ſuccedentibus, Provinciæ noſtræ militibus exedendæ tradantur, novorumque inde malorum materia ſuboriatur.

Bilii egregia merita Regiæ Majeſtati per occaſionem te commendare velim. Ejus enim virtuti, quicquid reliquum in obedientia Regis in Friſia permanſit, debetur.

Gratiam D. V. magnam habeo pro ea, quam erga nepotem meum Buchonem oſtendit, benevolentia. Boſſuti autem fratri (20) propinqui ejus perſuadere ſatagunt, ut præpoſituram retineat, quoadusque viam præpararint, ut in alterum, quem promovere deſiderabunt, reſignari ea poſſit.

Cogitavi vero ego aliquando de nepote ad Coadjutoriam beneficii (21) mei aſſumendo, ſed id ex Regiæ Majeſtatis benignitate pendebit, à qua, an illud petere audeam, non ſatis ſcio. Cùm autem ille præ cæteris collegii mei maxime idoneus ſit, & meis ſumtibus dignitatem eam ſuppreſſam reſuſcitarim, ac de Eccleſia non parum me meritum ſperem, forſitan Regia Majeſtas, à cujus ſolius nutu id pendet, in deſiderium meum non gravate conſentiet, ſi bonus patronus acceſſerit.

Gener liberique tui apud Dordracum adhuc hærent, de quibus D. à Loo certiora ſcribere poterit, ſperamus autem brevi civitates Hollandiæ in viam redituras.

Admirallum Franciæ non ignoravimus bona in Comitatu Burgundiæ poſſediſſe; inde enim patris ejus origo familiaque recenſetur. Colygnacenſis enim eſt in limitibus Burgundiæ, Sabaudiæque, ſeu Breſſiæ, cui adjacet etiam pagus Andelotum, à quo frater ejus nomen tenebat, verùm non magni eſſe momenti intelleximus. Suggeſſi autem de ipſis aliquid Duci, verùm non exiſtimavit ea tanti, ut crabronem irritandum cenſeret. Et cùm de bonis fiſco applicandis ad unius Vargæ

(20) *Boſſuti autem fratri*] *Antonius de Hennin de Bouſſu*, frater *Maximiliani* Comitis de Bouſſu, fuit præpoſitus Majoris eccleſiæ Ultrajectinæ; poſt quem nullus Catholicus eam dignitatem poſſedit. *Vide Catalog. meum.*

(21) *Coadjutoriam beneficii*] nempe, Præpoſituræ S. Bavonis Gandavi, quam ejus nepos *Bucho Aytta*, Canonicus S. Bavonis & Archidiaconus Iprenſis, conſecutus re ipſa fuit.

Digitized by Google

Vargæ collegarumque ſuorum cognitionem pertinere voluerit, non lubenter falcem in alienam meſſem mitto.

Courtewillii vidua, quæ in arce Aldenardana apud Bailli-vum mariti patruelem, omnem mundum pretioſaque quæque depoſuerat, omnia in ejus occupatione amiſit. Deſideraremus autem Ducem noſtrum, eum illi favorem impendere, quem defuncti ſervitia promerita fuerunt; videbo autem, cùm Dux huc redierit, ut ipſe quoque ejus cauſam, quoad licebit, apud eum promoveam. Bene vale, HOPPERE CL. & conjugi, liberiſque multam ex me ſalutem dicito. Bruxellæ. XIII. Octobr. CIↃ IↃ LXXII.

EPISTOLA CLXXXIII.

Dodonæus recuſat in Hiſpaniam migrare, nec idoneus alius medicus invenitur; & de chirurgo ac Confeſſario laboratur. De Statuum deputatis, aere. den. & quotis annuis. De Orſchotenſi præbenda vacante. De rebus Friſiæ. Schoonhovia interceptâ. Dordracum munitum. Mechlinienſis urbis miſer ſtatus, cum quibus nimis rigide (dubium, an ex Regis ſententia) agitur. Abrogato Magiſtratu, Gubernator ibi & Teneramundæ conſtitutus. De Aldenardenſibus. Titelmanni obitus. Lovanienſes commendantur. Ipſe pedibus æger.

CL. D. HOPPERE; ad noviſſimas literas D. V. XXVI. Septembr. ſcriptas, XIII. præteriti menſis Octobr. reſpondi. Rembertus (22) Medicus, quem ſperabam ob publicam priva-

(22) *Rembertus*] Dodonæus. Is in Hiſpaniam profectus non eſt, ſed in Hollandiam ſeceſſit, & obiit Lugduni Batavorum anno 1585. ut eſt apud Val. Andream. Antea tamen Viennam Auſtriæ conceſſit, eò invitatus ab Imperatore. V. inf. Ep. CCXXXIX.

Digitized by Google

privatamque calamitatem urbis Mechlinienſis, conditionem Curiæ veſtræ non aſpernaturum, coram plenius mecum ſuper ea diſcurrens, in eam tandem ſententiam reſolvit in hac ætate ſolum, cœlumque mutare non poſſe. Nec ſane facile hîc inveniemus Medicum aliquem bene doctum ac idoneum, qui ut eam Provinciam ſuſcipiat, perſuaderi à nobis poſſit. Indicavit autem mihi, quendam Ludovicum Potis medicum Antverpienſem, tibi non incognitum, hanc conditionem non illubenter ſuſcepturum, ſed eum vobis commendare non ſatis auſim, poſtquam nec Doctoris Remberti judicio ſatisfacit. De Chirurgo jam pridem providimus, qui, ut ad vos proficiſceretur; curaremus, ſi de Confeſſore ac Medico itineris comitibus, diſpexiſſemus. Verùm, ut etiam invenieſſemus quales vellemus, ſine bono viatico extrudere ad tam longinquam exteramque Provinciam non facile poſſumus: & hîc fere ad quaslibet neceſſitates ſupplendas pecunia deficit.

Deputati, qui apud vos fuerunt, nondum rediere, præter Brugenſem Senatorem ac Decanum (23) Atrebatenſem, ſed antequam reliqui advenerint, fruſtra illorum relationem expoſcemus. Interea tractatio cum Statibus hîc quieſcit, veremurque, ne fruſtra cum illis agamus, niſi de abolitione decimi denarii plenius illorum petitioni ſatisfiat, & ſcrupulus de perpetuatione quotarum illis eximatur. Quanquam in tanta Provinciæ noſtræ calamitate vaſtationeque, quonam pacto id, quod de quota ante obtulêre, præſtare queant, non ſatis videmus.

De Re pecuniaria tua Albertus à Loo diligenter ſollicitat, ſed nihil hactenus conſequi potuit præter ſpem, quam Martinus à Bergis quæſtor confiſcationum, perbenigne illi initio obtulit, verum propter hæc tempora periculi plena non ſatis hîc conſiſtere auſus fuit.

De Orſchovenſi (24) præbendæ vacatione vereor ne longa futura

(23) *Decanus Atrebatenſis*] „ Nicolaus Lengaigne, primus „ poſt Synodum Tridentinam canonici theologi munus ad „ nominationem Univerſatis Lovanienſis adeptus, ſit decanus „ die 4 Aprilis (*annus non notatur*) per reſignationem *Joannis* „ *Barbier*. Delegatur in Hiſpaniam a tribus Arteſiæ Ordini„ bus." *Gall. Chriſt. Tom.* 3. *col.* 368.

(24) *Orſchovenſi præbendæ vacatio*] Orſchovium municipium Cam-

Digitized by Google

futura ſit expectatio, cùm & tuum filium alii nondum proviſi præcedant, neque ita multæ in ea Eccleſia ſint præbendæ, quarum collatio Merodiis cum Rege alternatim competit.

De Friſia non habeo quod tibi hoc tempore nunciem, ac licet ſperarim, exercitu noſtro in Gelria propinquiore loco exiſtente, Leovardienſes noſtros facilius repreſſuros reliquorum rebellium iſthic conatus, hactenus tamen ipſis ſubveniri non potuit, quod noſtri adhuc in obſidione Zutphaniæ detineantur, pluraque alia loca ibi ſubigenda reſtent, in quo hyberno hoc tempore non parva difficultas erit. Interea Auraicenſis Hollandiæ urbes circumit, eorumque animos in rebellione confirmat, ac quantum poteſt pecuniæ emungit. Schoonhoviam, quæ in fide fortiter conſtiterat, obſidione preſſam, Lumejus nuper per deditionem accepit. Dordracenſes quantum poſſunt civitatem ſuam communiunt; ubi apud ſocerum Milius uxorem filiam tuam reliquit. Ipſe ubi agat D. Albertus à Loo plenius D. T. ſignificare poterit.

Mechlinienſis urbis miſer eſt ſtatus, nec ſatis potui Conſiliarios noſtros confirmare, ut ad continuandam iſthic habitationem animum inducerent, cum quibus ſane, ut cum multis bonis civibus, nimium rigide, ne quid aliud dicam, actum fuit, atque adhuc agitur. Quæ an ex Regis ſententia omnia fiant, valde dubito. Abrogato autem Magiſtratu, D. à Zweveghem cum aliquibus advocatis aſſeſſoribus, Gubernator ibi conſtitutus eſt, eademque jurisdictionis ratio Tenremundæ inſtituta.

Cum Aldenardenſibus clementius actum fuit, quos rebelles ad adventum Comitis Reuſii profugientes, nimis crudeliter tractavere, paſtoribus, ſacerdotibuſque in fluvium abjectis atque ſubmerſis. Gaudeoque Gandavo ſecuritatem redditam, cui antea graves imminebant Tenremundani, Aldenardenſeſque hoſtes.

Apud Cortracum nuper Titelmannum (25) amiſimus morbis

Campiniæ Brabanticæ, habuit, ante mutatam religionem, undecim Canonicorum Collegium, de quo Vide *Hiſt. Epiſc. Sylvæducenſ. p.* 181.

(25) *Titelmannus*] Petrus, Haſſelenſis, de quo ſæpius; & vide-

Digitized by Google

bis mœroreque animi confectum ob præsentem Reip. statum.

Lovaniensis civitas adhuc in suspenso detinetur, quod si declaratio gratiæ diu differtur, verendum, ne civitas academiaque irreparabile damnum inde sit acceptura.

Ego adhuc pedibus æger, neque, quoad reliquum corpus, satis firma valetudine existens, hiberni temporis intemperiem subinde eximesco. Bene vale, HOPPERE CL. conjugemque ac liberos à me saluta. Bruxellæ x. Novembris. CIↃ IↃ LXXII.

EPISTOLA CLXXXIV.

Detestatur crudelitatem militarem in direptionibus urbium Mechlinien sis & Tenremundanæ. Regis animum præoccupant aliorum literæ, ut Viglio non credat. De Ducibus Albano & Medinensi judicium. Populi metum, ne ad x. denarii exactionem redeatur, depellere studet. Zutphania recuperata. Amortizatio Hospitalis sui. Episcopus Segobiensis promotus. Legati Belgæ ex Hispania reduces. Vota pro Republica.

CL. D. HOPPERE, binas jam literas IX. ac XVI. hujus mensis die à me scriptas, cursorum præfecto tradideram, quas tamen adhuc apud eum hærere intellexi, cùm ecce tuæ mihi adferuntur ultima Octobris scriptæ. Ex quibus intellexi, jam allatum fuisse ad vos nuncium deditionis direptionisque oppidi Mechlinien sis, ac Teneramundani. Quæ si vos isthic commovent, nos qui quotidie miserorum lamentationes audimus, conspicimusque, crudelitatem militarem non possumus non detestari, de qua multa dicere non lubet, cùm non dubitem vos aliunde plura cognituros esse. Verearque, cùm

videtur *Viglio* placuisse. Fuit S. T. Lic. Lovan. hæreticæ pravitatis Inquisitor, Decanus Rothnacensis, ac tandem Canonicus Cortracensis, ubi obiit diem supremum. V. sup. ad Epist. VII.

Digitized by Google

cùm literas meas ſubinde Regi recites, ne ex affectu potius quàm ex veritate, ac recto judicio, eas procedere exiſtimet, cùm aliorum literæ animum ejus præoccuparint: ac graviter aliquando nobis hîc interminatum fuit, ne quid de publicis rebus iſthic nunciemus, cùm hoc ejus ſit officium, cui rerum ſumma commiſſa eſt. Proinde D. T. rogo ut diligenter cavere dignetur, ne quid mihi indignationis, ex eo quod ad te aliquando leberius ſcribo, excitetur.

Cuperem autem mihi eam hîc materiam præberi, ut in laudibus eorum, qui de Rep. noſtra bene merentur, me diffundere poſſim, ſed adverſus conſcientiam meam, calamitatem ac ærumnas noſtras, tacere nequeo. Nec aliunde videtur procedere inter duos Duces ſimultas, cujus in literis tuis meminiſti, quàm quod ut unus in ſeveritatem vindictamque plus ſatis propenſus, ita alter mitiore ingenio præditus, ad clementiam pronior videtur, qui ſatis perſpicere creditur ea ratione, quam ille hactenus ſecutus fuit, hanc Provinciam quotidie magis ac magis ad exitium tendere, ſibique, ſi quando in Regimine ſuccedet, majores præparari difficultates. Ac neſcio an prior nonnihil ægre ferat, in hunc favorem affectuſque populi converti, ſuique quotidie odium creſcere. Quod tamen ex proſpero rerum ſucceſſu nonnunquam aliquatenus lenitur, niſi quod perſuaſum eſt populo, ne ad decimi denarii exactionem redeat, ſi fælicius ei res ſucceſſerint. Verùm quoad poſſumus eam opinionem depellimus, aſſertione Regiæ Clementiæ, quæ jam, quid incommodi exactio illa attulerit, perſpicuè cognoſcere potuit. Votiſque omnibus precamur, ut DEUS propitius amiſſas urbes ad Majeſtatis ſuæ obedientiam reducat, quo ex integrò de meliore Reip. adminiſtratione conſtitui ſemel poſſit. Cùm autem hæc dicto, lætus nobis adfertur nuncius de recuperatione Zutphanienſis urbis, quæ bombardis à noſtris ita concuti cepit, ut animi civium militumque conciderint, ac qui in præſidio erant, fuga ſibi conſuluerint, civeſque à ſe deſertos in necem prædamque dediderint. Ac jam in Zwollenſes, Campenſeſque, vires noſtræ, ut arbitror, convertentur; qui ſi ſuccubuerint, de Friſia quoque melius ſperare incipiemus. Exorta inter Barlemontium Noircarmiumque rixa mox compoſita fuit: ſed vereor, ne aliqui ligna foco apponere ſtudeant.

De

Digitized by Google

De expeditione missionesque literarum amortizationis hospitalis mei, magnas D. V. gratias ago, jamque domus exædificata est, sed metui, ne impia ista monstra, quæ tot præclara monasteria Patriæ nostræ incendio consumpserunt, in meum quoque ædificium novum odium invidiamque suam converterent.

Reverendissimo D. Segobiensi, (26) qui antea doctrinæ virtutisque suæ excellentia eximia præmia consecutus fuit, nunc ad summum honoris apicem vocato, non tam ipsi quàm toti Hispaniæ gratulor. Legatorum qui in Hispania fuere aliquot rediere. Abbas (27) videlicet Sancti Gisleni, ac (28) Audenburgensis, Pensionariique Flandriæ, sed cæteri adhuc expectantur. Utinam vero ii Statuum animos, Regiæ Benevolentiæ commemoratione, ita queant demulcere, ut tandem in unam conveniamus sententiam, quod præstet omnipotens Deus, qui D. T. totamque familiam incolumem conservet. Bruxellæ. XIX. Novembr. CIↃ IↃ LXXII.

EPISTOLA CLXXXV.

De Zutphaniæ obsidione. Ambo Duces Neomagi, ubi Gubernator Hollandiæ ac Frisiæ legati pro suppetiis. Desertio militum unde graves belli sumptus, præcipue in equitibus Germanis. Hollandi, Zelandique in rebellione persistunt. Hagenses exules. Unica urbs Amstelodamensis Regi fida.

CL. D. HOPPERE. IX. hujus mensis die aliquid literarum ad D. T. dictaram, sperans cursorem, qui ad vos ab

(26) *Reverendiss. D. Segobiensis*] Didacus Covarruvias, præses Castellæ.

(27) *Abbas S. Gisleni*] Matthæus Moulart, qui postea, Rege Philippo II. nominante, Episcopus Atrebatensis effectus est. Est abbatia Ord. S. Benedicti prope Montes Hannoniæ.

(28) *Audenburgensis*] Abbas Audenburgensis seu Oldenburgensis, Ord. S. Benedicti in diœcesi Brugensi, *Gaspar de Bovincourt*, Bapalmensis, (Locrio Atrebas) Eques Jerosolimitanus, ac œconomus S. Salvatoris in Aquicincto prope Duacum, destinatus Abbas a curia Bruxellensi an. 1569.

Digitized by Google

ab Duce mitteretur, hac tranſiturum, verùm ejus hactenus adventus dilatus fuit, ob retardatum Zutphanienſis urbis obſidionis ſucceſſum, de quo adhuc incerta nobis ſpes eſt, quod præſidiarii milites interea animos ad ejus defenſionem obſtinate obfirmarunt, qui antea perculſi fugam meditabantur. Dux autem Albæ ac Medinæ, dum exercitus circa Zutphaniam moratur, Neomagi ambo permanent. Venere autem illuc Gubernator Hollandiæ Comes à Boſſu, ac aliquot ex Senatu Friſiæ legati pro ſuppetiis in Hollandiam Friſiamque mittendis, ſed an aliquid impetrabunt, incertum eſt, quanquam enim ſatis copioſum exercitum Dux ab obſidione Montenſi reduxerat, Mechlinienſis tamen urbis direptio magnopere eum diminuit, quod prædæ magnitudo ad deſertionem plurimos invitarit, qui maximis comminationibus hactenus revocari non potuere, alioſque hyberni temporis rigor, ſtipendiorum atque commeatus defectus, à caſtris abſterret, ut vix ad obſidionem Zutphanienſem ſatis copiarum ſuperſit. Verentur quoque nonnulli, ne gloriam recuperationis urbium amiſſarum, ſibi filioque Dux Albanus reſervare velit, quam nemo ipſis invideret, ſiquidem in tempore fieret. Verùm multa cadunt inter os & offam, & ſumptus bellici ita excreſcunt, ut timendum nobis ſit, ne Rex illos ſuppeditare ultra gravetur. Et noſtræ Provinciæ ita vaſtantur exeduntur que, ut quantum lubenter vellent contribuere ſubditi, nequibunt. Magnam autem pecuniam perdidimus in equitum Germanicorum conductione, qui per Ducem Holſatiæ alioſque Germaniæ Principes in auxilium adſciti fuerunt, à quibus tamen parum fructus accepimus, nec minus quam ab hoſtibus miſeri agricolæ noſtri direpti fuere, à quorum prædationibus templa monaſteriaque nuſquam fuere immunia.

Hollandi Zelandique adhuc in rebellione fortiter perſeverant, in qua illos confirmat Principis Auraicenſis præſentia, qui exactionibus miſere eoſdem exhaurit, ſtultiæque ſuæ fructum ſerò Phryges ſapiunt.

Quid ex Friſia hîc habeamus, ex copia Feikonis literarum cognoſces. Generum qui cum uxore filioloque tuo & ſuppellectile Dordracum ſe receperat, relicta ibi conjuge, cum Joanne fratre inde ſe ſubduxiſſe intelligo; ſed quonam, ſcire non potui. Dominus autem à Loo certius fortaſſis aliquid indicabit.

Ha-

Digitized by Google

Hagenſes (29) adhuc apud Trajectum exulant, ſolaque ex Hollandicis urbs Amſterodamenſis, licet maxima damna perpeſſa, in fide ac officio perſiſtit. Bene vale, HOPPERE CL. conjugemque ac liberos à me ſaluta. Bruxellæ. XVI. Novembr. CIↃ IↃ LXXII.

EPISTOLA CLXXXVI.

Falſus rumor de oppidorum deditione. Præpoſitus Fonckius ex Friſia redux. Gelu intenſum, quo uſi non ſunt ad recuperandas urbes. Vinum in Germania pro ſe emptum, Dordraci amiſſum. Animi ab Albano magis magisque alienati. Albertus a Loo infirmus. Gandavenſis arcis præfectus mortuus.

CL. D. HOPPERE. Superioribus diebus ample ad D. T. perſcripſi quæ hic gerebantur. Poſt id autem tempus haud multum ſcriptu dignum accidit. Gaviſi autem eramus cùm rumor de deditione Bommelenſium, Gorcomenſiumque & quorundam oppidorum Hollandiæ huc perlatus eſſet. Sed quid ejus ſucceſſum impedierit, intelligere D. T. licebit ex copia literarum D. Præpoſiti Fonckii, qui ex Friſia rediens, quo ſuperiore æſtate cum commiſſione quadam abierat, diuque in itinere ob pericula moratus, ac tandem Noviomagum perveniens, ibidem ab Illuſtriſſimo Duce permanere juſſus fuit, quò in rebus occurrentibus conſilio aſſisteret. Gelu autem ab Calend. Novembr. uſque in finem ejus menſis ita continuum ac intenſum fuit, ut omnia ubique pervia exiterint, & ſi celeritate occaſioneque uti placuiſſet, facile omnia amiſſa recuperari poſſe videbantur, quam heri ceſſante gelu, ne amiſerimus, plurimum veremur.

De vinis quod ille meminit, ſi forte cognoſcere velis, infeliciter mecum actum ſcias, cum enim proxima quadrageſima

(29) *Hagenſes*] nempe conſiliarii Conſilii Provincialis, de quibus Sup. ad Ep. CLXXVI.

Digitized by Google

sima pro mille, aut amplius florenis in Germania mercari curassem, illa Dordracum allata, tuto huc advehi nequivere, succedenteque ejus urbis defectione, in prædam Geusiis cessere.

Dux Medinæ Antverpiæ expectatur, in quem omnium animi convertuntur, qui ab Duce Albæ magis atque magis alienantur.

Amicus noster Albertus ab Loo hesterna die in gravem incidit ægritudinem, ut M. Ægidius medicus nihil boni de eo nobis polliceretur, sed cum meliuscule habere ceperit, non omnino de eo desperamus.

Apud Gandavum animam efflavit nudius tertius arcis Præfectus cognominatus Salinas, frater, ut arbitror, D. Valesci Regii apud vos Consiliarii, mihi amicissimus, & civitati nostræ gratissimus, si quisquam ejus nationis alius, valdeque desiderarem aliquem nobis ab Rege dari æque commodis moribus successorem. Cogitavi autem de D. à Bilii; sed ille majora mihi mereri videtur, & nescio an eam conditionem acceptare dignaretur. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ. II. Decembris CIↃ IↃ LXXII.

EPISTOLA CLXXXVII.

De Alberto a Loo. De Nardæ expugnatione, expilationeque, ac de evasione Lamberti Hortensii. Amsterodamensis Resp. laudata.

CL. D. HOPPERE, de valetudine amici nostri charissimi D. Alberti ab Loo, nihil D. T. certi indicare, aut promittere possum, cùm inter spem & metum adhuc versemur. De Patria nostra, quid post novissimas literas meas annunciatum est, ex copia literarum Bertii cognoscere poteris, particularium vero rerum nihil adhuc rescire potui, sed expecto D. Præsidis Igrami famulum, ex quo, si quid intellexero, scriptu dignum, id te latere non patiar. Durante autem hoc gelu speravimus in Hollandia ex voto omnia successura, ac sub hujus mensis initium eo noster exercitus progrediens, Naerden oppidulum tribus miliaribus à Trajecto Amera-

Digitized by Google

Amersfordiaque diffitum, in quo adverſariorum erat præſidium, pervenit, quod etſi principio videbatur noſtros nolle admittere, diffugientibus tamen nocturno tempore inde præſidiariis militibus, cives poſtera luce ſupplices D. Fredericum acceſſere veniam deprecantes, ac gratiam miſericordiamque implorantes, quam neſcio qua de cauſa impetrare non potuere. Et ingreſſi urbem noſtri, cæſis primum virilis ſexus pene omnibus, in prædam urbecula ea (30) ceſſit militibus, ac deinde incendio tradita miſerabiliter fuit. Audio tamen Lambertum Hortenſium celebrem ludi magiſtrum, ætate gravem (cujus extat Hiſtoria ſeceſſionum civilium Ultrajectinarum & bellorum, impreſſa Baſileæ, anno CIↃ IↃ XLVIII. atque alia de bello Germanico Caroli v. Cæſaris impreſſa Baſileæ anno CIↃ IↃ LX.) neſcio quo propitio numine ſalvum evaſiſſe. Ac inde Amſterodamum atque ad confinia loca exercitus noſter contendit. Magnam autem laudem Amſterodamenſis Reſp. meretur, quæ, tota Hollandia ad Auraicenſem deficiente, ſola in officio perſtitit, tametſi multis technis perſuaſionibuſque, uti ex literarum exemplo, quod huic epiſtolæ adjunxi, cognoſcere licebit, ſollicitata ab adverſariis extiterit. Auraicenſis autem quantum poteſt pecuniæ emulget, & ſe defenſioni parat, ſed incaſſum uti ſperamus. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. XII. Decembr. CIↃ IↃ LXXII.

EPISTOLA CLXXXVIII.

Mors Alberti a Loo. De mœrore conjugis, ejuſque fratribus. De rebus bellicis in Hollandia geſtis. Dolet non agi clementius cum ſubditis Regis. Friſia liberata virtute D. a Bily. Rollema prædo. Batenburgius captus. Schouwenburgius aliique Friſia pulſi, alii captivi abducti. Monaſteria expilata.

CL. D. HOPPERE. Cogor impræſentiarum doloris noſtri D. T. participem facere, quam credo non minus eun-

(30) De expugnatione Nardæ & Hortenſio, *Borrius lib. 6. fol.* 306. ſed inprimis Vide Lamb. Hortenſii vitam a Lappio editam, ad calcem *Seceſſionum Civilium.*

Digitized by Google

eundem, quam nos ſenſuram. Per noviſſimas quippe literas meas intellexiſſe D. T. non dubito, quam dubia nobis ſpes fuerit de reconvaleſcentia D. Alberti à Loo, (31) quem paulo poſt, nocte videlicet Sanctæ Luciæ, ex hac luce DEO placuit avocare, relictis duodecim prolibus ſuperſtitibus, ac conjuge (32) non ſolum ex mariti amiſſione, verùm etiam ex patris ab Geuſiis Dordraci detentione ægritudineque, indicibili mœrore affecta. Solamur autem eam quantum poſſumus, omniaque humanitatis officia, lubenter impertimus. Fratrem ejus M. Adrianum (33) Senatorem in Conſilio Hollandiæ audivimus ex Italia reverſum Spiræ ſubſtitiſſe, alterum vero Cornelium generum tuum, apud Coloniam agere, quem non dubito fortunæ ſuæ rationem tibi jam dudum reddidiſſe, filia tua interea Dordraci apud ſocerum permanente. Conceperamus autem ex diuturno gelu, rebus noſtris in Hollandia gerendis peropportuno, nonnullam ſpem, ut ad officium ejus regionis urbes redirent, atque poſt Naerden captam, lætum acceperamus nuncium de Harlemo quoque reſipiſcente. Sed ſpe noſtra fruſtrati ſumus, ex ea uti videtur cauſa, quam ex conjuncta cujuſdam epiſtola ad me perſcripta cognoſcere poteris, licet paulo poſt in quandam rurſus ſpem erecti ſumus, ob fortalitium Sparendamenſe à noſtris militibus occupatum, uti ex ſchedula quadam Hiſpanica ad M. Curiæ Ducalis perſcripta cognoſci poterit. Ac deinde noſtris caſtra ad eam urbem metantibus cum D. à Lumaii cum aliquot vexillis eos impedire conaretur, ſecundo prælio à noſtris profligati cum fuerint, arbitramur & qui intra urbem ſunt, cornua projecturos. Quod ſi autem clementius cum miſeris ſubditis ad fidem Regis ſui redeuntibus agi

(31) *Albertus a Loo*] Vide Leeuwium in Batav. Illuſtr. pag. 1401. col. 1. Erat conſiliarius ærarii, ſive Finantiarum, uti loquimur, Bruxellis. V. quoq, p. 1018.

(32) Maria Van der Myl, Dordracena.

(33) *M. Adrianum*] Van der Myl, de quo V. Leeuwium Batav. Illuſtr. p. 1018. De *Cornelio* ſup. ad Epiſt. CLXXI. Verùm de *Adriano*, omnino legendus eſt *Matthias Balen* in vernacula Hiſtoria urbis Dordracenæ pag. 207. col. 1. ubi ejus vitæ compendium exhibet. De amborum patre fere *Arnoldo*, dixi ad Epiſt. CCXIV.

Digitized by Google

agi visum fuisset (quod vos sedulo monuistis) jam dudum creditur, absque extrema hac calamitate ac excidio, tumultibus istis finem potuisse imponi. Quod vero unum me consolatur, est, quod Frisia nostra virtute ac vigilantia D. à Bilii hisce malis mature liberata fuerit, cujus testem mitto Epistolam Episcopi Leovardiensis hisce diebus per D. Præsidis Igrami nepotem mihi redditam. Ex quo de domesticis particularibusque negotiis nostris pleniorem informationem declarationemque accepi. Rollemam calicibus aliisque spoliis oneratum Embdam profugisse ait. Cum autem longius apud Snecam hæreret Theodoricus Batenburgius, qui Gubernationem Frisiæ sibi commissam prætendebat, quidam civis Organista Ecclesiæ, cæteris audacior, manum in illum primus injecit, cæterisque civibus mox opitulantibus captivus ab illis constitutus fuit, qui D. Bilio ac Senatui mox renunciavere se urbem in ejus potestatem una cum Gubernatore dedituros. Metus autem omnes corripuit ubi Zutphaniam captam intellexerunt, ac fortalicium in Mackum prope Bolswardiam ab dictis Geusiis extructum à D. Bilio expugnatum conspicerent. Bolswardiaque subsequenter dedita, Comes Judocus à Schouwenburg / qui apud Franiker rebus præerat, mox & ipse fuga sibi consuluit, unaque cum eo Duko Martena, qui unus ex præcipuis capitaneis eorum erat, & cum eo plerique alii illorum partium. Doleo autem Petrum à Camminga sibi suisque rebus non melius consuluisse. qui ob matris ægritudinem, nescio Bolswardiæ, an Franekeræ subsistens, ac à D. Bilio Senatuque licet sæpius inde revocatus, dum non compareret diffugientibus aliis, ipse Amelandiam petens, in itinere comprehensus, ac Leovardiam deductus fuit, ubi etiam Rioerda à Roorda, ac nonnulli alii nobiles captivi detinentur.

Monasteriorum ab furore Geusiorum in Frisia pene nullum immune evasit, præter Claricampi (34) & Gerkens Kloster.

(34) *Claricampi*] Vulgo *Klaercamp*, Abbatia Ord. Cisterciensis. *Gerkens-Kloster*, latine Gerricum, ejusdem Ordinis. Thabor, Canonicorum Regularium cœnobium, Aelsum vero Grisearum sororum asceterium, de quibus V. *Heussen. in hist. Episc. Leovard.*

Digitized by Google

Kloſter. Hoſpitalis autem Thabor, Nelſum / vicinorumque aliquod monaſteriorum deprædationem devaſtationemque Rollemæ potiſſimum imputant. Domus mea in Zwichem inſidiis ſæpe ab ipſis impetita propter propinquitatem urbis Leovardienſis, & D. Bilii tutelam ſalva evaſit, cum paſſim in propinquos meos ſævierint. Et cum Eko Bauckii, ſignifer conſtitutus ab D. Bilio, cum bombarda in conflictu dejectus fuiſſet, atque in hoſtium poteſtatem pertractus eſſet, extremo ſupplicio affectus ab eis fuit, ac glorioſe pro Principis ſervitio mortem oppetiit. Petrus Buygers cum Jaquelina, Douvone Roerda ac Doctore Sifrido Secretario, cæteriſque Snecenſibus, qui Leovardiam conceſſerant, eo in domos vacuas redierunt. Habes, mi HOPPERE, capita quædam earum rerum quas ex narratione dicti nepotis retinere potui, ſi quid aliud poſtea occurrerit, non te id latere patiar. Bene vale, CL. D. HOPPERE, & conjugem liberoſque ex me amanter ſaluta. Bruxellæ. XIX. Decembris. CIↃ IↃ LXXII.

EPISTOLA CLXXXIX.

inedita.

Lovanienſium & Mechlinienſium cauſæ ad Conſilium Turbarum remiſſæ. Scriptum contra Principem Auraicenſem præparatum, quare prelo committere recuſet. Tractatus cum Statibus dilatus ad Albani reditum. De nepote, qualiter commendandus apud Regem. De Remberto Medico. Obitet de Friſiæ rebus, de Harlemenſi obſidione, ac Dordracenſibus.

CLARISS. D. HOPPERE. Literas tuas XXVIII. Novembris datas accepi, ex quibus meas XIII. Octobris ſcriptas, itidem tibi redditas, lubenter intellexi. Poſt illud autem tempus, ternas rurſus ad te dedi, videlicet IX. Novembris XII. atque XIX. hujus menſis ſcriptas.

Lovanienſium cauſa ad Conſilium Vargianum rejecta eſt: eidemque commiſſa (quod multi indignum cenſent) cognitio

Digitized by Google

tio querimoniæ magni Consilii Mechlinienſis, ob generale arreſtum, quod ex mandato hiſce junctо, publicatum eſt, ſuper omnibus bonis Mechlinienſium ubicumque ſitis, ſine ulla exceptione. Ita ut Blaſerius cæterique, qui captivi & de vita periclitati fuere, nec non Senatores, qui fortiſſime adverſariorum conatibus obſtitêre, ac præmium mereri viſi ſunt, & in prædam tamen militibus noſtris expoſiti fuere, in eadem nave navigent. Qua de re forſitan ad Regem querelam deferent, cùm contra judicii authoritatem exiſtiment, Vargæ arbitrium ſubire.

Scriptum illud quod ante multos menſes a vobis miſſum fuit adverſus Auraicenſis calumnias, mendaciaque, primo hujus menſis primùm D. præſidi Tiſenacq. ac mihi ex Noviomago tranſmiſſum fuit, juſſumque ut prelo traderemus. Verùm cum nihil pene eorum, quæ de Regio mandato, clementiaque in eo continentur, hactenus apparuerit, veriti ne eô populus magis offenderetur, priuſquam juſſionem ejus exequeremur, viſum nobis fuit Excellentiam ſuam de eo antea ſubmonere. Quod ne non æquo animo laturus ſit, valde veremur. Sed omitti id a nobis propter Regis reputationem honoremque, quem merito præferre debuimus, nequivit; & arbitror de bono opere nos lapidari non debere. Deputati, qui in Hiſpania fuerunt, omnes huc ſalvi redière; ulteriorem autem cum Statibus actionem, Dux ad ſuum uſque reditum ſuſpendit, nec tamen ex dilatione multum commodi ſperamus, cùm quotidie populi facultates decreſcant.

Quod de nepote antea ad te ſcripſi, ſi ita tibi videtur, tentare D. T. poterit, & ſi quid impetrabimus, nolim tamen id eum ſcire, ne criſtas inde erigat, aut invidiam ſibi excitet. Quod ſi verò Regia Majeſtas tuo, aliorumque, qui eum noverunt, teſtimonio, meoque judicio fidendum non putarit, aut alteri potius, quàm ſuæ Majeſtati, hoc beneficium acceptum ferri velit, malo de eo omnino ſileri, quàm hac ratione illud propalari.

De Remberto ut ad vos veniat, vereor, ne fruſtra agamus, niſi penſio ſtipendio ordinario accedat, & viaticum liberale offeratur. Tranſmiſſis autem ad eum literis tuis expecto, ut huc veniat ac mecum de eo conſtituat.

De Friſia poſt noviſſimas literas meas nihil intellexi, Harlemen-

Digitized by Google

lemensisque obsidionis prosperum expectamus successum. Verùm Dordracenses se diligenter communire, ac extrema potius pati, quàm se dedere velle videntur, quod bonis viris intra eam urbem detentis summopere dolere audimus. Deus autem meliora ipsis largiatur. Bruxellæ pridie Natalis Domini anno CIↃ IↃ LXXII.

EPISTOLA CXC.

De literarum suarum mora. Resolutionem Regis tardam fuisse ait, & ad maturandum consilium Hopperum impellit. De nepotum suorum causa apud Regem commendanda. D. a Bily ad Gubernationem Frisiæ promotus, gratissimus ibi habetur, aversis tamen ab eo quorundam animis, duas ob causas; quas explicat. De Venduillio, Halleo, & negotiis Burgundicis. Trajectenses ad gratiam Regiam anhelant Albano reluctante. De novis officiariis Aurei Velleris creandis.

JAmdudum, HOPPERE CL. non minus desiderabam literas tuas, quàm tu meas, quas tamen tandem te accepisse spero. Septenas enim latinas, id est VI. X. XV. XXVI. ac XXVIII. Novembris, nec non VI. ac XXV. Decembris manu Joannis mei scriptas ad te post XXIX. Octobris dedi, præter alias lingua vulgari fere in commendationem nonnullorum per manum Capellani amanuensis mei. Nec minor meas non fuisse citius perlatas, cum nec ab Duce, nec ab Commendatore ullæ vobis isthic redditæ fuerint. Non repetam autem quæ superioribus satis prolixe scripsi. Resolutio autem tam tarda Regis, non parum gratiam novi Gubernatoris diminuit, cùm populus eandem, quam prædecessor suus, viam illum ingredi, consilio præceptisque ejus instructum, cernit. Proinde si rebus consultum vultis, tandem quod tam diu parturivistis, quæso, proferte.

Quod

Quod nepotum meorum (35) cauſam tam amanter diligenterque Regiæ Majeſtati commendaris, magnas tibi gratias ago, referentque illi mecum, ſi quando facultas nobis dabitur. Sed de coadjutoria velim adhuc tacere ob eam quam antea perſcripſi cauſam, ne quas ille criſtas erigat, ac ad hoc aſpiret, quo communiter coadjutores ſolent. De altero mihi Regis conſilium perplacet, & revera non parum illi proderit in Burgundico Conſilio aliquandiu fuiſſe verſatum, mittoque exempla nonnulla commiſſionum Conſiliariorum ſupranumerariorum, quas in eo ſenatu expeditas memini. Sed quæſo ut ita rem dirigere D. V. dignetur, ut utrobique certo illi provideatur, & ne quid illi officiat Rectoralis Magiſtratus, quem in ea Academia uſque ad præſcriptum tempus continuare debebit.

De D. Bilio lubenter intellexi quod D. T. mihi ſignificavit. Idemque ipſemet mihi indicavit, ac per literas hiſce junctas, pro favore ſibi impenſo gratias agit. Et profecto in hominem optime de Patria noſtra meritum hoc beneficium collocatum eſt. Verùm quidam malevoli id ſubodorantes, quantum poterunt, impedituri videntur, objicientes ei quod Hiſpanus aut Portugallus ſit, proferuntque quandam Cæſ. Majeſtatis promiſſionem anno CIↃ IↃ XXII. Friſiis conceſſam, per quam dicitur, quod linguæ Allemanicæ Gubernatorem (36) ipſis non præficiet. Groningenſes autem Drentoneſque (uti olim ſcripſiſſe tibi memini) poſt Megani Comitis obitum hunc ſibi Præfectum dari deſiderarunt, qui Friſiis quoque noſtris, quietis paciſque ac Catholicæ religionis ſtudioſis, & merita ejus juſta trutina expendentibus gratiſſimus habetur. Sed

(35) *Nepotum meorum cauſam*] Nempe *Buchonis Aytta de Zuichem*, qui ejus Coadjutor in Præpoſitura Gandavenſi; & *Wibrandus Aytta de Zuichem*, qui Rector Academiæ Dolanæ exiſtens, in Senatum Burgundiæ adlectus eſt, Regis utrobique favore, & *Hoppero* commendante.

(36) *Quod linguæ Allemannicæ Gubernatorem ipſis non præficiet*] Ita in MS. Cod. Apud Gabbema abeſt particula negativa. Puto legendum: *quod non niſi linguæ Allemannicæ Gubernatorem ipſis præficiet*. Aſſueverant enim Friſii Germanorum regimini, e quorum manibus provinciam accepit Cæſar.

Digitized by Google

Sed duæ ſunt cauſæ ob quas nonnullorum animi ab eo averſi videntur : quod forte faveant plus ſatis illis, qui turbas apud nos initio concitavere, nec erga Catholicam religionem ſatis affecti ſunt.

Altera eſt cauſa, quod militem ob Patriæ defenſionem demittere nequiens, non habente Curia, quod in ſtipendia eorum ſubminiſtret, coactus neceſſario fuerit ab Civitatibus, Grietteniiſque partim mutuo, partim contributione quo quo modo ipſis provideret. Id quod tanto gravius populo exiſtit, quod noviſſima inundatione, quæ menſe Auguſto accidit, incredibiliter afflictus ſit.

(37) Venduillium tam longinquam peregrinationem privato nomine ſuſcepiſſe, valde miror; & vix hîc retinere poſſumus M. Joannem Halleum, qui, ſi aliquando eò excurrerit, aures veſtras itidem oppleturus eſt.

Expeditionem Burgundicorum negociorum D. V. iterum atque iterum commendo, nec ibi deſunt, qui, ut fieri aſſolet, contra novas ordinationes obmurmurent.

Trajectenſes ad Regiam gratiam plurimum anhelant, & mirum eſt Ducem, ſive generali, ſive particulari gratiæ, tamdiu reluctatum fuiſſe : qua ſeveritate omnium pene animos exterruit, de quo Dux Medinenſis vobis certiora referre poterit.

Junxi aliquid ad Regem ſuper eo quod mandarat ſuper creandis novis officiariis ordinis, quod quæſo ut D. V. cum mei humillima commendatione ei exhibere non gravetur. Verùm arbitror ante Ducis reditum nihil eum ſuper eo conſtituturum. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ. VII. Januarii. CIↃ IↃ LXXIII.

Nepos, quem D. V. commendavi, non Folcardus vocatur, ſed Wibrandus Ayta de **Zwichem** J. U. Doctor, & Rector Univerſitatis Dolanæ, ordinariuſque ibidem Juris Profeſſor.

(37) *Venduillius*] Joannes qui poſtea Epiſcopus Tornacenſis, *Morillonii* ſucceſſor. De illo enim hîc agi puto. Porro fuit J. U. D. Lovanienſis, ejuſque potiſſimum hortatu Academia Duacena a Philippo II. fuit fundata. Plura qui volet, conſulat *Biblioth. Belg. & Gall. Chriſt.*

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CXCI.

Novus Gubernator Antverpiæ ſubſiſtit, ut Middelburgo ſuccurrat. Dux Albæ Italiæ propinquus. Joannis a Mendoſſa cædes. Obitus aliquot Abbatum, aliorumque monaſteriorum vacatio. De Epiſcopi Middelburgenſis ſucceſſore, ac de vidua præſidis Tyſenachii.

CL. D. HOPPERE, ubi primum noviſſimas literas tuas XVI. Decembr. datas accepiſſem, confeſtim aliquid ipſis reſpondi, ne occaſionem amitterem ad te ſcribendi, ob improviſam fortaſſis curſoris dimiſſionem. Cum Gubernator novus ante feſta natalitia Antverpiam concedens, adhuc ibi hæreat, ut Middelburgo extreme laboranti ſuppetias inferri procuret, quas magno conamine molitur; animadvertens inde magnopere ſalutem hujus Provinciæ dependere.

Ducem Albæ, qui jamdudum (uti prius ſignificavi) hinc diſceſſit, Italiæ propinquum eſſe, (cum nihil ei adverſi in itinere hactenus accidiſſe nobis nunciatum fuerit) arbitramur. Interea dum Commendator Antverpiæ moratur, miſerandus ſane ac lamentabilis caſus tertio hujus menſis die Illuſtri Capitaneo Joanni à Mendoſſa (quo non minus in Conſilio Status, quam directione equitum, militumque, Gubernator utebatur) ibi accidit. Qui in platea publica cum quadam perſona ſermonem ſub noctem habens, à quodam D. Champaigny famulo, non ſatis uti fertur, agnitus ex levi occaſione grave vulnus accepit, maxillaque ei propemodum præciſa fuit, unde inter octavum diem obiit. Cujus mortem, ob elegans ipſius ingenium præclaraſque dotes, plurimi, qui eum cognovere, graviter dolent, autore cædis extremo punito ſupplicio. Nobis ſub hujus anni initium (38) trium Abba-

(38) *Trium Abbatum obitus*] Nizelleni, ſive Nizellenſis; vulgò *Nizelle*, quod eſt ſeſqui milliari ab Oppido Nivella in Hannonia ſitum monaſterium Ordinis Ciſtercienſis ſub dioceſi Namurcenſi. Cujus hîc obitus notetur, non liquet, cùm in *Gallia*

Digitized by Google

Abbatum obitus nunciatus fuit, Nizeleni, in Dilighem, ac Lizii Luxemburgenſis, quem Dux Albæ ad Epiſcopatum Luxemburgenſem Regi aliquando commendarat. Verùm cùm id negocium (39) progreſſum non habuerit, expectamus, ut Rex aliquando ſententiam ſuam ſuper proviſione Abbatiæ Aureæ Vallis, quæ Epiſcopatui ei incorparanda videbatur, mandet. Multæque ſunt querelæ monaſteriorum tam hîc quam in Burgundia vacantium, virorum mulierumque, quibus Dux ob bellicas occupationes providere diſtulit, ſucceſſori autem de ipſis diſponere hactenus non vacavit. Jamdudum quoque arbitror Ducem Regiæ Majeſtati ſignificaſſe obitum Reverendiſſimi Epiſcopi Middelburgenſis (40) ad quam dignitatem plerique vicarium ejus à Stryen commendant, ſi Rex forſitan ſucceſſum ejus oppidi expectare antea volet.

Vidua D. Præſidis Tyſenachii (cui ſignificavi id quod in ejus cauſa D. T. effecit) magnas gratias ei agit. Verùm ad augmentum penſionis, deſiderat Regem in recompenſam ſervitiorum

lia Chriſt. ſeries Abbatum non ſit integra. *Dilighem* eſt Ordinis Præmonſtratenſis monaſterium in dioceſi Mechlinienſi, ſeſqui milliari a Bruxella ſitum. Et qui hîc annuntiatur e vivis exceſſiſſe Abbas, eſt *Arnoldus Mabieu* vel *Mabein*, antea *Mariæ* Hungariæ Reginæ, dum Belgio præeſſet, Capellanus. *Liſii.* Vides hîc, non monaſterii, ſed viri nomen, expreſſum. Porro *Petrus Coelen*, aliàs *Lyſius* ſic dictus, quod in Lyſia, territorii Leodienſis juxta Viſetum viculo ortus eſſet, ex monacho Stabulenſi Ordinis S. Benedicti, & priore dein Epternacenſi, factus Abbas Munſterienſis, juxta Luxemburgum, nunc intra urbem, obiit 30. Decembris 1573. ætat. 57. Vide ejus vitam in *Bertelii Luxemburgo a pag.* 139.

(39) *Id negotium progreſſum non habuit*] Inter Miræi diplomata Belgica Tom. 3. p. 257. habes proſpectum erectionis unius Epiſcopatus in Ducatu & Provincia Luxemburgenſi faciendæ. Joan. Franc. Foppens in Schedis ſuis mſſ. habet, *Acta pro erectione novi Epiſcopatus in oppido Luxemburgenſi an.* 1571. *agente Clariſſ. Viro Joanne Fonck Sanctioris Conſilii Senatore.* Inter quæ eſt Inſtructio a Duce *Albano* ei expedita 22. Januarii 1571. & copia Itinerarii ad Archiepiſcopum Trevirenſem & Epiſcopum Leodienſem, ex originali minuta deſcripti.

(40) *Epiſcopus Middelburg.*] Nicolaus a Caſtro.

Digitized by Google

vitiorum mariti, donativum aliquot milium adjicere, animadvertens erga nonnullos servitores, quibus ipse non fuit inferior, liberalitatem Regiæ Majestatis similem extitisse.

Quapropter te iterum atque iterum rogat, ut causæ ejus patrocinari, operamque unà dare non graveris, ut filius cum grata resolutione huc remittatur, cujus causam & ego D. T. non possum non commendare. Bruxellæ: XVII. Januarii CIↃ IↃ LXXIII.

EPISTOLA CXCII.

Gubernator frustra Middelburgo succurrere tentavit. Terrores extranei. Status recusant duos milliones loco x. denarii, nec consentiunt super 2ª Centesima, & Legatorum suorum factum in Hispania, ratum non habent. Graviſſime conqueritur cum Hoppero, quod remedia differantur, & novus Gubernator prædecessoris vestigiis insistere cogatur. Ipse rarius breviusque scribet ob afflictam valetudinem, a munere absolvi desiderans. Frisia inundationem passa iterum. Perscribit judicium suum super proposita convocatione Statuum generalium, quam improbat varias ob rationes; ubi de qualitate Statuum Belgii comparativè ad Status Hispaniæ.

CL. D. HOPPERE. Post literas tuas XVI. Decembris scriptas, nullas ab D. T. accepi, nec ego post septimam Januarii ullas quoque ad te dedi. Interea autem Gubernator novus à nobis abfuit in re classica instauranda apud Antverpiam, magno nostro mœrore incassum laborans, dum commeatum Middelburgo frustra inferre conatur, repulsis nostris cum magna navium hominumque jactura, quæ res animum adversariis auget. Jamque & ex Gallia & Germania quotidie perlati ad nos rumores nos non parum terrent, cum hîc omnium rerum imparati simus, & ab Statibus nostris nulla pene auxiliorum spes appareat, qui duos Miliones in compensatio-

Digitized by Google

penſationem decimi denarii præfracte recuſant, dum Rex abolitionem ejus concedere tardat, & conſenſum ſuper ſecunda centeſima diſputant. (41) Cumque ipſis objiciamus Regiæ Majeſtatis reſponſum Legatis eorum in Hiſpania datum, negant ſe id ratum habuiſſe, aut citra mandatum ratum habere potuiſſe. Interea autem milites undique ſtipendia exigunt, quæ dum non præbentur, & populum miſerabiliter concutiunt, & animos ejus à nobis avertunt. Adhæc dum toties à vobis promiſſa remedia protelantur, ac novus Gubernator prædeceſſoris veſtigiis inſiſtere cogitur, quamdiu aliud ab Rege mandatum non habet, ad deſperationem pene adigimur, & arbitror Gubernatorem non celare Regiam Majeſtatem, quantis ſe anguſtiis perplexitatibuſque ſub novi regiminis initium involutum comperiat, & jam certe vobis expergiſcendum videtur, ſi nos ſalvos vultis, quorum ruina videte ne & vos unà attrahat. Ignoſces autem mihi, mi HOPPERE, ſi poſthac rarius, breviuſque ſcripſero, cùm & valetudo me domi perpetuo deſidentem ab negociis publicis ſegregat, & priſtinus vigor animi deficit. Quamobrem ſæpe rogavi, ut tempeſtive providere iſthic velletis, quo jam mihi ilia trahenti, alios adhuc integris viribus ſubſtitueretis.

Friſia noſtra rurſus menſe Januario (exceptâ Bilda) tota inundata fuit, adeoque confracti ſunt aggeres, depauperatique coloni, ut rebus etiam pacatis difficulter in integrum reſtitui poſſe videantur.

Petro Buygirio natus iterum fuit filiolus, cui Gerbrandi fratris mei nomen indidit, & Bauckia quoque ſobrina tua filiolam enixa eſt, quæ paucis diebus ſupervixit. Sed Hector ſpem nobis bonam facit, ſe damnum hoc brevi reſarturum, cùm viam ſemel aperuerit.

Gubernatorem brevi ad nos rediturum ſperamus, id quod multi quotidie efflagitant, dum monaſteriorum officiorumque complurium vacantium proviſioni hactenus illi vacare non licuerit. Bene vale, HOPPERE CL. ac familiam tuam ex me ſaluta. Bruxellæ. XV. Febr. CIↃ IↃ LXXIII.

Ad

(41) Vide Commentarium Viglii.

Digitized by Google

Ad id quod ſua Excellentia mandavit cum D. Hieronymo Roerda, & mecum communicari per D. Aſſonvillium, ſuper convocatione Statuum Generalium, conſiderato præſenti rerum ſtatu, videri nequivit à nobis, quis ſucceſſus utilitaſve ab eo ſperari poſſit, niſi percepta antea reſolutione Regiæ Majeſtatis ſuper difficultatibus per Status antea motis, quas Majeſtati ſuæ Excellentiam ſuam perſcripſiſſe arbitramur. Antequam autem intentionem Majeſtatis ſuæ Excellentia ſua cognorit, non videtur aliam viam, quam quæ cœpta eſt ingredi, convenire. Petitæ enim obligationes ſuper ſecunda centeſima, ac præſtatio duorum millionum omitti nequit. Atque ſi ob id Statuum Generalium convocatio fiet, nihil melius ſperari poteſt, neque nova auxilia peti poſſunt, prioribus derelictis. Sed ſi Regiæ Majeſtati placeret ſuper abolitione decimi denarii, ac limitatione certorum annorum præſtationis duorum millionum, & ſuper obſervatione privilegiorum, redintegrationeque Juſtitiæ Ordinariæ, ac cæteris Statuum querelis aliquid reſolvere, ſpes aliqua eſſet, ut quæ proponerentur ad conſervationem communis Patriæ, Status convocati ſe magis voluntarios declararent. Simulque viſum fuit Excellentiam ſuam certiorem facere, de qualitate Statuum noſtræ Provinciæ, qui non ſunt unius, ſed diverſorum corporum, quæ invicem non ſunt ſubjecta, ut ab ſingulis ſit petendus conſenſus, nec unus alteri cedere aut comprehendi alterius ſuffragiis patiatur, uti in Hiſpania fieri intelligimus, ubi XVIII. civitates excluſis Nobilibus & Prælatis jus ſuffragii in Statibus habent: videlicet novem civitatum citra Tagum, & totidem ultra Tagum procuratores, univerſos Status regni repreſentant, cùm hîc decem & ſeptem * Regiones, quarum quælibet ſuo jure & moribus utuntur, & earum major pars tres Status habet, Prælatorum, Nobilium, & Civitatum. Quarum quidem Deputati in conventibus, nihil valide conſentire poſſunt, niſi re antea ad communitates ſuas relata, unde fere tarditas multa exoritur, dum prædictæ civitates ex multis ſæpe membris conſtant, quæ difficulter in unum ſenſum perduci poſſunt, abſque quorum conſenſu nihil concludi poteſt. Datum Bruxellæ. III. Martii. CIↃ IↃ LXXIII.

* *Supple*: ſint.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CXCIII.

Middelburgum amiſſum, unde hoſtium vires auctæ. Antverpiæ & alibi inſidiæ detectæ. Exprobrat Hoppero dilata tam diu remedia. Scribit ſe corpore & animo deficientem nullo uſui eſſe poſſe, miſſionem ſupplicibus votis expoſcens. Albanus brevi in Hiſpania futurus, exulcerato in Belgas animo, culpam infelicium conſiliorum ſuorum, in alios conjiciet, ſi Rex alteram aurem populo non præbeat. Timet novas turbas excitandas ob arreſtum navium Oiſtlandicarum. Quid Embdenſes ex miſeria Belgarum ditati, ipſis vicißim præſtiterint.

LIteras, CL. D. HOPPERE, abs te III. ac II. Februarii datas, accepi, aliaſque quas tu promittis, ſummo deſiderio expecto. Quod vos iſthic in ſuccurſum Middelburgi molimini, nimis eſt ſerum, cùm ea urbs extrema fame preſſa, & noſtris in vanum ſuppetias ferre volentibus, tandem dedita fuerit, incredibili certe jactura noſtra, quæ hoſtem in majorem ſpem erexit Mercibuſque ac opibus mirabiliter ditatus, noviſque equitum peditumque copiis ex Germania, Galliaque auctus, toti fere Provinciæ noſtræ terrorem incutit.

Gubernator novus adhuc apud Antverpiam hæret, detecta illic proditione, in qua indaganda adhuc laboratur, nec eo tantum loco, ſed in multis ſimiliter urbibus, iiſdem artibus nobis adverſarii inſidiantur. Et hunc, mi HOPPERE, fructum capimus ex tam diu à vobis dilatis remediis. Ego in hac ætate vuletudineque quotidiana hæc pericula ægrius fero, cùm corporis viribus fractis, animi quoque vigorem in me declinare ſentio, ut neceſſe omnino habeam arena excedere. Uſum certe mei novo Gubernatori in ſuggerendo conſilio dirigendiſque rebus, nullum præbere amplius poſſum, cùm corpore æger linguaque impeditus, vix quæ ſentio proferre amplius poſſum. Proinde ſupplicibus votis DEUM quo-

Digitized by Google

quotidie precor, ut Regis animo, quo me hoc faſce levet, ac viribus animiſque integris præditos alios, ſufficere velit, inſpiret.

Quod ad officiales Ordinis pertinet jampridem ad vos miſi. Cùm Ducem verò ſalvum in Italia appuliſſe audiverimus, brevi quoque illum apud vos fore non dubitamus. Perſuaſum autem eſt populo noſtro, exulceratum contra ipſum animum Excellentiam ſuam adferre, & infœlices conſiliorum ſuorum ſucceſſus, aliorum culpæ eam adſcripturam, ſed vos, ſi aurem alteram illi præbebitis, forſitan aliter judicabitis.

Arreſtum navium Oiſtlandicarum veremur ne quid turbæ novæ ab ea parte nobis excitet, impediatque, ne auxilia, quæ inde petebantur, minus præſtentur. Hollandici autem nautæ, mercatoreſque, cùm jam aliquot annis omni navigatione excluſi fuerint, Embdam plerique migravere, civitatiſque jus ibi obtinuere, ex quibus forſitan ſunt illi, qui apud vos detinentur. Quanquam autem ipſi Embdenſes ex noſtra miſeria quotidie magis atque magis ditentur, hoc tamen poſtremo anno, non levi ſubſidio Friſiam vicinaſque Regiones, per rei frumentariæ importationem adjuvere, ſine quò præſidia noſtra, quæ Amſterodami, Harlemiique, ac cæteris Hollandiæ locis remanſere, ſuſtineri nequiſſent. Fabulam Stina noſtra credit eſſe, quam de metamorphoſi mulieris in viraginem perſcripſiſti. De liberis tuis qui Coloniæ ac Duaci agunt, nihil niſi lætum audimus. Verùm Lovanienſes rurſus fugam meditantur, neque Bruxellæ ſatis confidimus. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. v. Martii. CIↃ IↃ LXXIII.

EPISTOLA CXCIV.

Conqueritur de ſeris remediis, de dilata urbibus reductis gratia, de ſuſpicione plebis ne innovetur x. denarii impoſitio, & quod hæ calamitates evitatæ fuiſſent, ſi veniſſet Rex in Belgium. Pœnitet Commendatorem ſuſceptæ provinciæ. Noircarmii

Digitized by Google

obitus. Sugillat illos qui Belgas omnes a Reip. administratione arcendos consaluêre; a quibus Hopperus ipse parum sperare debeat. Promittit se negotium generi sui adjuturum. De urbe Gouda recuperanda incerta spes. Nuntiat obitum præsidis Flandriæ & præsidis Computuum Brabantiæ.

LIterae tuae, CL. D. HOPPERE, XXI. mensis Februarii scriptas accepi. Remedia vestra veremur ne nimium sint sera, cùm classe perdita Middelburgoque dedito, & novo nobis, pene imparatis, imminente hostium exercitu, non satis videamus, quomodo inde rebus nostris tandem providere possitis. Interea per eas urbes, quae ab Geusiis occupatae, seu potius oppressae, & ad Regiae Majestatis obedientiam superiore anno reductae fuerunt, passim numerosus miles, civibus non tantum gravis, sed pene intolerabilis (cùm stipendiis non solutis eum alere cogantur) in praesidio detinetur, nec in aciem inde tuto deduci posse videtur. Quibus si mature gratia impartita fuisset, excusso Geusiorum jugo, multo firmius in fide constitissent, cùm jam lupum auribus teneamus. Et intera vos, ut vereor, frustra, creditis, armis vos omnia recuperare, &, ut populus suspicatur, quae de decimo denario aliisque contra veterem patriae morem innovari nonnulli suasere, ad effectum posse perduci. Quod si DEUS propitius eam nobis gratiam fecisset, ut Regis ipsius praesentia in tempore frui licuisset, & ei pro sua bonitate, prudentiaque de rebus nostris disponere licuisset, nunquam in has calamitates prolapsi fuissemus. Sed jam superioribus literis scripseram, me deinceps hujusmodi querelis abstenturum, quas sine fructu, ac vestra molestia hactenus me effudisse sensi. Et in hoc certe rerum statu non dubitamus Commendatorem susceptae provinciae non levi poenitentia duci, cùm tot ei difficultates undique immineant, emergantque, ex quibus aegre se posse explicare animadvertis. Qui illi autem in rebus agendis assistant, pene nulli superstunt, cùm Noircarmius quoque apud Trajectum die v. hujus mensis ex hac vita migrarit. Et hunc fructum ferimus ex quorundam opi-

Digitized by Google

opinione, qui noſtræ nationis homines, & ad Gubernaculum Reip. inutiles, & ad adminiſtrationem juſtitiæ non ſatis integros, &, quod pejus eſt, DEO Regique parum fideles judicant. Quo hoc ſcilicet præcextu ab muneribus publicis honoribuſque eos rejiciant, & ſuæ nationis ſarinæque homines in eorum locum ſufficiant. Hæc autem in ſinum tuum, HOPPERE, tutius effundo, fretus ita te ſecreto ea habiturum, ne crabrones irritem, malevoloſque ad calumniam provocem. Quantum enim & ipſe ab illorum hominum favore ſperare debeas, ex rerum tuarum promotione, & adverſus generum tuum malevolentia, te quoque intellexiſſe arbitror. Quod ſi autem mecum de tuis generique negociis aliquid Commendator noſter tractabit, omni ſtudio, deſiderio utriuſque ſatisfacere conabor, & in primis, ut huc tuto illi redire, cauſamque ipſemet dicere liceat. Ut verò in locum priſtinum reſtituatur, nimis tempeſtiva erit poſtulatio, cùm quando urbe Gouda potiturі ſimus incertum adhuc eſt. Nuper vero quandam de eo ſpem conceperamus, complureſque ibi cives de noſtris militibus admittendis conſpiraranr, ſed ſe detecta, dum illi advenire differunt, in magnum incidere periculum, ex quibus non pauci gravi ſupplicio affecti fuere.

Nepotum meorum cauſam commendatam tibi eſſe gratiam habeo, alteri vero non Gerbrandi, ſed Wibrandi nomen eſt. Viduæ ab Loo ſalutem abs te dixi, eaque negocia ſua tibi commendata eſſe orat.

Confeſſor quem hinc mitti voluiſtis, jam in itinere eſt.

(42) Præſes Flandriæ ante dies ſeptem ex hac vita migravit. Itidem & Longinus (43) Præſes Computorum Bra-

ban-

(42) *Præſes Flandriæ*] Jacobus Martens in Sanderi Flandr. Illuſtr. Tom. 1. p. 171. novæ edit. Hic præſes an. 1567. per Ducem Albanum electus fuit Conſilio Turbarum ſeu Sanguinis, teſte Hareo in Annal. Tom. 2. pag. 80.

(43) *Longinus*] de quo *Butkens Suppl. aux trophées de Brabant Tom.* 1. p. 208. „ Meſſ. Roland Longin, Chevalier, Seigneur „ de S. Ulrix Chapelle, Conſeiller & Preſident de la Chambre des Comptes en Brabant par lettres du 17. d'Août „ 1550. “ Conſonat epitaphium ei poſitum in templo S. Gudulæ

Digitized by Google

bantiæ heſterno quoque die ex hac vita deceſſit. De officiis, beneficiiſque vacantibus nihil hactenus Commendator diſpoſuit, magnopereque cupio affini tuo, Quæſtoris Flandriæ filio, locum in Senatu Flandriæ concedi. Sed nondum ſcio quem locum commendatio mea apud Commendatorem habitura ſit, præſertim cùm pedibus æger, progredi domo non poſſum. De teſtimonialibus filii tui in tempore uti deſideras providebimus. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ. XII. Martii. CIↃ IↃ LXXIII.

EPISTOLA CXCV.

Significat redditam ſibi epiſtolam Epiſcopi Segobienſis. Exprobrat, provinciæ ſalutem Hiſpanis cordi non eſſe. Hi carnibus veſcuntur in Quadrageſima. Commendat curam valetudinis Denneterii

CL. D. HOPPERE. Accepi cum noviſſiis literis tuis XVIII. Martii datis, Reverendiſſimi D. Epiſcopi Segobienſis epiſtolam, qua meæ reſpondere dignatus fuit, humanitatis ſane ac benevolentiæ erga me plenam; pro qua rogatum te velim, ut per oportunitatem gratias illi agas, &, ut vos illic dicitis, manus ejus meo nomine oſculeris.

Filiam tuam, conjugem Caſtellani Goudenſis, una cum C. Antonio filio, ſalvam Coloniam appuliſſe ad maritum, non

dulæ Bruxellis: „ Cy giſt Meſſe Simon Roelandt Longin, Che-„ valier, en ſon vivant Seigneur de la Chapelle S. Ulricx, „ Preſident 23 ans de la Chambre des Comptes de ſa Majeſté „ en Brabant, qui treſpaſſa le XI. Mars 1573. Et Madelle Mar-„ guerite de Berthos ſa femme, laquelle treſpaſſa l'an XVc „ & cinquante, le 22. Jour d'Aouſt. " *Le grand theatre ſacré de Brabant. Tom.* I. *p.* 215. *col.* 1. Sed huic epitaphio inſunt errores duo; nempe perperam vocatur *Simon*, & uxori nomen fuit, non *Margareta de Berthos*, ſed *Anna Rifflaert*, prout eſt in hujus epitaphio *ibid. p.* 278. & ita monuit editor hujus operis (ſæpe ſæpe vitioſi) ad calcem Tom. 2. part 2. p. 134. Porro inſpecto utroque epitaphio, puto ambas fuiſſe uxores *Rolandi Longin.*

Digitized by Google

non ſine voluptate intellexi, quod ex Cornelii tui literis plenius cognoſces.

Quod hic potius, quàm in Hiſpania Gregorium tuum educandum, inſtituendumque decreveris, id improbare non poſſum ob eas cauſas, quas literis tuis attigiſti, verùm neſcio, an ſuadere auderem, ut Venduilly curæ eum committeres, niſi ille tibi magis, quàm mihi notus eſſet. Quod ſi vos iſthic Provinciæ noſtræ ſalutem paulo magis cordi haberetis, non opus fore judicarem, ut de transferendo eo Pariſios ſollicitus eſſes, ſed de curſore in curſorem ſpem noſtram illic ſuſpenditis, ac interea omnia hîc in pejus vergunt.

Denneterium ægre rurſus habere nihil mirarer, ſi nobiſcum per quadrageſimam piſces commedere coactus fuiſſet, ſed vos qui carnibus iſthic licite paſcimini, valetudinem melius confovere poteſtis. Nonnulli autem hîc, quod pedis doloribus plus ſolito cruciar, piſcium per quadrageſimam eſui imputant. Quæſo autem, ut, quemadmodum à vobis antea factum eſt, priſtinæ valetudini ille reſtituatur, curare unà velitis. Eſt enim, ut ſcis, bonus, & tui amantiſſimus obſervantiſſimuſque. Bene vale, CL. D. HOPPERE, & conjugem liberoſque à me plurimum velim ſalutes. Bruxellæ. IV. Aprilis. CIↃ IↃ LXXIII.

EPISTOLA CXCVI.

Graviter expoſtulat cum Hoppero de abjecta Reip. Belgicæ cura. Pamelius admonebitur. Hemelenſi Abbati liberalitas a Rege facta. Ex bonis confiſcatis nullæ dotes penſioneſve ſolvuntur. Præſidis Tyſenachii mors & laus. Commendat ut ei officio rectiſſime provideatur, & de ſe, interea ſufficiendo, non cogitetur; qui nec convaleſcere, nec ad Remp. utilis fieri, poteſt.

LIteras tuas, HOPPERE CL. II. hujus menſis ſcriptas, XVII. ejuſdem accepi, expectabamque ut de rebus publicis, quas tibi tantopere cordi eſſe præcedentibus literis

Digitized by Google

ſcripſiſti, aliquid tandem intelligeremus; verùm ita nocet adhuc à te relinquimur, uti antea fuimus. Et ſilentium neſcio an ſic interpretari debeamus, ut nihil nobis ſperandum à vobis ſit. Miror quod ſcribis, Regi gratiſſima fuiſſe quæ de ſtatu Reip. ſubinde perſcripſi. Quomodo enim hoc credere queam, cùm omnia in fumum abire videam, aut ſi quid, ut vulgo fertur, de gubernationis, Gubernatorumque mutatione iſthic reſolutum eſt, quomodo ejus, quod populus ſcit, nulla in literis tuis mentio ſit? Jam verò cùm literas meas recenſes, quas proximis hiſce menſibus accepiſti, ita parce eis reſpondes, aut tot iſthic te diſtringi occupationibus, ut reſpondendi non ſit ocium. Me vero per omnem occaſionem ad te ſcripſiſſe præmemoratæ literæ teſtari poterunt, nec commiſiſſem, ut ſine meis, Illuſtriſſimi Ducis ſpeciales internuntii veniſſent, ſi ego horum diſceſſum (quem pleraque ignorari volunt) præſciviſſem. Quanquam hactenus non ita multa acciderunt, quæ vobis aliquam voluptatem afferre potuiſſent, & addacimur quidem aliquando in bonam aliquam ſpem Harlemii potiundi, Middelburgoque laboranti ſuccurrendi, ſed utinam vota noſtra tandem propitius Deus exaudiat. Pamelium diligenter admonebo, ut Regiæ Majeſtatis, veſtræque D. deſiderio fideliter ſatisfaciat, verùm adhuc luctatur cum febri quartana, & invitus hanc Provinciam obit.

Gratulor Hemelenſi Abbati, (44) qui tam propitium apud Regiam Majeſtatem patronum nactus ſit. Verùm de ſolutione ſuper bonis confiſcatis in Frilia, nihil adhuc polliceri audeo, cùm Illuſtriſſimus Dux, atque Vargas (à quorum diſpenſatione omnis ea pecunia pendet) ſurdas aures, ubi de re nummaria aliquid tractatur, habeant: ut & Academia noſtra Duacenſis, Dolanaque, de aſſignata dote periclitetur; ac illuc, quod Regiæ Majeſtatis liberalitas, Prædicatoribus, Franciſcaniſque fratribus, in ſubſidium ſtudiorum dederat, ſine effectu maneat: verentur quoque, ne ſex illa milia, quæ Regia Majeſtas D. V. ſuper iiſdem bonis aſſignavit, ſerius ſolvantur; ac Cornelius, cui D. V. ſollicitationem eorum commiſerat, parum mihi effecturus videtur.

(45) Il

(44) *Hemelenſi abbati.* V. notas ad Epiſt. cxi.

Digitized by Google

(45) In Nizelensem Abbatem optime collocata erit liberalitas Regia, si modo ejus solutionem consequi quiverit, cùm adepti dignitates, communiter excusationes quærere soleant, quibus pensionarios illudant. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. XVIII. Aprilis. CIↃ IↃ LXXIII.

Cùm hæ literæ signandæ mihi offerrentur, intellexi D. Præsidem à Tysenacq apoplexia, ac subitanea morte præterita nocte magna omnium admiratione, doloreque extinctum esse. In quo integerrimum Regia Majestas ministrum amisit, & ego quoque virum à primis annis studiorum officiorumque socium. Cùm verò tempestive conveniat, alium in ejus locum surrogari, ac D. V. cognoscat quos hîc habeamus viros ad id munus idoneos, rogo te, ut unà des operam, quò quàm rectissime ei officio prospiciatur, & si forte de me interea surrogando sermo ab aliquo fiat, id omni fide ac diligentia, ut avertas, te etiam atque etiam rogatum habeo. Valetudo quippe mea multo jam tempore me domi continuit, nec ulla mihi spes est reliqua, ut aut convalescam; aut ad res tractandas deinceps utilis idoneusque fiam, sæpiusque cogito de omnino me ab Curia abdicando, reliquoque vitæ tempore in quiete finiendo. Datum ut supra.

EPISTOLA CXCVII.

Incertitudo de classe quæ ex Antverpia in Zelandiam solvit. Militum insolentiæ apud Noviomagum. Privatæ calamitates. Sigilli custodia ad se recepta, ne implacabilem Albani animum offenderet. Hoppero dissuadet munus præsidis Secreti Consilii, quod, quo pacto redintegrari recte possit, ignorat. Hispanis Belgas arcentibus, illisque apud hos ingratis. Proponit napotem. Vibrandum a se instruendum. Stipendia ministrorum insoluta in tertium annum.

DE rebus publicis, CL. D. HOPPERE, non habeo quod certi aliquid vobis perscribam, cùm hîc passim incertis rumo-

(45) *Nizellen. Abbat.* Sup. ad Epist. CXCI.

Digitized by Google

rumoribus agitemur, vix ut ſucceſſum claſſis noſtræ, quæ ex Antverpia XVII. Aprilis ſolvit, ut Walachriæ, Middelburgoque ſuccurreret, hactenus adhuc ſatis intelligere potuerimus, ſollicitudoque nos adhuc teneat, ne non omnia ex voto noſtro peracta ſint.

De Harlemo quoque in longum ſpes noſtra protrahitur, ac interea adverſarii vires ſuas inſtaurant, occurruntque illis undequaque milites, qui circa Noviomagum aliaque propinqua loca omnia infeſta tenent, ut metuant plerique, ne eadem pericula experiamur hoc anno, quibus proximo, propitio DEO, erepti ſumus. Calamitatibus autem publicis accedunt privata mala, quæ mihi quoque non pepercerunt, qui fratrem unicum chariſſimum nuper in Friſia eodem die quo hîc Præſidem Tyſenachium amiſi. Filiolum tuum meumque C. Antonium cum conſobrina Tignagel ab genero tuo Lovanium remiſſum eſſe intelligo. Gregorium quoque tuum ſalvum Duacum veniſſe aliis literis meis ad te perſcripſi, (46) Venduilliumque, cujus tutelæ eum commendaſti, admonui, ut te de ejus rebus certiorem faciat, ac mihi quoque ſignificet, ſi qua in re illum à me adjuvari poſſe videat.

Illuſtriſſimus Dux noſter nulla mea excuſatione deprecatione ve admiſſa præcepit, ut defuncti D. Tyſenachii ſigilla in meam cuſtodiam denuo reciperem, cujus implacabilem indignationem veritus refragari non ſum auſus, pollicitus tamen ſe operam daturum, ut quam citiſſime eo faſce exonerer. Itaque de novo Præſide ſufficiendo quam primum ſe ad Regiam Majeſtatem ſcripturum dixit, id quod eum feciſſe exiſtimo. Plerique autem D. T. ſucceſſorem exoptant, ſed hoc potiſſimum tempore longe mihi ſecurius videtur, ut apud Regiam Majeſtatem in Hiſpania maneat, cùm hîc certe & remunerationis ſervitiorum parva ſpes noſtris hominibus exiſtat, ac in quotidiano verſemur metu. Cùm autem numerus Conſiliariorum Secreti Conſilii tantopere apud nos diminutus ſit, & juxta Ducis ſententiam noſtrates homines ad res gerendas parum idonei habeantur, noſtriſque viciſſim exteri parum

(46) *Venduillius*] de quo ſup. ad Epiſt. CXC. qui hoc tempore primariam juris cathedram Duaci obtinebat, ipſe Doctor Lovanienſis.

Digitized by Google

parum grati sunt, nescio profecto quomodo Reip. Principisque servitio recte satisfieri possit.

Cùm ego autem ob senium adversamque valetudinem cogar omnino arena discedere, cogitavi aliquando, de aliquo meorum tempestive ascisendo, quem in iis, quæ Remp. concernunt, instruere aliquo modo queam. Et habeo certe unum ex nepotibus meis ad eam rem non ineptum, Doctorem videlicet Wibrandum, qui jura jam in triennium publice Dolæ interpretatur, ea gratia ac plausu, ut in illa Academia parem vix habeat, si modo non adulantur & vera referunt, qui inde ad nos veniunt. Sed veriorem fidem novus Præses Burgundiæ, D. Pamelius (47) forsitan brevi mihi facere poterit.

(47) *D. Pamelius*] „ M. Guilliaume de Pamele, natif de „ Bruges, fust receu a l'Estat de chef & President en l'an 1581. „ & mourat en celuy de 1592. enterré en l'Eglise de S. Gu„ dule a Bruxelles, ou il at eu un superbe Tombeau de mar„ bre, qui a été destruit quand l'on a basty la nouvelle Cha„ pelle de Notre Dame, & contenoit:

D. O. M.

Illustriss. Amplissimo

GUILIELMO PAMELIO

Adolphi filio, Francisci Nepoti,
Equiti Aurato, ex antiquissima Baronum
Pameliorum, Comitumque Joigniacorum stirpe
Oriundo.
Propter raras animi ingeniique virtutes
Philippi II. Hisp. Regis auspiciis,
Primò Supremæ Curiæ Mechlin. Senatori,
Magistro libellorum Supplicum,
Deinde Burgundici Consilii Præsidi electo,
Sed dum recusat, Flandrensi præesse jussò:
Post vero Status Regi Consiliario,
Denique cum Regii sigilli custodia
Senatus Privati Capiti & Præsidi,
Ac id munus annis XI. integerrime functo,
Regi fido, Patriæ utili, omnibus charo,
Tandem alienissimo tempore Belgis erepto.
Uxor qua cum XXXI. annis unanimis vixit,

Digitized by Google

rit. Agit autem hoc tempore in præfata Academia primarium Profeſſorem ac Rectorem, ad quod officium delectus fuit juxta novam conſtitutionem, quæ non Scholaribus, ut antea, ſed Doctoribus Profeſſoribuſque, ejus regimen committi voluit, juxta Lovanienſe, Duacenſeque exemplum. Quamobrem per oportunitatem ad Regiam Majeſtatem D. V. referre velim, ut hanc mihi gratiam faciat, quò in Collegium Secreti Conſilii nepos meus cooptari poſſit. Polliceor autem me brevi tempore illum ita inſtructurum informaturumque, ut eximium aliquod ſervitium Majeſtas ſua accipere ab eo poſſit, & quadraginta pene annis, quibus Reip. operam impendi, ea obſervavi annotavique, quæ non parum ad utilitatem Reip. facere poſſint. Quæ cùm adhuc in vivis ago, in aliquem transfundere opto, qui pari ſtudio ea ad Reip. bonum accommodet. Sin vero forſitan Regia Majeſtas ſervitium oblatum gratum non habuerit, & hunc, ut nuper Buchonem, ad Albæ Ducem rejiciendum putaverit, nolim D. T. multum moleſtus eſſe, ſperans, facile nepotem hunc meum ſua virtute doctrinaque alibi emerſurum, favoremque promeriturum.

Cornelius tuus jampridem Noviomagum conceſſit, ut res ibi tuas ſollicitet. Verum pecuniæ hîc ubique tanta eſt penuria, ut Conſiliariis, reliquiſque Curiæ noſtræ Officiatis, in tertium annum ſtipendia debeantur, quibus tamen nonnulli tenuiores in ſumma rerum caritate ægre carent. Bene vale, HOPPERE CL. ac conjugem liberoſque à me amanter ſaluta. Bruxellæ. VIII. Maii. CIↃ IↃ LXXIII.

Fratreſque Joannes & Adolphus hæredes,
Magno ſuo, majori Reip. mœrore Pos.
Natus Brugis 29. Nov. 1528. Obiit 21. Jan. 1592.

D. ANNA WINNOC UXOR

Nata 15. Jan. 1532. defuncta eſt 14. Jan. 1596. *Tomb. des hom. Illuſt. p.* 18. In Conſilium Mechlinienſe cooptatus eſt 14. Maii 1561. Succedens Joachimo Hoppero. *Butkens Suppl. Tom.* 2. *p.* * 315.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CXCVIII.

Harlemenſis obſidio continuata; ante eam urbem victoria parta. De claſſe periculum. Epiſcopus Middelburgenſis obiit. Dux Medinæ Cœli Trajecti ad Moſam. Pamelius recuſat præſidatum Burgundiæ. Duo ſoli in Conſilio privato.

CL. D. HOPPERE. Cùm longo temporo nullus curſor iſthinc, quod ſcire nobis licuerit, advenerit, neque literas ullas à vobis acceperimus, nos quoque unà obdormivimus. Qui verò hinc abeunt non lubenter noſtras adferunt literas, quod forſitan dubitent, ne nos pejora nunciemus, quàm illi perferre in mandatis habent, cædimus enim inque vices præbemus crura ſagittis. Et non deſinit Mars eſſe *allos pros allos*. Interea exercitus noſter ante Harlemium adhuc ſedet, levibuſque pugnis invicem ſe laceſſunt, ac XXVIII. die proximi menſis terra marique congreſſi fuere, noſtriſque læta ſucceſſit victoria, quæ in novam potiundæ urbis nos ſpem adduxit, prout non dubito, quin ipſemet Illuſtriſſimus Dux ad vos perſcripturus eſt. De claſſe autem noſtra apud Middelburgum hærente, valde adhuc periclitamur, extremaque fame cives ibidem premuntur, ac adverſarii cum longe numeroſiore claſſe omnes vias maris obſident. Elapſa tamen nuper inde eſt conjunx D. D. Beauvois, quæ nobis mortem Reverendiſſimi D. Præſulis Middelburgenſis, multorumque bonorum civium nunciavit. Summo autem deſiderio expectamus partum, quem vos jamdudum parturiviſtis; ut ſano aliquo conſilio remedioque noſtris calamitatibus tandem ſubveniatis.

Dux autem Medinæ Cœli rerum pertæſus, non ſat commoda fruitur valetudine, ac Trajectum ad Moſam conceſſit, ut propinquior ſit fontibus Leodienſibus, in quibus aliquam ſpem convaleſcentiæ concepit.

Fredericum noſtrum à Botnya ſuperiore hebdomada apud Lovanium amiſimus, cujus animæ DEUS miſereatur.

Cornelius tuus aliquandiu rem pecuniariam Noviomagi

Digitized by Google

ſollicitavit, vanaque ſpe huc ad Martinum hau den Berge remiſſus fuit, apud quem ne obolus quidem relinquitur, neceſſitateſque bellicæ omnia abſumunt.

Ego perpetuo malo affligor, ut ne tantillum progredi poſſim, noctesque inſomnes continuus mihi dolor efficit. Pamelius adhuc quartana detinetur, omneſque excuſationes quærit ne in Burgundiam eat. Interea quoque viſitationis negotium in ſuſpenſo manet, cùm Blaſerium, rerum quoque præteritarum tædio affectum, ægre ad relationem propellere nobis liceat, nec præter Indeveldium, Aſſonwilliumque quiſquam eſt qui Conſilio aſſiſtat. Bene vale, HOPPERE. CL. cum gratiſſima conjuge omnibuſque tibi charis. Bruxellæ. Calend. Junii. CIↃ IↃ LXXIII.

EPISTOLA CXCIX.

Univerſitatis Duacenæ negotium promotum, nec non Abbatis in Hemelum. Ex bonis confiſcatis nihil obtineri poteſt. Victoria ante Harlemium, diminuta. D. Bilius ſaucius, quem commendat ad Gubernationem Friſiæ.

ANte dies quinque, CL. D. HOPPERE, aliquid ad te literarum dederam, ſed male propitium habemus Mercurium, qui mature literas noſtras ad vos dirigat. Interea ab Venduillio faſciculum accepi hiſce conjunctum, qui & ad me ſcripſit, filium tuum Gregorium belle valere.

Univerſitatis Duacenæ negocium quantum potui promovi; approbante Duce, ut novus Abbas Sancti Vedaſti (48) quatuor millia florenorum ipſi promiſerit in decem terminis exolvenda, id eſt annuatim cccc. florenos. Stipulatus itidem ſum

(48) *Abbas S. Vedaſti*] De Atrebatenſi S. Vedaſti, vulgo *S. Waaſt*, Ordinis Benedictini cœnobio, *Gall. Chriſt. Tom.* 3. *col.* 373. ubi novus Abbas de quo hic, vocatur *Thomas de Perenay*, Bruxellenſis.

Digitized by Google

sum ab eodem Abbate, ut quingentos, Calend. Octobris proximis, Abbati tuo in Hemelum annumeret, quod eidem quoque significavi. De alia autem liberalitate, quam super bonis confiscatis Regia Majestas eidem largita est, non est quod multum sperem, cum sollicitatione precibusque impetrare nequeamus, ut quod D. T. debetur, obtineri liceat. Quæ sub Calend. Junii annunciata nobis fuere de victoria apud Harlemium parta, ea quotidie claudus nuntius diminuit, tristisque interea nobis allatus est nuncius de D. Bilio graviter vulnerato, sed medici adhuc nobis spem vitæ faciunt. Et maximam profecto jacturam in eo viro faceremus, qui inter eos, qui rem bellicam tractant, vigilantia, scientia ac virtute facile primas tenet, licet non pari favore, cujus D. V. causam intelligit. Is autem, cùm de Patria nostra optime meritus fuerit, quam ad quietem reduxit, ita, si quid illi humanitus acciderit, omnis ejus spes prope nobis auferetur. Ille verò mihi nonnunquam desiderium suum exposuit, ut in Gubernatione Patriæ nostræ, cæteris, qui non idem meruere, præferri posset. Et sane quondam D. Georgius Schenck eadem virtute sibi viam ad Gubernationem adipiscendam struxit, nec minora certe Bilii sunt merita. Si quid autem eum juvare poteris, de Patria nostra bene mereberis, & ipsum erga te tuosque non ingratum experière. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. VI. Junii. CIↃ IↃ LXXIII.

EPISTOLA CC.

Circa Harlemium laboratur. Albani animus quotidie fit acerbior. Gratiæ Regiæ, quam promittit, nemo fidit, & multi boni viri aliò cogitant. Obiit Martinus van den Berghe, exhausto ærario, & insolutis liberalitatis Regiæ assignationibus. Nepotum suorum causam non vult ad Albanum remitti, quod is Regis favorem magis avertat, quam promoveat. Consilio privato, duo interim additi Consiliarii. Ipse computus Collegii

Digitized by Google

ſui Lovanii audiit, quod viſitans, in optimo ſtatu reperit.

CL. D. HOPPERE. Accepi literas tuas, quibus datum non erat adſcriptum, ſed ex iis, quas Denneterius eodem tempore ad me dedit, collegi, ſub XII. hujus menſis diem ſcriptas fuiſſe. Utinam vero Callipides ille aliquando adveniat, qui ea nobis adferat, quæ jam dudum expectamus. Circa Harlemium adhuc laboratur, & Ducis noſtri quotidie acerbior animus redditur, ac non tantum adverſus Hollandos, ſed omnes pene Status indignatio ejus creſcit: veritusque populus ne in ſe arma convertantur, proſperis illius rebus minus affici videtur, ac gratiæ, quam ille forſitan Majeſtatis ſuæ nomine promittit, vix eſt ut quiſquam fidere velle videatur. Sic juguli noſtri ſub ancipiti gladio periclitantur, à quo niſi divina Regiaque gratia nos brevi exemerit, multi boni viri aliò cogitant. De pecunia tua nihil, niſi verba impetramus, nec eſt quod ſuper illa fundamentum aliquod facias. Martinus **van den Berge**, ad quem noviſſime Dux ſolutionem remiſit, è vivis hiſce diebus ſublatus fuit, nec apud eum ullus fuit relictus obolus, ita omnia belli neceſſitas exhaurit. Et vereor, ne Cancellarii Gelriæ, Bruxelliique viduis idem accidat. Doleo autem Courtewillii nullam haberi rationem, & vereor ne fruſtra expectetur favorabile aliquod Ducis reſponſum, cùm ejus merita jamdudum oblivioni tradita eſſe videantur. Et ſi Buchonis, Wibrandique nepotum meorum negocium ad eundem remittetur, non eſt quod quicquam ſperem, cùm ille nonnihil adverſum me offenſus, quod liberius nonnunquam ſententiam dixerim, non æquo me aſpiciat oculo. Et cùm Regiam Majeſtatem ipſam ſervitia meà non lateant, & conſilia non ingrata ei eſſe ſcribas, illud ſane deſiderarem, ut potius gratias ei agere poſſim, quàm ad alium remitti, qui Majeſtatis ſuæ gratiam ac favorem magis avertat, quàm promoveat.

Cum (49) Indeveldius, Aſſonwilliuſque (50) requiſiviſſent,

(49) *Indeveldius*] „ Meſſire Nicolas Micault Chevalier, Sei„ gneur d'Indervelde, d'Oirp, Huiſſinge &c. Il fuſt fils de „ Meſſire

Digitized by Google

ſent, ut Dux donec Conſiliariorum plenior eſſet numerus ex Senatu Mechlinienſi, aliundeve coadjutores aliquot eis adjun-

„ Meſſire Charles * Chevalier, Seigneur d'Oiſterſtyn, Tre- „ ſorier de l'Ordre du Toiſon d'or, & de Dame Levine Cats „ van Welle, & pourveu de l'eſtat de Conſeiller de ce Con- „ ſeil (*Privé*) par lettres Patentes de l'an 1554. Sa mort „ arriva à Bruxelles, & fuſt inhumé en la Chapelle du Ve- „ nerable Sacrement à S. Gudule, où il a l'Epitaphe ſuivant:

** In epitaſ b. vocatur Ioannes.*

„ D. O. M. Sac.
„ Et mem. V. N. & Cl.
„ NICOLAI MICAULT.

„ Equitis Aurati, Indevelde, d'Oirpæ, Huiſſinge &c. Do- „ mini, Præfectique in Binchio hæreditarii, nati Bruxellæ „ anno 1518. 15. Kal. Octobr. Patre Joanne Oiſterſteinii Do- „ mino, Equite Aurato, & Velleris Aurei Theſaurario, at- „ que Ærarii Regii Quæſtore. Ipſe Nicolaus indole & ſtu- „ diis ad virtutem prudentiamque factus, Carolo V. Imp. & „ Philippo II. Regi Catholico in Sanctiore Conſilio a conſi- „ liis ab anno 1554. fuit. Mox & Mariæ laudatiſſimæ Reginæ „ Hungariæ, Caroli ſorori, privatus & domeſticus Conſilia- „ rius. Proque ea, & Regina Eleonora, † Regum Galliæ & „ Luſitaniæ Vidua, legatione bene & feliciter in Luſitaniam „ functus. In omnibus laudem prudentiæ, probitatis fidem, „ adhibuit & retulit. Donec diuturno marcore a terrenis Re- „ gibus ad Cœleſtem abiit anno 1589. 17. Kal Sept.

† *Nempe Luſitaniæ Regi Virgo, Franciſco I. Galliæ Regi, Vidua nupſit.*

Itemque memoriæ

MARIÆ BOISOT PETRI F.

„ Qui Rounæ, D'Oirpæ, Huiſſingæ &c. Dominus fuit, & „ Eques Auratus, Aureique Velleris, & Ærarii Regii The- „ ſaurarius. Ipſa nata eſt Brux. anno 1529. 8. Idus Maii, ſua- „ viter & concorditer cum marito vixit, & 14. ei liberos de- „ dit; Obiit 5. Kal. Jul. anno 1579."

Optimis parentibus.

Hoc monumentum quinque Superſtites
Liberi devincti Parentum meritis PP.
Cum lachrymis & Votis.

Fuêre

Digitized by Google

adjungeret, Doctor Delryo (51) atque Advocatus Fiscalis Brabantiæ, Boisschot (52) illis adjuncti fuere, eo usi videtur consilio, ut unus in Præsidis locum surrogetur, alter commissionem Anglicanam obeat. Quod si idem Rex approbarit, DEUM precabor, ut ipsis Reip. que faustum sit.

Cùm

Fuêre Lector hi, quod es,
Et mox quod hi sunt, ipse eris.
O dura sors mortalium!
Hæc parca parcit nemini.
O cœcitas mortalium!
Hæc cura tangit pauculos.
Te tangat, ô te, si sapis:
Mori ante mortem cogita.
Piè apprecare isthic sitis,
Precentur alii sic tibi.

Tombeaux des hommes illustres. pag. 29. 30. 31.

(50) *Assonvillius que*] Ut parcatur repetitionibus, vide hujus viri imaginem in Notis ad *Comment. Viglii de x. Denar. n.* 31.

(51) *Doctor Del Ryo*] idem ille, de quo ad Epist. XXV. & ad LXXXIV. & qui anno 1576. e Senatu abreptus cum reliquis Consiliariis Status, custodiæ traditus fuit. V. Stradam, aliosque passim: patruelis Antonii Del Ryo Thesaurarii confiscationum, ut est infr. in Epist. CCIII.

(52) *Advocatus Fiscalis Brabantiæ Boisschot*] „ M. Jean Baptiste de Boisschot, fils de Jean Baptiste, & de D. Elisabeth „ van Doorne, auparavant Conseiller & Avocat Fiscal au „ Conseil de Brabant. Il deceda en la Ville d'Anvers l'an 1580. „ delaissant illustre posterité." *Tomb. des hom. illust. pag.* 38. Consonat *Butkens in Suppl. V. quoque ad Epist. LXXXVII.* Lubet hic adjungere ea quæ narrat *Loyens in Tractatus sui de Consilio Brabantiæ pag.* 368. in hæc verba: „ *Ferdinandus de Boisschot* „ patrem habuit *Joannem de Boisschot*, primùm in Consilio Brabantiæ Senatorem & Advocatum Fiscalem, deinde in Sanctiori conclavi Assessorem. In quo viro omnia aderant, quæ „ in perfecto oratore desiderantur, formæ dignitas, oris decor, orationis copia, verborum delectus, prudentia, vitæ „ probitas. Ob quas eximias virtutes *Philippus II.* Hispaniarum Rex, sagacissimus ingeniorum æstimator, illum maximis de rebus Oratorem ad *Elisabetham* Angliæ Reginam ablegavit,

Cùm meliuſcule ex cacoethe meo valere inciperem, & tædio quadrimeſtris temporis, quo cubiculo ſellæque continuo affixus fui, affectus, licet pedibus æger, Lovanium me deferri, præterita hebdomada ſuſtinui, ut Regentis Collegii mei primi (53) intereſſem, ac alumnos meos viſitarem, cùm in tertium annum ibi non fuiſſem, ubi omnia in optimo ſtatu regimineque comperi, ut ſperem me deinceps ſingulis annis novum illic habiturum Sacerdotem. Jamque aliquot eorum artium Magiſterium adepti, ad Baccalaureatus in Theologia gradum tendunt. Accivique iſthic ad me C. Anthonium noſtrum, qui ea jam mihi videtur eſſe ſtatura, qua Gregorius hinc abiens erat. Et cum Tignaglia, uxoris tuæ ſorore prudentiſſima fæmina, multis de rebus conferens, incidit nobis ſermo de contentiuncula, quæ eſt inter Loy viduam atque ipſam de Præbenda Hagenſi, quam D. T. conſopire dignabitur, cùm ex mora nihil damni in hoc rerum ſtatu obvenire utrique poſſit, de quo & ipſa fortaſſis aliquid ad te ſcribet, nam mihi inde abeunti literas ad te commiſit, quas hiſce conjunxi. Bene vale, CL. D. HOPPERE, & conjugi tuæ liberiſque amantiſſimis multam à me ſalutem dicito. Bruxellæ. pridie Calend. Julii. CIↃ IↃ LXXIII.

„ gavit, ubi exhauſtis magnis difficultatibus, tandem pacem „ (quam pacem de *Briſtol* vulgo appellant) conciliavit: „ qua legatione accurate, prudenter ac dextere functus, „ *Eliſabethæ* Reginæ fuit gratiſſimus, & *Philippi* Regis ſui gra„ tiam maxime promeruit. Exorto deinde civili in Belgio „ bello, rebelles, apud quos funeſto flagrabat odio, violentas „ in eum manus injecerunt, juſſeruntque primo ædes ſuas ha„ bere pro cuſtodia: deinde tranſvectum Antverpiam, in pu„ blicum carcerem condi imperarunt, atque Barbarico ritu „ tyrannicoque habuerunt, unde vir, feliciore ſane ſeculo „ dignus, haud multo poſt, præ animi ægritudine miſere per„ iit, relictis ſeptem liberis, parente orbatis, quibuſcum „ mœſta mater Coloniam Agrippinam conceſſit, dum civiles „ illæ turbæ ſileſcerent, ac Bruxellam Rex in ſuam poteſta„ tem redigeret." De *Ferdinando* ſi quæris, Vide *Butkens Trophées de Brabant Tom. 2. pag. 375. nouv. edit. Et Tomb. des hom. illuſt. pag. 56.*

(53) *Intereſſem*] Lege *rationibus ſeu computibus intereſſem.* Sic colligo, quamvis & in MS. & apud Gabbema deſit.

Digitized by Google

EPISTOLA CCI.

Commendat Fratres Dominicanos & Franciscanos, ut liberalitatem Regiam, frustra eis hactenus constitutam, consequantur.

CL. D. HOPPERE. Cùm fratribus Ordinis Divi Dominici, ac D. Francisci Regia Majestas insignem ac memorabilem eleemosynam largita fuisset, per quam studia Theologiæ, ac Religio Catholica non parvum incrementum in hisce regionibus suscipere posse videbantur, accidit tamen quorundam, nescio an negligentia, an malitia, ut hactenus tam præclara Regiæ Majestatis largitas effectum consequi nequiverit. Nam illi quibus mandata fuit, non solum hactenus patribus eam sollicitantibus inania dederunt verba, sed tandem ipsis responderunt, literas & mandata Regia, eis ab Duce tradita, deperdita fuisse. Ideoque Reverendus D. Provincialis Ordinis Prædicatorum, & nonnulli patres ejusdem Ordinis, inter quos etiam est senex Confessarius noster, me multum obsecrarunt, ut D. V. illorum literas ac supplicationem de meliori nota commendarem, quò literas iterativas consequantur, mandatoque serio Regis jubeatur Excellentia sua rem tam piam promovere, atque executioni, id quod Regia Majestas semel decrevit, mandare. Quanquam, ut hæc sunt tempora, valde vereor, ne hæc tam luculenta confiscationum lucra, tota in fumum abeant. Nec superesse videtur ut creditoribus satisfiat, quorum de dilata, denegataque justitia, passim querimoniæ audiuntur, dum pecunia illis debita, alio avertitur. Et Regiæ jussiones non magni fiunt apud eos, quibus negocium hoc commissum est. Sed instaurari ea se posse sperant ex confiscationibus, quas rebellio præsens, ac superiore anno excitatæ turbæ, ipsis promittunt. Quanquam si levioribus remediis uti placuisset, non in tantos belli sumptus, & periculum præsens, Provinciam, Regiamque Majestatem conjeciissent. Rogo tamén quatenus supplicantum fratrum desiderium adjuvare queas, id pro tua erga Religionem pietate præstare non graveris, & quid illis spei facere possum verbulo uno rescribere digneris. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. x. Julii. CIↃ IↃ LXXIII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCII.

De Harlemii deditione lætatur, & optat, ut victores bene utantur hac victoria, quò aliæ urbes reducantur; quarum nulla ſponte ſua redit, quòd fidere non audeant Albani promiſſionibus; quas refutarunt Auraicenſes. Dux gratiam denuo offert; fiunt proceſſiones publicæ; Claſſis paratur in Zelandiam. D. de Wackene ibi occubuit, ſubſtituto ſibi Mondragonio. Petrus Froſſardus præſes Burgundiæ. Wibrandum nepotem rurſus commendat.

CL. D. HOPPERE. Is qui ad vos nuncium de deditione Harlemenſi perferre juſſus erat, ita feſtinavit, ut nobis ſcribendi tempus non fuerit conceſſum. Plurimum autem de ſucceſſu, quem diu optavimus, gaviſi fuimus, rogamuſque DEUM, ut ii, penes quos poteſtas eſt, ſic hac victoria utantur, ut cæteræ urbes, quò in viam redeant, invitari poſſint. Hactenus autem non audivimus, ullam, ne urbeculam quidem eò adduci potuiſſe, ut tempeſtive ſe dederet, priuſquam hoſtilia arma ſentiret, prætexentes pene omnes, quod fidem non audeant adhibere Ducis pollicitationibus, cùm aliorum exempla eos terreant. Et ante multos menſes literas Excellentia ſua ad civitates Hollandiæ miſerat, quibus ad officium ac fidem redeuntibus veniam impunitatemque promittebat, Sed Auraicenſes contra, re cognita, libello impreſſo, perſuadere conati ſunt, ne talibus, (ut vocant) fucis ſe decipi patiantur, multis argumentis, exempliſque miſerum populum in ſua perfidia ac errore retinere ſtudentes. Verùm denuo intelligo Ducem hortari omnes, ne præſentis gratiæ occaſionem negligant, ſalvum conductum etiam offerens iis, quos ad eum ea de re ablegare volent. Et fortaſſis diuturnis malis emoliti periculiſque edocti, ſaniora amplectentur conſilia, id quod nos publicis ſupplicationibus ab DEO OPT. MAX. flagitare non ceſſamus. Ipſe autem Dux, quò Hollandis propius jungatur, ex Noviomago Trajectum

Digitized by Google

conceſſit. Interea D. à Beauvois (54) claſſem inſtruit ut Middelburgo periclitanti ſuccurrat, ne Walachriam, totamque Zelandiam penitus cum maximo hujus Provinciæ detrimento, ac totius navigationis exterminio amittamus. Occubuit autem nuper in quodam conflictu D. à Wackene, (55) qui per proviſionem conſtitutus erat Gubernator Zelandiæ, eidemque ſubrogatus eſt D. Chriſtophorus à Mondragon Hiſpanus, cui antea Excellentia ſua arcis Gandavenſis Præfecturam commiſerat. Creditur proxima hebdomada claſſis parata fore, ac una cum D. Beauvois Præfecto maris eò eum iturum.

Qui Pamelio noſtro in Præſidatu Burgundiæ ſurrogatus fuit, D. Petrus Froſſardus (56) huc ab Duce evocatus, pro-

(54) *D. a Beauvois*] Philippus de Lannoy.

(55) *D. a Wackene*] Antonius a Burgundia, Eques, Dominus Capellæ, Catthem & Wackene, Gubernator Zelandiæ. Quid apud Vliſſingam anno 1572. egerit, narrat *Emmanuel van Meteren in ſua hiſtoria fol.* 268. *prim. edit.* & quo mortis genere occubuerit, habes *ibid. fol.* 321. *Vſo.* Quomodo autem dominium de Wackene primus familiæ ſuæ aſſeruerit, ducta in uxorem filia *Andreæ Andreani*, ſcabini Franconatenſis, & quondam Caroli V. Cæſ. quæſtoris, narrat *Sanderus Tom.* III. *Fland. illuſtr. pag.* 40. *nov. edit.*

(56) *Petrus Froſſardus*] innoteſcit ex ſubjecto epitaphio, quod exſtat Dolæ Sequanorum in Capella familiari apud FF. Minores. Patrem habuit *Anatolium Froiſſardum* præſidem Senatus Arauſicani. Fratrem *Joannem Froiſſardum*, Equitem, Dominum de Broiſſia, Breteniére & Molenbos J. U. D. (*Butkens Suppl. Tom.* I. *pag.* 176.) qui Petro Prædefuncto in præſidentia ſupremi Sequanorum Senatus ſucceſſit,

D. O. M.

Illuſtri *Petro Froiſſardo* Equiti, Juris theoria cum praxi ad communem clientelam duobus luſtris adæquata, Fiſci & Senatoris demandato munere, cum induſtria & labore per triennium functo, ut ſuis jura redderat ad hujuſce Comitatus ampliſſimi Senatus Præſidis dignatem evocato, fatis, anno ætatis ſuæ quadrageſimo ſecundo, cedenti, *Claudia Sachet*, Domina a Fontain ejus vidua mœſtiſſima, dilectiſſimo conjugi & ſibi monumentum poſuit. Obiit anni 1575. menſis Januarii. . . . .

Digitized by Google

proximis hiſce diebus appulit, & quantum mihi ex brevi ejus conſuetudine conſpicere licuit, ad id munus obeundum non inidoneus erit. Audio enim eum eſſe in ampla fortuna, polletque ingenio ac doctrina, & admonitus à me, ut cum D. T. mutuam ſervet intelligentiam, eaque, quæ ſciri opus erit, diligenter perſcribat, omnem mihi promptitudinem pollicitus eſt. Huc etiam tandem Blaſerius advenit cum aliis Deputatis Conſiliariis, ut relationem viſitationis Burgundicæ abſolvat, atque hinc inſtructior novus Præſes eò redire poſſit. Expectamus hîc quoque avide Regiæ Majeſtatis reſolutionem ſuper D. Tyſenachii ſucceſſore. Plerique autem D. T. expetunt, quanquam hîc non deſint, qui ſortem ſuper ſe caſuram ſperent, Ego autem ab ſigillorum cuſtodia valde abſolvi deſidero, cum non amplius ſollicitatorum interpellationes inquietationeſque feram.

Id quod pro Wibrando meo petieram, curæ tibi eſſe velim. Nam juvenis ſane dignus eſt, & Rectoratum, Profeſſoriumque munus magna cum laude eum obire intelligo, & non mihi tantùm levamen ſolatiumque aliquod, ſi hoc, quod petii, impetrare licebit, præbiturus eſt, ſed etiam ad Regiæ Majeſtatis ſervitium eum non parum aptum reddere conabor.

Duci noſtro de ſex millibus ſolutis vellem vere gratias agere poſſis, verùm adhuc nullius percipiendi oboli ſpes nobis apparet, licet Cornelius tuus ſolutionem ſollicitare non deſinat.

Quæ vos iſthic molimini, & literis tuis XXIII. Junii ſcriptis, brevi ad nos perventura promittis, faxit DEUS ut tandem accipere, ac ex hiſce miſeriis reſpirare liceat. Bene vale, CL. D. HOPPERE, & conjugem liberoſque plurimum à me ſaluta. Bruxellæ. XXI. Julii. CIↃ IↃ LXXIII.

Junxi hiſce exemplar literarum D. Ducis ad Hollandiæ civitates, quibus eas ad officium invitat. Itidem exemplar literarum ejuſdem ex Harlemio ſcriptarum, quibus de Alckmaria, ac vicinis quibuſdam urbibus læta quædam, ſi vera ſunt, nunciantur. Quæ ſi ita ſint, ex literis Excellentiæ ſuæ certius intelligetis.

Digitized by Google

EPISTOLA CCIII.

Significat se in Flandriam excurrisse valetudinis ergo, & non scripsisse Hoppero, quòd cursoribus interdictum sit privatorum literas accipere. De Hispanorum apud Harlemium seditione dolet. Arx in Zelandia Geusiis dedita. Commendator major Castellæ nuntiatur adveniere. De pecunia Hoppero debita ex confiscationibus. Everardo Paulino Belgarum in Hispania confessario futuro, ut de viatico provideatur, urget.

CL. D. HOPPERE, Quæ post Harlemii deditionem acciderint, ad D. T, perscribere non potui, quod aliquot dies in Flandria fuerim, cùm propter privata aliqua negotia Ecclesiæ meæ, tum ut valetudinem meam, longa sessione afflictam, vectationis exercitatione, aërisque mutatione paululum reficerem. Huc autem reversus nihil prius habui, quam ut te literis meis salutarem, quod tamen hactenus efficere non potui, quod cursoribus interdictum ferant, ne ullas privatorum literas accipiant. Quod ideo fortassis accidit, ne de Hispanorum apud Harlemium seditione diversimode isthuc perscriberetur. Et, nequid & ego in eam partem peccem, tacere satius esse existimo, quàm rei tam infaustæ nuncius esse. Hoc autem omnibus bonis dolet, quod rei bene gerendæ occasio amittitur, veremurque ne tempore excludamur ad conficiendum hoc gravissimum bellum, cùm jam autumnus præ foribus sit. Jamque antequam classis nostra apud Antverpiam parata esse potuit, arcem in Zelandia quæ Rammekens adjacet, Geusii ad deditionem compulere, cùm commeatu ac rebus ad defensionem necessariis milites præsidiarii illic destituerentur. Proinde non parva erit difficultas, ut nostra classis Middelburgo periclitanti succurrere queat. Dum autem in his miseriis versamur, nisi DEUS ex machina nobis appareat & vos isthic tandem oculos auresque aperiatis, de nobis conclamatum esse scias. Et tecum perpendere potes in quantis angustiis

Dux

Digitized by Google

Dux Albanus verſetur. Atque apud Trajectum Moſæ Dux Medinæ interea hæret, rerum ſuarum incertus.

Jam vero nunciatur ex Mediolano adventare Commendator Major Caſtellæ, neſcio cum quibus mandatis. Rogandus autem nobis eſt DEUS ut Triumviri iſti concordibus animis ex hiſce calamitatibus nos eripiant.

De pecunia tua quid noſtra ſollicitudo effecerit, ex Cornelii tui literis intelligere poteris. Novam autem habent excuſationem ob Quæſtoris confiſcationum officii vacationem, quod nemo lubenter ſubit, propter Vargæ moroſitatem. Nec ullus tam cito obolus ad Fiſcum pervenit, quin in alias neceſſitates abripiatur, fruſtrá ejulantibus iis, quibus redditus doteſque ſuper bonis confiſcatis, jam in aliquot annos inique detinentur. Oblatum autem officium id fuit Livino Walterio, ſed is nullo pacto induci potuit ut ſuſciperet, atque ante triduum ſubitanea morte nobis ereptus fuit. Jamque de eo ſuſcipiendo cum Antonio Delryo Doctoris Ludovici patruele agitur, ſed illum etiam terrent veſtigia Martini van de Berghe, cujus defuncti papyri rationeſque omnes à Conſilio turbulento occupatæ fuere. Quamobrem vix eſt ſperandum, ut inde pecuniam D. T. aſſignatam conſequi liceat.

Reſpondi jam dudum ad id quod Rex juſſerat, de inquirendo aliquo viro idoneo, qui Confeſſorem, ſeu (ut nunc loquuntur Theologi) Confeſſarium apud vos ageret, ac magna difficultate tandem nactus ſum virum multorum judicio bene idoneum, M. ſcilicet Everardum Paulinum Theologiæ Licentiatum. Verùm ſuper viatico ejus, donec aliquid reſolvatis, iſthuc ſe conferre recuſat, & vereor ne tædio longæ expectationis, aliam ille conditionem accipiat. Quamobrem rogo ut D. T. quamprimum curet aliquid ad Illuſtriſſimum Ducem reſcribi, quid fieri de eo velit. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. XV. Auguſti. CIↃ IↃ LXXIII.

EPISTOLA CCIV.

Conqueritur de dilatis nimis diu remediis; adventum, Regis fruſtra promitti; commercia ceſſare; Status Fol-

Digitized by Google

ſolvendo non eſſe; ruſticos fugam meditari ob militum injurias. Harlemenſis deditionis exiguus fructus. Froſſardus præſes Burgundiæ cum miniſtris agit. Donckanus Decanus Hagenſis apud Amſtelodamum exulat. Tako a Geuſiis captus.

CL. D. HOPPERE. Accepi tuas literas penultima menſis præteriti die ſcriptas, de omnibus rebus, bene prolixas: de quibus D. T. magnas gratias ago, oroque etiam atque etiam, ut quantum in vobis erit, remedia illa, quæ tam diu à vobis expectavimus, tandem impetrare nobis liceat. Sentiet autem Regia Majeſtas poſtea fortaſſis, quanto cum detrimento illa hactenus dilata fuerint. De adventu autem ſuæ Majeſtatis difficulter noſtris hominibus perſuaderi poterit, qui ſi in tempore nobis contigiſſet, ſalva omnis res fuiſſet, neque hæreſis in Hollandia ac cæteris regionibus, ab Auraicenſi occupatis, tantum invaluiſſet, neque rebellionis ullum periculum fuiſſet. Et Provinciæ hæ non omni navigatione, negociatione, piſcatione, commertioque cum vicinis excluſæ fuiſſent: cùm contra, non tantum civitates, ſed etiam Status nonnulli, penſionibus reddituum divenditorum gravati, ſolvendo eſſe deſinant, & ad quinquennales recurrere cogantur: Ac pleriſque in locis, militum injuriis affecta ruſtica plebs, patriam fugere, dulciaque relinquere arva meditetur.

Nobilem autem, quem huc mittendum D. V. ſcribit, ſuſpicamur fore Commendatorem Caſtellæ, qui ex Mediolano huc adventare dicitur.

Harlemenſis deditionis victoriæque fructus, nimia cunctatione (militumque Hiſpanorum ſeditione) magna ex parte deperiit, quam tamen utcunque nunc ſedatam eſſe intelligimus, ſed temporis rebus gerendis apti parum nobis reſtat.

Claſſis noſtra duce Beauvoiſio ſat feliciter, quantum hactenus audire licuit, Walachriam ingreſſa eſt. Pamelius plurimum ob miſſionem impetratam gaudet, ac dominus Froſſardus, cui è Burgundia evocato, Illuſtriſſimus Dux commiſſionem per proviſionem expediri juſſit, hîc nobiſcum omnibus neceſſariis ordinationibus, quibus opus eſſe videtur in reſtau-

Digitized by Google

restauranda insistit administratione in Burgundia, gnaviter agit. Blaserio, cæterisque ea quæ mandasti, significavi. Zoliffus ante paucos dies è vivis excessit, majore relicta pecunia, quàm arbitrabamur. Plantino quamprimum ducentos florenos numerari curabo, nam ex Capellano intellexi plusculum pecuniæ tuæ apud eum esse.

(1) Donckanus Decanus Hagensis adhuc in vivis agit, & munere pastorali, (dum exulat) apud Amsterodamum fungitur. Tako nepos meus in Frisiam proficisci volens in prædones Geusios incidit, nimisque magna pro ejus redemptione, quàm commodè præstare possimus, exigitur summa. Nunc plura non licuit, sed cætera ad proximam epistolam reservabo. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. XVIII. Aug. CIↃ IↃ LXXIII.

EPISTOLA CCV.

De remediis labenti Reip. necessariis, quæ ex Hispania promittantur, quare non bene speret. Tysenachii viduam commendat; super Courtevillii dolet. Pro consiliariis Secreti Consilii proponit Rymium, Pamelium, & nepotem Wibrandum. Hoppero destinat præsidatum Consilii privati. Innuit Buchonem nepotem, Regium obtinuisse consensum pro coadjutoria præposituræ S. Bavonis; quem id vult ignorare, ne crista erigat. Quare provinciæ Belgicæ hæreseos nomine traduci omnes non debeant. Bilius in Frisiam rediit. De partitione gubernationis inter ipsum & Hiergium, consilium suum anceps aperit. Frisia a militibus vexata. Obiter de rebus Anglicis ac de pensionibus ex fisco. De Capitulo S. Bavonis. Rex con-

(1) *Donckanus*] is est *Martinus Duncanus*, Quempenas sive Kempensis in ditione Coloniensi. De quo Vide *Biblioth. Belg. Val. Andr. & Heussen in Epist. Ultraj. fol.* 388.

Digitized by Google

convaluit. Quid in periculo valetudinis Regiæ, prudentes consiliarii suadere debeant.

CL. D. HOPPERE. Cùm abitum suum proximus cursor à mercatoribus Antverpiensibus missus, nimium isthic acceleraret, non habui tempus, ut literis tuis noviſſimis penultima Julii scriptis, plene responderem, ideoque quæ prætermisi, hisce supplebo.

Incendisti autem desiderium nostrum expectationemque, eorum, quæ jampridem concepta fuerunt super remediis tantopere labenti Reip. nostræ necessariis. Verùmtamen, si, ut prius, ea subjicientur arbitrio illorum, qui rerum apud nos nunc potiuntur, & non absolute mandantur, nescio quid inde sperare debeamus: veremurque ne oleo vestro vinum, ut scribis, nostrum, recte, si non alii adhibeantur apothecarii, misceatur.

D. Tysenachii viduam atque liberos iterum atque iterum D. V. commendo, doleoque Courtewillii nullam haberi rationem, aut memoriam.

De Consiliariis in Consilium Secretum adsciscendis optarem, ut Rex judicium delectumque eum adhiberet, quem ipsius servitium requirit.

Rymio, (2) qui Imperatoris nomine legationis munere apud Turcam functus est, & missionem impetravit, spes antea facta fuit, ut reverso locus in Secreto Consilio concederetur, nam non lubenter ad Luxenburgensem Senatum redibit. Hunc ob rerum experientiam, doctrinamque, ac linguarum peritiam, præteriri à vobis nollem. Pamelium quoque, quem ad Burgundicum Præsidatum dignum Rex censuit, & nisi alia impedimenta supervenissent, jam eum in prædictum Consilium Majestas sua quoque cooptasset, puto inter idoneos adscribendum. De Wibrando etiam nostro jam antea desiderium meum perscripsi, & cùm ego id consilium amplius non frequentem, non arbitror conjunctionem meam illi obstituram, polliceorque, si Rex votis meis annuat, ita eum brevi tempore instructurum, ut cumprimis idoneum ministrum Majestas

(2) *Rymius*] nempe Carolus. V. Sup. ad Epist. CXXII. ubi de patre ejus *Gerardo*. Item V. ad Inventarium.

Digitized by Google

jestas sua in eo habitura sit: nam ingenio & doctrina non mediocri pollet, atque ad munia Reip. obeunda non modicam præ se fert alacritatem.

Quod autem D. V. de se suggerit, lubens, quoad possum, promovebo: quamquam aliud non puto negligendum, ut scilicet, quemadmodum Tysenachio promissio expectatioque facta fuit, ut mihi in officio Præsidatus Consilii Status succederet, itidem D V fiat, ac in eum titulum quem ego sustineo, quemque cedere paratus semper ero, quando Regi placebit, & propter valetudinem seniumque abdicare brevi cogar, D. V. mihi surrogetur. Quanquam illi, quos privati Consilii Dux adjutores dedit, non parum ad eam dignitatem (3) aspirare ferantur, & eorum alter successor jam D. T. Vargæ, quorundamque aliorum ejusdem sectæ, judicio designatus est, quo scilicet unà in Hispania Rempublicam nostram regere possint.

Quod pro Buchone meo impetratum scribis, illum celari velim, ne cornua, quæ postquam ex Hispania rediit, plusquam vellem accrevere, magis erigat. Idemque Denneterio commendes velim. Spero autem ætatem hoc vitium moderaturam, & suo se pede mensurum. Regi porro pro ea benevolentia quàm humillime meo nomine gratias agas velim, pro quo & D. T. plurimum me devinctum perpetuo fatebor.

De Franciscanorum epistola & hîc jam fama increbuerat, studioseque hoc à quibusdam agitur, ut hanc Provinciam apud Regem hæreseos maledicto nomine traducant, eoque colore in odium apud Regem adducant, cùm præter eas Regiones, quas Auraicensis Geusiique occuparunt, cæteræ judicio meo synceriores in Religione sint, quàm antea, malis videlicet execrabilibusque flagitiis eorum, edoctæ absterritæque. Geusii verò, & ob primam rebellionem proscripti, potissimum in societatem suam, sub specie libertatis, quam contra rigorosam

(3) *Ad eam dignitatem*] Nempe præsidis consilii privati, ad quam *Hopperum* destinabat, cum *promissione expectationeque* quam innuit. *Adjutores* porro illi, de quibus meminit, sunt *Ludovicus Del Rio*, & *Joannes Baptista de Boisschot*, ut est in Epist. cc. quorum prior, *Hopperi* successor in Hispania, ex Vargæ destinatione futurus esset.

Digitized by Google

ſam decimi denarii executionem prætexuerunt, incautos pertraxere, qui jam egregiæ ſtultitiæ ſuæ pœnas luunt.

Bilius in Friſiam rediit ad componendas perpetuas, difficileſque lites. Et ſi Dux forte Enchuſiam vicinaſque maris noſtri meridionales urbes tentare volet, non parum ille adjumenti inde adferre poterit.

De partitione Gubernationis inter ipſum & Hiergium (4) neſcio quid conſulere debeam, cùm rebus præſentibus conſilia accommodanda ſint, & quod olim certis de cauſis placuit, illis ceſſantibus, mutari ſubinde convenit. Vſumque aliquando fuit, Friſiam, Regioneſque Tranſiſulanas, ſub uno Gubernatore adminiſtratas, exterorum viribus melius obſiſtere poſſe. Verùm ex adverſo conſideratur, unum omnibus intendere non poſſe, præſertim, ſi, ut plerunque accidit, in nulla parte Gubernationum ſuarum ſint præſentes. Parum autem referre videtur, Tranſiſulaniane, Friſiæ an Gelriæ jungatur, ſed id quod magis convenit ſervitio Majeſtatis ſuæ præferendum eſt. Id verò experimento videmus, dum nimium potentes fiunt Gubernatores Provinciales, minus eos obedientes eſſe univerſali Gubernatori. Quamobrem Gelriam, Tranſiſulaniam, Friſiamque, ac cætera illis annexa loca, uni committi, non ſatis equidem probare poſſum. Bilium autem arbitror Rigomii (5) mortem dolentiſſime acceptarum, cùm in ejus patrocinio potiſſimum hactenus confiſus fuerit, quem ob merita in Patriam noſtram, D. T. iterum atque iterum commendo. De urbium noſtratium demolitione jam adhuc ſiletur, ſed interea milite præſidiario multum gravantur, quibus cives victum ſubminiſtrare coguntur, de quo graviſſimæ eorum ſunt querimoniæ, ac interea in ſuſpenſo adhuc manet, quidnam Dux de ipſis ſtatuet, cum gratia, quam ſperabant,

(4) *Hiergium*] Ægidius Hiergii dominus, Comitis Berlamontii filius, non Friſiæ, ſed poſtea Gelriæ Gubernator fuit: ad Friſiam tamen gubernandam, mortuo Comite Megano, tantiſper deſtinatus fuit, non ſecuto effectu.

(5) *Rigomii mors*] Puto deſignari hic *Rodericum Gomeſium a Silva*, Eboli Principem, quem Strada indigitat vulgari nomine: *Ruigomez*. Is magnæ apud Regem potentiæ, patronus fuerit *Bilii*.

Digitized by Google

bant, differtur. Blaſerium ejus quod deſideraſti admonui, & is filium jam ſe revocaſſe dicit.

De rebus Anglicis merito inculpamur, & me non parum pudet, verùm majorum opinionibus ſæpe cedendum nobis eſt. De ſexcentis florenis Hemelenſi Abbati perſolvendis, non magnam ſpem video, itidemque de aliis quæ ex fiſco ſumenda ſunt, cùm, qui illi præſunt, mille habeant ſuffugia quibus petitores eludant. Aguillonii veteris amici deſiderium lubenter juvabo, ſed magis eum puto ad Secretarii officium, quàm Financiarum idoneum. Penſiones quas Titelmannus habuit ſuper Abbatiis, non eſt dubium morte ipſius eſſe extinctas, & miror vos de eo ambigere, Ducemque conſulere.

Gregorium tuum non illubenter Duaci eſſe intelligo. (6) Capitulo autem ſancti Bavonis, cùm nuper illic eſſem, ipſe propoſui de augendo ejus ſubſidio, ſed clavam citius ex manibus Herculis quam quicquam ab illo extorqueas, ita mordicus ſtatutis ſuis inhærent, nec obolum amplius pro nepote meo Buchone ſuperioribus annis impetrare potui.

De Regiæ Majeſtatis valetudine admodum ſolliciti hîc fuimus, plurimumque gaudemus ſanitati eum reſtitutum. Magno quippe in diſcrimine Provincia noſtra poneretur, ſi antequam res hîc fuerint conſtitutæ, Majeſtas ſua nobis eriperetur. Idque conſiderantes prudentes Conſiliarii, in tempore ſuadere debent, ut turbis hiſce ſedatis, Patria noſtra quieti reſtituatur, priuſquam tale aliquod infortunium nobis eveniat.

Cornelio tuo mihi mandatum tuum referenti, non potui non ſuadere, quò apud Ducem, Albernotiumque rem pecuniariam ſollicitaret, ac de Caſtellano genero tuo Ducis intentionem exploraret, at vereor ne multum efficiat. Interea gener cum conjuge ac fratre Conſiliario apud Coloniam hæret, nec tam de ſua fortuna quam de parentis, qui in poteſtate Auraicenſis apud Delphos eſſe dicitur, ſollicitus eſt.

Fratrum ordinis D. Dominici ſupplicationis te meminiſſe velim: digni enim ſunt, qui adjuventur. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. XXII. Auguſti. CIↃ IↃ LXXIII.

(6) Id ut intelligas, vide quæ notavi ad Epiſt. LXV.

Digitized by Google

EPISTOLA CCVI.

Falsus rumor de Hopperi morte, verus de Reginæ partu: de quo plebs gauderet magis, si Regis erga se animum propitium experiretur. Alcmaria obsessa. Classis non est experta successum desideratum. Res privatæ.

CL. D. HOPPERE. Magna nos lætitia affecere literæ tuæ XIII. præteriti mensis die datæ, non modo, quia te vivere testabantur, verùm etiam, quod felicissimum sereniſſimæ Reginæ nostræ partum nobis annunciabant. Nam ex Curia Ducis infaustus rumor de obitu tuo passim sparsus fuerat, multorumque amicorum ad me literæ allatæ fuerunt, quibus mœrorem suum ex ea fama conceptum, significabant.

De novo autem hærede Regi nato magis solidum populi gaudium foret, si tandem aliquando Principis sui propitium erga se animum animadvertere posset, cujus spes jamdudum illis facta est. Sed hilarem datorem diligit dominus, & bis dat, qui cito dat. Spero tamen eam abundantiorem fore gratiam, quo fuit expectatior.

Res Hollandicæ tarde adhuc progrediuntur, & veremur ne hyems cœptis nos desistere cogat; de Alckmaria tamen obsessa brevi potiunda ex castris perscribitur. Classis vero nostra, quæ in Zelandiam profecta fuit, haud eum quem optaverimus successum experta est, cùm propter hostium vires, tum ob adversam tempestatem, quæ illi non parum detrimenti attulit.

Gregorius, Antoniusque filii tui, mea cura nondum indigere videntur, cùm hic propter ætatem adhuc teneram, apud materteram non male mihi agere videatur, alter verò apud Duacum multorum amicorum benevolentia sustineatur. Filiæ autem, generoque, qui Coloniæ agunt, nisi reductis rebus Hollandicis, quomodo consuli queat, non satis modò video, nescioque, an ob deditionem arcis Gaudensis, Ducis indignatio contra illum consopita sit.

Apud Albernotium vero instamus, ut aliquid responsi super

Digitized by Google

per literis tuis accipiamus, quo fundamentum aliquod habeamus, cui superædificare nobis licet.

Reinardo nostro quietem æternam precor, optavique sæpius, ut consilio meo acquievisset, ac ab simultatibus, quibus ejus animus agitabatur, abstinuisset, beneficiaque ab patronis accepta, cum ea qua decebat gratitudine, agnovisset. Bene vale, CL. D. HOPPERE, & conjugi liberisque multam à me salutem dicito. Bruxellæ. Calend. Septembr. CIↃ IↃ LXXIII.

EPISTOLA. CCVII.

Mittit ad Regem fasciculum super rebus Ordinis Aurei Velleris. Oppidula a Geusiis occupata. De Middelburgo retinendo nulla spes. Proponit aliquos è quibus præsidis Tysenachii successor eligatur.

CL. D. HOPPERE. Superioribus diebus aliquid ad D. V. literarum dedi, verùm dubius sum, an adhuc apud M. postarum detineantur, nunc vero certior factus ab Illustrissimo Duce de cursore in Hispaniam mittendo, cum quo Excellentia sua mandavit, ut ad Regiam Majestatem ea perscriberem, quæ cum Duce Erico Bruynswicensi super exhibitione Aurei Velleris acta fuissent, ei satisfaciens, ad te fasciculum Regiæ Majestati inscriptum, destinandum, atque aliquid literarum adjungendum putavi. Nescio autem an ex literis suæ Excellentiæ certiora intelligetis de successu obsidionis Alckmariæ, cæteriisque quæ in Hollandia geruntur, nos hîc de iis nihil habemus. Vehementerque dolemus Geusios hisce diebus oppidula Montis-Gertrudis, ac Steenbergensis occupasse, metuique ne Bredam progrediantur, Campiniamque quotidianis excursionibus prædationibusque infestent. Nec de retinendo Middelburgo magna nobis spes supereſt, nisi aliis auxiliis consiliisque res geratur. Accepi quoque literas ab Illustrissimo Duce, quibus advisum meum expetit super eo quod Rex ad eum scripsit, de nominandis aliquibus, ex quibus successorem in officio Præsidis Tysenachii deligere possis,

&

Digitized by Google

& hiſce junxi exemplum reſponſi mei, ut ſi Excellentia ſua fortaſſis id apud Regem diſſimulet, ſententiam meam cognoſcere poſſis, in qua illud quoque quod deſiderabas ſuggeſſi. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. v. Septembr. CIↃ IↃ LXXIII.

EPISTOLA CCVIII.

De Alcmaria deſperatur; aliis urbibus timetur; quid præterea mali eveniat. Zelandia tota in diſcrimine. Dux ſeriò revocatus dicitur, quem ante triennium diſceſſiſſe præſtitiſſet. Rumor de Dukonis a Martena naufragio. Inundatio in Friſia. Negotia Burgundica abſoluta, & commiſſio præſidis expedita; ſed ſine titulo equeſtris dignitatis; quod Froſſardus illa inſignitus non eſſet, quam pro eo petit. Everardo Paulino viaticum rurſus poſtulat. Geuſii ab Amſterodamo repulſi. Alcmariæ potiundæ nova ſpes. Bilii literas tranſmittit; eumque enixe commendat.

CL. D. HOPPERE. Literas noviſſime, id eſt XVII. Auguſti per D. V. ad me ſcriptas accepi: remedia totiès à vobis promiſſa veremur, ne nimis ſero veniant, nam hæc omnia ad ruinam tendunt. De Alckmaria quodammodo deſperatum eſt, ac Harlemium, Amſterodamum, Trajectumque, ne non ſine magno periculo hac hyeme ſint, valde metuitur, dum ad alia mala forſitan accedet novorum Gubernatorum cum Duce Albano non ſatis ſyncera concordia, generaliſque Statuum ac populi jamdudum concepta alteratio. Totaque Zelandia in diſcrimine verſatur, ne in Geuſiorum poteſtatem veniat, dum in tempore remedium non fuit adhibitum. Ducem autem ſeriò in Hiſpaniam revocatum ajunt, ſed præſtitiſſet eum nunc abjiſſe, cùm de ſucceſſore ante triennium fama fuerat, cùm pene nunc rebus deſperatis, non ſolum cum periculo noſtro, verùm etiam non magno

Digitized by Google

magno honore Provinciam alii cedet, qui laceram exhaustamque ægre conservare poterit. Dukonem à Martena, qui piratarum Geusiorumque navibus se adjunxerat, magna nuper exorta tempestate, naufragio periisse referunt, sed ego fidem non adhibeo. Eademque omnes agros, qui extra intraque aggeres Westergoe sunt, inundavit, incolasque novo damno afflixit. Campinia Brabantiæ post occupatum montem Sanctæ Gertrudis continuis Geusiorum excursionibus exposita est. Burgundica negotia jam ante multos dies à nobis absoluta, & ad Ducem sunt transmissa. Sed veremur, ne Excellentia sua multis molestisque negociis fatigata, eorum resolutioni non satis intendere possit. Interim eorum resolutionem expectat hîc novus Præses Frossardus, qui se D. V. plurimum commendat, ac si forte Dux ad Regem aliquid de ipso, Burgundicisque negociis scripserit, quæso ut ejus desiderio satisfacias. Etenim cùm in commissionis super Præsidatu Burgundiæ expeditione, visum nonnullis fuisset, titulum equestris dignitatis ei dandum, prout omnibus, qui eo officio functi fuerunt, datum antea fuisse asserunt: ego admittendum id non putavi, cùm mihi non constaret de creatione ipsius, quemadmodum in cæteris Provinciæ nostræ Præsidibus observatum memini, ut videlicet antea quàm is titulus eis præberetur, eo honore particulariter insignirentur. Quo hanc controversiam consopirem, obtuli me ad D. V. scripturum, ut commissio ab Regia Majestate expediatur, per quam eadem mandaret alicui equestri dignitate insignito, ut, cùm Rex dictum Præsidem eo honore dignum judicaret, ipse authoritate Regia illum equitem crearet. Quamobrem D. V. rogo ut relatione Regiæ Majestati de eo facta, dignetur, mandare, quò prædicta commissio expediatur. Poterit autem eam dirigere ad D. Franciscum de Wergy Gubernatorem Comitatus Burgundiæ, aut D. Antonium de Canot, Dominum de Santans, vel D. Franciscum de Wautreners, equites, aut alium equitem super eo requisitum, ut illum ex authoritate Regia equitem creent.

Misimus autem ad Ducem ordinationes tam generales quam particulares conceptas super correctione abusuum, quos per visitationem in Burgundia factam cognovimus, qui forte ad Regiam Majestatem easdem transmittit.

Digitized by Google

Quo autem omnia cum debita authoritate executioni mandari possint, valde mihi convenire videretur, ut commissio ipsius Præsidis, quæ per provisionem tantum ab Excellentia sua ei data fuit, per Regem absolute ei concederetur, comprobareturque.

Liberi tui, quantum rescire potui, bene valent. Rem pecuniariam tuam Cornelius quantum potest sollicitat, sed surdis hactenus canimus cantilenam.

Si quid in nepotum meorum causa licebit impetrare, id velim eos celari, donec ipse id antea cognovero, Deinceps interioque, ut idem mandes, rogo.

M. Everardus Paulinus Sacræ Theologiæ Licentiatus, cum quo jam pridem egi, ut in Hispaniam proficiscereturfuncturus in Curia Regia officio Confessarii communis in lingua Gallica & vernacula nostra, non parvo tædio afficitur, dum Dux noster super viatico ejus non resolvit, nihilque certi constituit. Visum autem mihi fuit, non minus ei posse præberi quam centum & quinquaginta coronati, cùm sit vir honestus, ac Theologiæ Licentiatus, qui sine ministro hoc iter ingrediendum sibi non putat. Quamobrem quod alias rogavi, admonendam D. T. censui, ut Rex numerari illi jubeat, quod ille postulat, siquidem ejus ministerio uti voluerit.

Cùm hæc scriberem allatus nobis fuit nuncius, de Geusiis, qui navibus suis Amsterodamum obsederant, aggeresque è regione ejus in Waterlandia communierant, per D. de Bossu ejusque classem, inde esse repulsos, fugatosque; ac de Alcmaria occupanda nostros non omnino spem abjecisse, prout non dubito, quin per Ducis literas plenius eà intelligetis. Eodemque tempore à Domino de Billi literas accepi ad D. V. destinatas. Et quoniam fortassis plenius desiderium suum per eas, quas unà ad me dedit, exposuit, visum mihi fuit eas ad D. T. unà mittere, cujus in Patriam nostram merita antea ad D. T. sæpius perscripsi. Dubito autem, cùm de Rigomii favore semper dependere creditus fuerit, an in Ducis nostri cæterorumque, qui apud eum authoritate pollent, benevolentia multum confidere debeat. Hoc certe persuasum habeo, absque ejus industria totam Frisiam nostram in Geusiorum potestatem futuram fuisse: & si fortassis Regia Majo-

Digitized by Google

Majestas hoc tempore alteri illam Provinciam commiserit, qui non pari diligentia solertiaque præditus fuerit, Patria nostra in magno periculo erit. Quamobrem D. V. etiam atque etiam rogo, ut unà det operam, quo ea in Regis obedientia potestateque retineatur, & nos quoque ejus ministri ab ea non excludamur. Bene vale, CL. D. HOPPERE, & conjugem liberosque à me amanter saluta. Bruxellæ. XX. Septembris. CIↃ IↃ LXXIII.

EPISTOLA CCIX.

Mittit fasciculum Regi inscriptum, de quibusdam ad Ordinem Aurei Velleris pertinentibus.

CL. D. HOPPERE. Mitto D. T. fasciculum Serenissimo Regi nostro inscriptum, per quem visum mihi fuit Majestatem suam admonere, de quibusdam ad Ordinem Aurei Velleris pertinentibus, quem velim ad proprias ejus manus cum humillima mei commendatione per oportunitatem tradi, cùm scilicet validus, cùm lætus erit, cùm denique poscet. Nam seria publicaque ejus negocia, meis hisce literis interturbari nolim. Ac si ipse meum officium non ingratum esse intellexero, siquid in eodem negocio ulterioris operæ à me requiret, tanto lubentius, alacriusque eam præstabo. Hisce vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. XXVIII. Septembr. CIↃ IↃ LXXIII.

EPISTOLA CCX.

Ducem Medinensem revocatum in Hispaniam, & alium qui Mediolano præfuit, in itinere esse, accepit: ex quo populus non gaudet, cùm Vargas adhuc ferociat. Apud Alcmariam res infeliciter gestæ. Burgundica negotia ab Albano expedita.

CL. D. HOPPERE. Quod jam dudum incerto rumore hîc ferebatur de revocatione Ducis Medinensis illud

Digitized by Google

tandem verum esse intelleximus, tam ex ipsomet Duce, quàm quod videmus seriò illum ad abitum res suas componere, quod ego tanto minus credere hactenus potui, quod ex D. V. literis nihil tale intelligere potui. Accepimus & alterum, qui Mediolano præfuit, huc iter habere, tametsi populus ei non magnam fidem adhibeat, cùm Vargas adhuc, ut antea, ferociat, & Ducis nostri Albani ita res implicatæ sint, ut, quomodo hinc se explicet, non facile videamus. Nam apud Alckmariam ita infœliciter res gesta est, ut exercitum inde revocare debeat, ac utinam Harlemio, Amsterodamo, Trajectoque ita Dux provideat, ut in fide ac obedientia eò usque persistere possint, donec sub novo Gubernatore alia consilia remediaque adhibita fuerint.

Burgundica negocia in quibus hîc aliquandiu laboravimus, secundum sortita sunt effectum; ac Excellentia sua citius quam sperare ausi eramus, ea expedivit, prout ex copia literarum ejusdem D. V. intelligere poterit, de quibus Majestatem quoque suam (uti scribit) certiorem facturum eam existimo: Dominationemque V. rogo, ut spem quam de salariorum augmento Præsidi ac Senatui fecit, Rex benigne ipsis confirmet. Bene vale, CL. D. HOPPERE, & conjugi liberisque multam a me, quæso, salutem dicas. Bruxellæ. III. Octobris. CIↃ IↃ LXXIII.

EPISTOLA CCXI.

Timet aliquot urbibus Hollandiæ post infelicem apud Alcmariam conatum, & quod omnia necessaria militi desint. Successor Albani non poterit, quod volet: qui est fructus tam diu dilati remedii. De prætensione Joannis Richebè, quem commendat. Literas per Hernandum de Toleto accepit.

CL. D. HOPPERE. Alcmarienſis obsidio eum habuit exitum, quem me vereri superioribus literis indicavi, ac faxit DEUS ne Harlemium rursus amittamus, atque Amsterodamum, Trajectumque, cum vicinis urbibus in idem periculum

Digitized by Google

culum reducantur, cùm annonæ commeatuſque penuria jam laborare incipiant, agrique circumquaqe vaſtati ſint, nec ſit, unde militi præſidiario ſtipendia aliaque neceſſaria ſubminiſtrari poſſint. Dux autem in Brabantiam redire fertur, ut ſucceſſori locum faciat, qui, etſi magno animo voluntateque Reipublicæ curam amplecti ſtudeat, rebus tamen omnibus pene exhauſtis, timendum eſt, ne hoc poſſit quod volet, atque hic, mi HOPPERE, fructus eſt tamdiu dilati remedii.

Ornatiſſimus vir D. Joannes Richebè, (7) qui Regiæ Majeſtatis Agentem in urbe multis annis egit, ab eo tempore quo Secretarius Doublioul mortuus fuit, graviter hîc conqueſtus fuit, & ſolutionem penſionis ſuæ differri, & officium ſuum ab alio invadi: quaſi id morte Gregorii Ayalæ (8) vacarit, cùm ipſe Ayala nunquam commiſſionem à Curia noſtra habuerit, & tantum novorum Epiſcopatuum negocia, unà cum Caſtilio fratre Doctoris Del Ryo, direxerit, altero nihilominus in communibus Patriæ noſtræ negociis commiſſionem retinente, uti antea Ducem noſtrum, ſuper ea re ab Regia Majeſtate conſultum, ſignificaſſe arbitror. Cùm autem vetus mihi ſit amicus, meam etiam opem imploravit, ne qua injuria privationiſque infamia afficiatur

Junxi autem copiam epiſtolæ ejuſdem, & extractum ex Rationibus Livini Wouters Receptoris Generalis financiarum, quò D. V. plenius intellecto negotio, viro bono & bene merito favorem quoque ſuum impartiri non gravetur, uti enixe ab D. T. poſtulo. Inquietor ſubinde quorundam precibus, ut ſupplicationes petitioneſque eorum D. V. commendem, quod humanitatis officium illis me denegare non permittit, quod in bonam partem accipere D. V. velim, prout ego

(7) *Joannes Richebè*] Canonicus Atrebatenſis, & Præpoſitus. Ad hanc dignitatem admiſſus fuit per reſignationem *Joannis de Roſa*, & ad Principis nominationem, die 23. Junii 1556. Fuit quoque Canonicus Brugenſis Eccleſiæ Cathedralis S. Donatiani, atque *Caroli V.* Imp. ac *Philippi II.* Orator apud Romanos Pontifices *Julium III. Marcellum II. Paulum IV. Pium IV. ſ. Pium V. & Gregorium XIII. Vide Gall. Chriſt. Tom.* 3. *col.* 361. *& Comp. Chronol. Epiſc. Brugenſ. p.* 129.

(8) *Gregorius Ayala*] V. Sup. ad Epiſt. LXXX.

Digitized by Google

ego viciſſim hanc mutuam operam offero. Literas quas D. V. D. Hernando de Toleto perferendas ad me dederat, fero, ſed tandem, accepi, quod ille in itinere ob adverſam valetudinem aliquandiu ſubſiſtere coactus fuerit, & quanquam hac tranſierit, viſum tamen ei fuerit, non antea eas mihi tradere, quàm Duci ſuas reddidiſſet.

Theſaurarii Salinenſis amici mei filium è vivis apud vos ſublatum eſſe valde doleo, parentibuſque per Froſſardum Præſidem hoc nunciari curavi, qui ejus neptem uxorem habet, quem D. V. iterum atque iterum commendo, ne in obtinenda commiſſione abſoluta diu in ſuſpenſo hæreat, prout authoritati ipſius ad exequenda ea, quæ ab Illuſtriſſimo Duce ei circa abuſuum reformationem injuncta ſunt, prolixior dilatio minime convenire videtur.

De Rebus D. V. non habeo adhuc quod reſcribam, cùm ab Albernotio reſponſum extorquere nequeamus, & vereor ſi (uti fertur) Dux ſucceſſorem brevi habiturus fuerit, ne negocium hoc una cum multis aliis illi relinquatur. De liberis autem veſtris non aliud impræſentiarum habeo, quàm omnes perbelle valere. Bruxellæ. XVI. Octobr. CIↃ IↃ LXXIII.

EPISTOLA CCXII.

De Commendatoris adventu quid ſtatuat, ſi non aliam quam Medinenſis commiſſionem habeat. De Molinæi itinere Româ in Hiſpaniam. De Abbatia de Bellevaux, aliiſque vacantibus. De Hopperi genero ac pecunia nihil fauſti nuntiare poteſt.

INtellexi, CL. D. HOPPERE, ex literis D. V. VIII. hujus menſis die ſcriptis ad Gubernatorem harum ditionum, Regiæ Majeſtatis Commendatorem (de quo antea vago ſermone audieramus) huc deſtinari, Regiæque Majeſtati placere, operam ut unà dem, quò Provincialibus noſtris gratus adveniat. Quod etſi nemo admonuiſſet, in me nullum officium deſiderari paſſus fuiſſem, lubentiſſimeque pro virili adnitar,

Digitized by Google

nitar, ut Regiæ Majestatis voluntati quoad poterit satisfiat, licet Ducis Medinensis revocationem plerique non satis probent, quod ob ejus mansuetudinem in spem aliquam moderatioris regiminis adducti erant. Et si quidem Commendator non alia commissione munitus fuerit quàm erat Medinensis, ut videlicet ex Ducis Albani arbitrio pendeat, quando ei gubernacula cedere velit, vereor ne hoc novo successori eveniat quod illi, ex quo ubi advenerit, rerum nostrarum statum plenius intelligere licebit. Molinæus (9) tua amicitia fretus nuper hîc ferebatur ex Roma in Hispaniam profecturus, ac plerique adversus Episcopos criminas erigunt, quod persuasum habeant Ducis ab eis alienatum esse animum; & profecto satius erat eos nunquam instituisse quam institutis hoc pacto exauthorari, sed tu nosti Molinæi varium turbulentumque ingenium.

Abbatiæ de Bellevau (10) negocium (ut aliarum Abbatiarum provisiones) in manibus Ducis, dum in aliis detinetur occupationibus, quiescunt, quem tamen non puto de dicta Abbatia de Bellevau, si sententiam nostram sequi voluerit, dispositurum, nisi re prius ad Majestatem suam relata.

De genero tuo, numerationeque sex millium utinam tandem favorem, qui D. T. promittitur, re ipsa nobis percipere liceret. Verùm ita hîc ubique res angustæ sunt, ut hoc rerum statu nemo fere solutionem aliquam sperare audeat. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. XXIX. Octobr. CIↃ IↃ LXXIII.

(9) *Molinæus*] Joannes, vulgo Van der Meulene, Gandavensis. *V. Bibl. Belgic. novæ. edit.*

(10) *Abbatia de Bellevau*] Lege *Bellevaux*, latine est *Bella-Vallis*, Religiosorum Ordinis Cisterciensis, in Comitatu Burgundiæ, diœcesis Vesontionensis. Series Abbatum exstat in *Jongelini Notitia Abbatiarum Ord. Cisterc. p.* 92. Hæc est Abbatia quam in commendam aliquando possedit Illustriss. & Reverendiss. *Humberius Guilielmus a Precipiano* Archiepiscopus Mechlinienſis meritissimus, 9. Junii 1711. e vivis ereptus, piæ, & apud orthodoxos Belgas numquam interituræ, memoriæ.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCXIII.

Inedita.

Albanus & Commendator exſpectantur. Tako redemptus. Buchonis & Folcardi nepotum præbendæ confiſcatæ. De Martena fuit falſus rumor. De viatico Confeſſarii. De præſidis Burgundiæ commiſſione. Blaſerius quoque viaticum expectat. Admonendus Rex, ne novum Gubernatorem ſine adjutorio pecuniarum relinquat, & ut Conſilio privato de præſide provideat. Viglius ineptus ad Remp. Stipendium Gubernatoris generalis, unde ſumendum ſit, ignorat. De Officiatis Ordinis Aurei Velleris conſtituendis. Veretur Molinæum inſtigatores habiturum. D. ab Havrech a Rege, conſanguineus ſalutatur. De Vandeneſſii cauſa. De libello famoſo, Valentiæ contra Belgas edito; ubi quæ cauſa, quod multi a Catholica fide defecerint. De Epiſcoporum querelis ob non ſolutas penſiones. De Adriano Montoya.

CL. D. HOPPERE. Literas tuas XXII. Octobris ſcriptas, unà cum multis aliis accepi, ac unicuique ſuas tradi curavi. Ducem, Commendatoremque (1) hîc indies expectamus, Noircarmio Trajecti relicto, qui utinam eam oram, donec alia conſilia ineantur, tueri poſſit.

Takonem (2) noſtrum magna pecuniæ ſumma redimere coacti fuimus, ac ejus fratres Bucho & Folcardus, (3) occupa-

(1) *Commendator*] Ludovicus Requeſenius, magnus Equitum Sancti Jacobi in Caſtellæ provincia Commendator, Belgii Gubernator generalis.

(2) *Tako*] a Montzima, Viglii e ſorore nepos.

(3) *Bucho & Folcardus*] a Montzima. Ille præpoſitus S. Joannis, hic Canonicus, Ultrajectinus, & poſtea Decanus S. Salvatoris. *Vide Catalog. meum.*

Digitized by Google

cupatis præbendarum ſuarum bonis, ægrè ſeſe amicoſque (qui ex Haga Comitis ad eos Trajectum confugêre, jamque pene ſeſquiannum e domo ſua cum familia, liberiſque exulant) ſuſtinere poſſint. Ita undique anguſtiæ nos cruciant.

De Martena (4) falſus fuit rumor, ac is cum aliquot navibus piraticam exercet, patriamque noſtram inquietat.

Confeſſorem Paulinum huc evocavi, confidens vos inde de viatico proſpecturos. Nam etſi noſtro quæſtori generali ab Duce idem mandatum fuerit, ille tamen ne obolum quidem ſibi relictum ait, cum omnes proventus aliò divertantur.

De commiſſione abſoluta præſidis Burgundiæ, dignitateque equeſtris ordinis, rogo ut D. V. curæ habere velit; cùm Regiæ Majeſtatis ſervitio conveniat, ne in longum ea res protrahatur. Arbitror autem jam ordinationem, ceterorumque quæ ad Burgundicum negotium pertinent, copias per Ducem ad vos tranſmiſſas eſſe, cùm ego ante multos dies (*ad*) Excellentiam ſuam eas miſerim.

Blaſerius autem adhuc hîc hæret, dum de viatico fruſtra Financiarum fores pulſat. Veremur autem, ne Dux huc adveniens non ſatis quoque ei providere queat, & in ſucceſſorem omnia rejiciat, qui, niſi aliunde proſpiciatur, neceſſitatibus tam multis difficulter conſulere poterit. Admonenda autem Majeſtas ſua erit, ne novum Gubernatorem abſque neceſſario adjutorio relinquat, ac de præſide tempeſtivè provideat, cùm ille os dexteraque ipſius eſſe debeat. Et expediebat profectò ad illud miniſterium aliquem jam dudum fuiſſe promotum, ne novitius apud novum Gubernatorem omnino eſſet.

Quod ad me, HOPPERE, pertinet, jam antea ſatis indicavi, quàm ſim caducus, ſedentariuſque, ut vix me domi, atque apud focum fovere queam: ac utinam, quantum optarem ac Rex poſtulat, operam novo Gubernatori præſtare poſſem! Idque vel maxime me ſolicitum habet, quo pacto ipſius expectationi, quam iſthic illi feciſtis, ſatisfaciam.

Quod ad ejus autem ſtipendium pertinet, puto me olim aliquid ad D. V. miſiſſe, & denuo hiſce junxi id quod ab quæſtore reſcire potui. Sed in eo potiſſima erit difficultas,

(4) *Martena*) Ducko à V. Epiſt. CCVIII.

Digitized by Google

mas, unde hæc queant decerni, cùm ærarium penitus exhaustum sit, & nulli pene ministro quicquam solvatur, præterquam solis financiariis, qui suam ipsi rem curant: quod te ignorare non arbitror, qui in eadem nave nobiscum navigas. Gratias verò magnas agere Duci debebis, si sex milia, toties promissa, consequi tandem valebimus. De quo quid sperare debeamus, eo adveniente, certiores fiemus.

Schedulas ad Fouggerium factorem super cccc. florenis Cornelio tuo tradidi: videbimusque an per illum Coloniam destinari possunt, cùm nos hinc eam pecuniam non satis tutò, ac sine periculo mittere valeamus.

Quæ de negotio Ordinis Aurei Velleris ad Regem scripsi, Majestati suæ grata fuisse gaudeo: ac certe perneccessarium est, ut officiati Ordinis quamprimum deligantur; de quo cum Duce nostro, ubi huc advenerit, communicabo, cereraque quæ necessaria erunt, pro virili promovebo: ac tui, uti postulasti, rationem haberi, quoad potero, curabo.

Vereor, ne non desint, qui Molinæum ad id quod cenat, instigent; neque enim omnes Masii mortui: & hunc protrudunt, qui audeat aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum. (5) Ac a parvo incipientes, ad majus incendium excitandum approperabunt, nisi initio Regia auctoritate reprimentur.

Literas Domino ab Havrech (6) quibus Rex eum consanguineum (7) vocat, transmisi: nec enim aliter decet, cùm valde propinquo illi sanguine jungatur, & aliquot minorum gentium dils eum titulum attribuatis. Vandenessii supplicationem ad Consilium Flandricum, cum Regiarum literarum copia, nostrum Consilium transmisit: nec dubito, quin illic, uti convenit, providebitur. Utinam autem jam dudum ipsemet providisset. Sed verè dixit Poëta, dedecus ille domus

(5) *Gyarus*] seu *Gyara*. Una ex Cycladibus insulis, quò Romani in exilium reos mittebant. Est versus ex Juvenali desumptus.

(6) *D. ab Havrech*] Charles de Croy Marquis d'Havrè.

(7) *Consanguineum*] id est: *Mon Cousin*. Vocabulum honorificum, quo Reges, dum scribunt literas aut Mandata, compellant Cardinales, Principes de Regio Sanguine, & extraneos, ac proceres regni præcipuos, aliosque.

Digitized by Google

mus sciet ultimus. De quo non parum doleo, cùm ejus prolem de sacro fonte susceperim.

Lubenter legi decretum isthic emissum, contra libellum famosum Valentiæ editum. Nec aliter suspicari nostri possunt, quàm hæc commenta non aliò tendere, quàm ut isthic Regi, omnibusque persuadeatur, nos omnes hîc hæretica pravitate contaminatos esse, quò videlicet nos magis odiosos isthic reddant, & licentiam habeant bonos viros atque Catholicos impune opprimendi, diripiendique: cùm firmiter credamus, plures ad hæresim desciviſſe occasione proscriptionum, & rigoris immoderati, indiscretique, quàm in hac tota provincia antea reperiebantur, cùm ne ullus quidem pagus ab Catholica religione sese segregasset: ubi jam tot urbes, ac totæ quasi regiones ab Geusiis, hæreticisque oppressæ, depravatis dogmatibus dedere se coguntur.

Querimonias Episcoporum nostrorum, ob non solutas pensiones Hispanicas, & hîc quoque audire sæpe coactus fui, atque de iis cum Castilio procuratore eorumdem aliquoties egi. Verùm ei non defuêre in contrarium rationes, quibus illorum criminationes refelleret. Et sane, uti monachi, theologique plus satis pecuniarum cupidi, avidique sunt, & eas adepti, minus dispensare norunt, ut facile in egestatem rursus labantur: ita non dubito, quin, uti procuratorum mercatorumque consuetudo est, suis commodis, quantum possint, invigilent. Si quis tamen Episcoporum ad me ulteriorem querelam deferat, non omittam Episcopi Palentiani excusationes ei declarare.

Vobis omnibus, qui natalis mei memineritis, tamque largiter mihi adhibuerinis, gratias magnas habeo. Ego quoque hîc veterem consuetudinem non omisi, quam Deus nobis concedat, ut aliquando unà continuemus, lubenterque cantilenam: Nunc dimittis servum tuum Domine, canerem, si hoc albo lapillo adventûs Regiæ Majestatis, concludere vitam possem.

Adrianus Montoya Castellani olim Gandavensis filius, vix pubertatem egressus, emancipari sese obtinuerat, ac aulicam sectatus vitam, imprudens in societatem incidit eorum, qui anno 1566. damnatæ ligæ, supplicationique subscripserunt: quo nomine ipse huc citatus ut se purgaret, comparuit, gratiam-

Digitized by Google

tiamque obtinuit, ac uxorem bene opulentam Gandavi duxit. Si quid præterea de eo intellexero, certiorem lubenter te reddam. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ VI. Novembris. CIↃ IↃ LXXIII.

EPISTOLA CCXIV.

inedita.

Viduas Alberti a Loo, ac Courtewillii commendat. De Gemelli canonici Cameracenſis ſcandaloſis concionibus. Res familiares. Honorarium Hoppero debitum pro expeditione commiſſionis novi Gubernatoris.

CL. D. HOPPERE. Ad literas tuas XXII. Octobris ſcriptas, v. hujus menſis ample reſpondi, ſalutemque viduæ D. Alberti van Loo tuo nomine dixi: cujus vicem ſane doleo ob hæc potiſſimum tempora, quibus omni parentis ſenis (8) ſolatio deſtituitur, ac de ejus quoque vita ſollicita eſt, qui a propria domo exulans, apud Delphos agere fertur. Quam unà cum Courtewillii vidua D. T. etiam atque etiam commendo.

Literas ad Provincialem Auguſtinienſium per D. Damhouderium Brugas tranſmitti curavi.

Adverſus M. N. Gemelli * Canonici Cameracenſis ſcandaloſas conciones, jam, ut audio, ad Jeſuitarum querelas, Archiepiſcopus providit: & Dux quoque noſter, Barlemontiuſque de eo admoniti, ſuum officium deeſſe non ſinent. Ego quoque, ſi quid potero, hominis proterviam coercere conabor.

De Abbatiæ Bellæ-Vallis (9) (*proviſione*) Ducem, ubi huc advenerit, admonebo.

Ja-

* *Petrus Gemelle* aut *Jumelle*, numeratur inter Canonicos graduatos theologos apud *Charpentier Hiſt. de Cambray Tom.* I. *p.* 463. nec plura.

(8) *Parentis ſenis*] Is erat Arnoldus Van der Myl, ſæpius Conſul Dordracenus, ab anno nempe 1541. uſque ad 1572. Obiit anno 1580. ætat. 97. *V. Leeuwium Bat. Illuſtr. p.* 1018.

(9) V. Sup. ad Epiſt. CCXII.

Digitized by Google

Jaquelina neptis mea, Petri Bugirii uxor, priore amisso filiolo, alterum peperit, Gerbrandique patris sui nomen puero indidit: ac indies quoque nuncium expecto de Bauckiæ Bugyranæ, Hectoris nepotis mei uxoris, partu; & jam pridem ab eis, ut si masculum fuerit enixa compater illis fiam, rogatus sum.

D. Wibrandum D. T. iterum atque iterum commendo. Regique meo nomine affirmare poteris, maximam illum de se spem, expectationemque præbere. Omninoque confido, si Rex desiderio meo annuere dignabitur, effecturum me ut Majestas sua egregium in eo servitorem habitura sit.

Quod de honorario pro expeditione commissionis novi Gubernatoris D. T. debetur, per opportunitatem eum submoneri lubens curabo, ceteraque quæ ad te tuosque pertinebunt, fideliter apud eum promovebo.

Stina, totaque familia nostra D. T. ejusque conjugi & familiæ se plurimum commendat. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ x. Novembris. CIↃ IↃ LXXIII.

EPISTOLA CCXV.

Inedita.

Dux Albanus æger. Noircarmius copiis militaribus in Hollandia præfectus. Haga-Comitis & Sluſa Maeſlandiæ, recuperatæ. D. a Sancta Aldegunda captivus, qui ſui cum Comite de Bouſſu commutationem offert. Commendator expectatus intra biduum. Albanus abitum ſuum declaravit. Quam incommodum ſit, non eſſe Conſilio Privato datum præſidem. Præſes Flandriæ decumbit.

CL. D. HOPPERE. Postridie D. Martini Illustrissimus Dux noster ab expeditione Hollandica huc rediit. Et quamquam in ingressu sanus ac incolumis videbatur, die tamen sequenti, cùm eum visitarem, in lecto decumbentem reperi, ac podagræ dolores se præsentiscere ajebat. Noircarmium

Digitized by Google

niam non satis quoque firma valetudine præditum, copiis militaribus, quæ in Hollandia vicinisque locis relictæ sunt, præfecit. Nuncium autem, adveniente Duce, accepimus, nostros interea Hagam Comitis, Slusamque quam vocant Maeslandiæ, non longe ab Delphis ac è regione Brielæ sitam occupasse, trucidatis captisque iis, qui ab Principe Auraicensi in præsidio dictæ Slusæ collocati fuerant, inter quos fuit Domini a Tolosa filius, quem vocant ab Sancta Aldegunda, cujus frater anno 1567. apud Oisterwelam cæsus fuit: ferturque, cùm necem sibi intentari vidit, quò vitam redimeret, obtulisse Dnum a Bousslù liberum redditurum, si sibi parceretur. Est enim apud Principem ejus auctoritatis, ut omnia pene ex ejus consilio faciat: creditur que author esse multorum famosorum libellorum, qui proximis annis contra Ducem promulgati sunt, homo sectis, hæresibusque totus immersus. Commendatorem autem intra biduum triduumve hîc quoque affore arbitramur, & Dux nos de abitu suo certiores reddidit. Sed quidam ejus ministri, vix ante Martium hinc profecturum ajunt, quamquam arbitremur, non tam diu eum hîc hæsurum, postquam successori Gubernationem cesserit.

Incommode autem accidit, quod de præsidis officio resolutionem tam diu Majestas sua differt, cùm, uti nosti, illi incumbat negotia dirigere, ac pro novo Gubernatore respondere, proponereque quæ necesse erunt. Et vobis antea sæpe significavi, me obire hanc functionem non posse, quotidie magis atque magis valetudine inclinante.

Præses Flandriæ (10) jam multos menses quoque decubuit, ac convalescentiæ spem modicam medici præbent: quod certe dolendum est, cùm intelligerimus diligentissimusque justiciæ administrator habitus ab omnibus fuerit.

Tysenachii vidua enixe me rogavit, ne negocia sua filiique commendata habere graveris. Valde autem conqueritur, sibi aliquot adhuc milia deberi ab Rege, quorum solutionem hîc consequi nequit.

Ad-

(10) *Præses Flandriæ*] Jacobus Martens, de quo ad Epist. CXCIV.

Digitized by Google

Adjunxi hisce Zylii nostri literas, quas ut ad te darem, me rogavit.

Post reditum Ducis Cornelius noster Albernotium de solutione, Castellanique negocio aliquoties interpellavit, sed hactenus nihil nisi verba impetravimus. Faxit Deus ut sollicitatio nostra meliorem successum consequatur. Bene vale. HOPPERE CL. Bruxellæ. XV. Novembris. CIↃ IↃ LXXIII.

EPISTOLA CCXVI.

Gubernatio Generalis nondum ab Albano tradita Commendatori: unde quasi interregnum, quod populo displicet. Quales novo Gub. adjutores non dandi. De Officialibus Ordinis. De Molinæi accusatione & conatibus. Courtewillii viduam, memoriamque commendat. De Jacobo Daventriensi, ejusque opere. De genero Hopperi. Urdium, Dodonæumque commendat. Periculum Middelburgi.

CL. D. HOPPERE. Binas literas tuas IV. octavoque præsentis mensis Novembris die scriptas heri accepi. Quod à nobis multo tempore nihil vos accepisse miramini, culpam penes me non fuisse cognosces ex iis, quæ interea ad vos perlata esse non dubito, cùm nullam occasionem scribendi prætermiserim, si quem isthuc cursorem tendere audirem. Jam autem octavus est dies quo Illustris D. Commendator huc advenit, quem reditus Ducis sex diebus antea prævenerat. Verùm de mutatione regiminis hactenus in suspenso omnia manserunt, Duce, uti videtur, podagra correpto, & hyberni temporis incommoditatem ad iter ingrediendum causante. Interea tamen velut in interregno ab omnibus cessatur, accurrentibus undique sollicitatoribus, quorum supplicationes in suum reditum ab Duce rejectæ fuere. Speramus tamen brevi aliquid constitutum iri, ne populus suspicetur eadem arte cum novo hoc Gubernatore agi, qua cum Medinensi actum quiritantur. Commendatorem autem plurimum commendaret, si eum viderent manus operi admovere, neque ab

Digitized by Google

ab altero dependere. Salutavi & ego eumdem, in Curiam transportatus, cùm pedibus insistere non satis queam, operamque meam obtuli, quatenus vires permiserint, quas vehementer doleo, ministerio ejus satisfacere non posse, sed tamen, quando requiret, ad eum me deferri curabo, præstaboque quæ potero. Sed adjutoribus, ut antea sæpe scripsi, aliis etiam opus habebit, nec tamen scio an conveniat illos adhiberi, qui ex schola procedent Vargiana, qui idcirco gravi populi odio laborant. De quibus mihi Rex sapienter facturus videtur, si nihil statuat, donec Illustri Commendatori melius cogniti ab eodem probentur.

Curavi aliquoties Ducem interpellari super mandato Regio de tribus Officialibus Ordinis creandis; ac super altero articulo de processu honoris instituendo, mandavit, ut cum Doctore Delryo conferrem, quod hactenus adversa ejus valetudo non permisit.

De Molinæo jam quid fieri conveniat in Consilio deliberatum est, sed expectatur occasio, ut resolutio utriusque Gubernatoris authoritate comprobetur. Jampridem autem hîc audivimus, in Hispaniam eum iter habere, ubi Romæ fundamenta jecerit, qui isthic tuo favore exædificari posse non diffidit: me interim accusans velut ipsius ex professo hostem, quò suspectum ab hujusmodi negotii cognitione removere possit, cùm ego (quod in veritate conscientiæ meæ affirmare possim) nunquam inimicum erga eum animum habuerim, sed ei semper meliorem mentem, sanioraque consilia comprecatus fuerim. Quod & apud te olim contestatus sum, cùm subdole se mihi reconciliari velle ostenderet, clareque ei sæpe responderim, me neque inimicitiam aliquam contra eum concepisse, sed rursus levis ingratique hominis familiaritatem me aversari. Et certe nisi hujusmodi conatus suprema authoritate reprimantur, non satis liberum erit bonis viris Regia mandata exequi.

De favore D. Tysenachiæ impenso permagnas D. T. gratias ago, Courtewilliique viduam ac memoriam, D. T. iterum atque iterum commendo, cùm exploratam habuerim defuncti fidem, industriam, atque diligentiam, excidisseque eundem omni favore apud eum, quem nosti, ob id forsitan, quod non omnes ejus voluntates actionesque probaret.

M. Ja-

Digitized by Google

M. Jacobus Daventrienſis, cùm hîc ob executionem decimi denarii in metu popularis ſeditionis verſaremur, ac à Geuſiis novæ turbæ exorirentur, ipſe hinc ſe aliò proripuit, initioque crediderat Dordracum eum confugiſſe, ubi antea ſedem collocarat. Cùmque ea urbs paulo poſt ad Geuſios deſciviſſet, plurimum ſollicitus fui, ne opus ejus in illorum poteſtatem veniſſet. Cùm de eo nihil certi inquirere potuiſſem, tandem apud Coloniam eum latere per amicum intellexi, eumque per literas benigne admonui, rogavique ut huc cum opere ſuo redire non gravaretur, eidem pollicitus, mortuo Martino van den Berge/ cui ejus ſolutio mandata antea fuerat, me fideliter procuraturum, ut ſi quid debebitur ei exſolvatur. Si quid autem ab eo reſponſi accepero D. V. mox ſignificabo. Optaſſem autem pro magna re, ut Regia Majeſtas opere ipſius hoc tempore frui potuiſſet, quò urbium ab hoſtibus occupatarum, aut à noſtris obſeſſarum, ex ejus deſcriptione pleniorem cognitionem accipere potuiſſet.

De re pecuniaria tua nihil nobis hactenus præter verba impetrare licuit. Generi cauſam ſatius fore exiſtimo, ut D. Gubernatori commendetur, cùm vix aliquid æqui ab alio expectare nobis liceat. Reſtitui autem illum ad priſtinum officium neſcio an ſuadere audeam, ubi urbs Goudana cum arce ſua ad obedientiam reducta fuerit, in tam malignis exaſperatiſque civium animis.

Junxi hiſce Urdii, Dodonæique ad te literas. Uterque autem ſeſe D. T. commendari poſtulavit, hic ut munus ſuum herbarium Regiæ Majeſtati commendes. Et ſane ille apud Mechliniam communem fortunam perpeſſus Regiam beneficentiam meretur. Alter pertæſus præſentis conditionis, in qua illi non paucæ moventur moleſtiæ, illa defungi, atque ad aliam ſe promoveri exoptat. Videor autem me meminiſſe, te aliquando de ipſo in Secretum Conſilium adſcribendo aliquid ad me ſcripſiſſe, de quo tunc tacendum putavi propter Rollemæ cauſam, ob cujus defenſionem non levem hîc incurrerat indignationem, quæ mutato regimine uti ſpero ceſſabit. Quamobrem D. T. cogitare poterit an aliquid pro eo officii fieri conveniat. Certe ego judico eum non minus idoneum ac gratum fore, quàm ſint quidam quos alii obtrudere geſtiunt; intelligis opinor de quibus ſentiam.

Digitized by Google

Classis nostra apud Antverpiam rursus instaurata, Middelburgo ad extremum laboranti, commeatum inferre non citra periculum allaborat, cùm adversarii navibus nautisque longe superiores esse feruntur, rejectique denuo rem aggredi moliuntur, quibus nisi DEUS faverit, ipsius Middelburgi amissio majora secum pericula damnaque nobis adferet.

De Hollandia post novissimas meas literas nihil memoratu dignum huc perlatum est. Speramus autem, si remedia ea quæ pollicemini Commendator tandem proferet, & Imperium aggredietur, nos brevi aliquam post has tenebras lucem conspecturos, sed nocuit differre paratis. Bene vale, HOPPERE CL. conjugemque ac familiam à me salvere jube. Bruxellæ. XVI. Novembr. CIↃ IↃ LXXIII.

EPISTOLA CCXVII.

Albanus tradit imperium Commendatori, non expeditis iis negotiis, quæ in reditum suum rejecit. De Universitatis Dolanæ, & visitationis Burgundicæ rebus, ad Regem refertur. Magna populi expectatio, ecquid remedii novus Gubern. adhibebit; qui eget viris bonis & prudentibus Consiliariis. Consilium Statûs ad quatuor viros redactum.

CL. D. HOPPERE; hodie Illustrissimus Dux Albæ constituit, accepto ab successore sacramento, ei imperium tradere, quod intelligimus non satis lubenter ipsum suscipere, altero hîc permanente, dum valetudinem causatur, quæ non satis firma videtur. Speraverimus tamen antea Ducem expediturum fuisse ea negocia, quæ in reditum suum semper rejecit, ob quæ multi huc sollicitatum occurrere, inter quæ sunt Abbatiæ pleræque, tum virorum tum fæminarum, quæ plusquam annum vacavere, & acceptis informationibus advisum nostrum perscribi ad se jusserat: verum nunquam vacavit earum determinationi intendere. Scripseram quoque ante annum, quosdam Deputatos Universitatis Dolanæ huc advenisse, ut super nonnullis, ejus feliciorem progressum concernen-

Digitized by Google

nentibus, quædam ordinarentur, quorum postulata magna ex parte ad Regis resolutionem tum Excellentia sua rejecerat, quorum nunc primum ejus sententia ad vos remittitur, unà cum ordinationibus super visitatione Burgundica conceptis, de quibus quæso D. V. non gravetur ad Regem prima oportunitate referre, cùm mora rebus non parvum præjudicium adferre soleat. Populus universus magna expectatione ducitur, ecquid remedii desperatis pene rebus novus Gubernator adhibebit, de cujus prudentia, æquitateque ac moderatiore regimine, in bonam spem adducimur, præsertim si in pristinum ordinem Consilia restituerit, virique boni ac prudentes in adjutores adjuncti ei fuerint. Supersunt autem soli tres aut quatuor ex Consilio Status, qui commissionem ab Rege habent, ex quibus, solus Barlemontius præsto esse potest, cum Archotiæ Dux ad residentiam astringi se non patiatur, & Noircarmius aliis functionibus occupetur. Et ego neque corpore, neque animo satis valeo, &

Est, mihi purgatam crebro qui personet aurem;
Solve senescentem mature sanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat.

Omniumque maxime novus Gubernator indigere videtur Præside, cujus opera in rerum directione utatur. Hæc, mi HOPPERE, præcedentibus literis meis, quas adhuc apud M. postarum hærere intelligo, adjicere visum est, teque enixe rogo, ut jam lapsum, aut certe labescentem, Reip. nostræ, Patriæque statum commendatum habere digneris. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. XXVIII. Novembr. CIↃ IↃ LXXIII.

EPISTOLA CCXVIII.

Albani discessus incertus, qui interim successorem instruit. De Consilio Status ut in præced. Ep. Assonvillii querela, quod in eo locum non habeat. Dux plura ad successorem rejicit: qui illis, initio regiminis intendere non potest.

CL. D. HOPPERE. Cùm cursorem, cui literas meas superioribus diebus scriptas commiseram, nondum discessisse,

Digitized by Google

& hactenus retentum fuisse intelligam, quo ab utroque Gubernatore nostro literas unà ad Regem perferat; tribus verbis D. V. significare volui, de Ducis abitu nihil adhuc nos certi habere, quanquam plerique non diu mansurum asserunt, ac interea successorem de præteritis actionibus rebusque agendis instruit, sed aurem alteram pro sua prudentia aliis præbiturum eum existimamus, sed tamen dici solet;

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu.

Mihi autem valetudo non permittit, ut officia, quæ libens præstare vellem, impendere ei possem, ac miror Regem tam diu nos hîc relinquere destitutos ministris necessariis, cùm nemo Consilio Status superfit præter Ducem Arschotiæ, Barlemontiumque, ac me: & olim longe meliore valetudine prædito, Cardinalis Grandvellanus, ac tres alii literati, præter Proceres, unà in nogociis dirigendis assistere in Concilio Status Gubernatori solerent. Multumque conqueritur Assonwillius, qui gnaviter nobis subservit, honorem ejus dignitatis hactenus ei fuisse denegatum, neque honorarium aliquod fuisse concessum. Quamobrem, quæso, ut adjuves, quò Majestas Regia aliquid tandem statuat, ac bene merentibus aliquid remunerationis præmiique largiatur. Dux autem supplicationes, multorumque negotia, dudum apud se sollicitata, ad successorem rejecit, sed illi in his Gubernationis initiis parum intendere vacat. Et fortassis à vobis isthinc ampliora mandata expectat priusquam hîc aliquid immutet, quanquam hæc mora minus gratum apud populum ejus adventum facit. Sollicitatio nostra in causa pecuniaria, ac generi tui, hactenus apud Ducem, Albernotiumque, infructuosa fuit, proinde alia via ingrediundum esse vereor, & fortassis apud Commendatorem ejus successorem major gratia speranda erit. Bene vale, CL. D. HOPPERE & conjugem liberosque multum à me velim salutes. Bruxellæ. VI. Decembris. CIↃ IↃ LXXIII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCXIX.

Dux Albanus, ejuſque filius, & Secretarius Albernotius, ac Vargas, quo die abierint. Albernotius inſalutato Viglio, & Hopperi negotio pecuniario infecto, diſceſſit, contra promiſſum. Inſpecto rerum ſtatu, non plus Hoppero ſperandum erit ſub novo Gubernatore, ob æs alienum, debitaque, pro quibus exſolvendis a ſolis Statibus ſubſidium expectatur: abolito tamen prius x. den. Veretur, Commendatorem Albani quoque veſtigia preſſurum, quòd Conſilium Turbarum etiamnum ſubſiſtat, aliaſque ob cauſas. Ipſe valetudine impeditus, cum Commendatore rarius agere poteſt. Ait, hoc agi, ut veteribus miniſtris abrogatis, novi, ex Albani conſilio, ſubſtituantur. Cuſtodiæ Archivi Brabantiæ ac Flandriæ, quibus collatæ. Viglius a ſigilli cuſtodia abſolvi enixe poſtulat. De Officialibus Ordinis. De Confeſſario in Hiſpaniam mittendo. De Molinæo, & theſaurarii Sthetſii filio.

SExta hujus menſis, CL. D HOPPERE, noviſſime ad D. V. ſcripſi, ac XVIII. ejuſdem Dux Albanus hinc abiit. Gubernator novus altera die D. Thomæ Antverpiam profectus eſt, ut diſpiciat ſi qua ratione rei maritimæ, ac Middelburgo extreme periclitanti, ſuccurri poſſit. Heri autem D. Fredericus Ducis filius, Albernotiuſque, ipſum ſecuti fuere, Vargas verò altera die à Ducis abitu, iter quoque ingreſſus fuit. Speraveram antea aliquod nobis boni reſponſi in re veſtra pecuniaria datum iri, ſed uſque ad extremam horam blandis verbis lactati fuimus, & coram ſæpius Albernotius dixit, ac per miniſtros ſignificavit, non ſe abiturum, niſi mihi & valediceret, & de negocio D. V. quid effectum eſſet indicaret. Verùm neutri ab eo ſatisfactum fuit, & in

Digitized by Google

ſucceſſorem cuncta, quæ ab Duce omiſſa fuerunt, rejecta ſunt: maxime verò ea quæ rem pecuniariam quoquo modo concernebant. Et immenſa turba creditorum ſub Ducis abitum huc accurrit, à quibus explicare ſe non ſatis potuit: unde non ſine cauſa veritus aliquando fui, ne nimium propere D. V. de præſtito officio, quod an completurus eſſet, dubitabam, gratias illi ageret. Quamobrem aliæ vobis rationes ineundæ ſunt, & quantum video rerum noſtrarum ſtatum, ab ſucceſſore non multo plus expectandum erit, cùm is quoque æris alieni, debitorumque tantam hîc comperiat magnitudinem, ut, quonam ſe vertat vix perſpicere adhuc poſſit. Et in ſolis Statuum ſubſidiis ſpes aliquà manet, cui tamen, depauperatis alteratiſque Provincialibus, quantum confidere poterimus, non ſatis videmus, præſertim cùm perpetnò nobis objiciant, ante omnia decimi denarii exactionis, quæ has nobis potiſſimum turbas excitavit, abolitionem ipſos requirere. Quam tanto vehementius poſtulant, quanto Ducem animadvertêre pertinacius ei inhærere. Neſcimus quæ Commendatoris ſuper eo futura ſit ſententia, niſi quod magnopere verentur omnes, ne per menſtruum hoc tempus, quo una hîc egêre, informatus ab illo fuerit, ut iiſdem veſtigiis ſit inceſſurus, præſertim cùm videant conſilio turbulento, ut vocant, etiam poſt Vargæ abitum, authoritatem relinqui, ac de venia, clementia, ac antiquis legibus, moribuſque & conſuetudinibus Patriæ, ſecundùm veterem conſiliorum, Magiſtratuumque ordinem, (prout D. V. aliquando ad me ſcripſit) conſervandis, non magnam adhuc ſpem fieri. Verùm differri iſta prudenter ab eo in aliud tempus ſuſpicor, ut ſynagogam antea cum honore ſepeliat, nec Ducem ſumma authoritate apud Regem contra ſe excitet, offendatque; aut quia ea mandata ac remedia, quæ iſthic à vobis concepta fuerunt, nondum acceperit. Ego autem cùm valetudine impeditus, ac totus ſedentarius factus ſim, rarius eum convenire poſſum, & cùm Hiſpanicum non ſatis intelligam ſermonem, cum eo plene conferre non poſſum. Jamque antea vobis ſæpe ſignificavi, Regis ſervitio non ſatis conſuli, quod, dum Præſidalis tituli mihi honor relinquitur, cujus functioni neutiquam par eſſe queam, alterius neceſſario miniſterio Gubernator privatur. Sed hoc agi ſuſpicor, ut, veteribus mini-

Digitized by Google

miniſtris abrogatis, novi ex conſilio Ducis, ubi iſthic advenerit, ſubſtituantur, id quod ex eo nuper ſatis intellectum fuit, quod cùm cuſtodiæ (11) ſive præfecturæ Archivi Brabantiæ ac Flandriæ, morte D. Tyſenachii, ac Hermetis, vacarint, quas Indeveldius, Aſſonvilliuſque ex Cæſaris decreto ſibi deberi contendebant, nihilominus eorum benedictionem Riius, atque Advocatus fiſcalis Brabantiæ, intercepere : qui & ad Præſidatum alioſque honores, favore ejuſdem Ducis Albani, aſpirare feruntur. Verùm mihi perinde erit quicquid Regi placuerit, tantumque illud in votis habeo, ut cura cuſtodiaque ſigilli, quæ mortuo Tyſenachio mihi invito impoſita fuit, exoneret, quæ quantis me moleſtiis afficiat dicere paucis non poſſum. Et is ſane eſt valetudinis meæ ſtatus, ut qui bene mihi volunt, quò ex hoc piſtrino eximar, quietiorique vitæ, in qua propediem ſalubrius mori poſſem, reddar, opitulari mihi debeant. Quod Rex de Officialibus Ordinis Duci mandarat, curavi, ut ante ejus abitum perficeretur, ac ut juſſerat, rationem per me ei traditam, ad Majeſtatem ſuam iſthuc adveniens, referat. D. quoque V. circa Theſaurarii officium rationem haberi curavi.

Pro Confeſſario tandem extorſimus ccc. florenos, cum quibus ipſe ſe itineri parat. De Abbatiis officiiſque vacantibus, & ab Duce ad ſucceſſorem rejectis, nondum ei intendere vacavit.

De Molinæo (12) ex Conſilii deliberatione aliquid ad Regiam Majeſtatem ſcribitur : (13) ſed tamen nonnihil ſcru-

(11) *Cuſtodia Archivi*] Viros hic nominatos ſparſim indicavi. *Tyſenachium* in Notis ad Vitam Viglii N. XCIV. *Hermetem de Winghe* Sup. ad Epiſt. CLVII. *Indeveldium* ad Epiſt. CXIV. & cc. *Ludovicum Del Ryo* ad Epiſt. XXV. *Joannem Baptiſtam de Boiſſchot*, qui hîc Advocatus Fiſcalis Brabantiæ appellatur, ad Epiſt. LXXXVII. & cc. Porro *Chriſtophorus Aſſonvillius*, de quo in præcedente proximè epiſtola, Conſiliarius Conſilii privati fuit, de quo alibi.

(12) *De Molinæo*] Non liquet qua de re ſcriptum fuerit. Si conjicere licet, improbata fuerint ejus attentata Romæ, quò profectus fuit ut recentem erectionem quorumdam Epiſcopatuum Belgii revocari impetraret.

(13) *Sed*] Hæc particula adverſa, quid ſibi hîc velit, nemo,

Digitized by Google

ſcrupuli objectum fuit Commendatori ob excommunicationem, ante abitum ejus ex Mediolano, adverſus eum fulminatam (14)

Theſaurario noſtro Schetzio jampridem indicavi quam benigne de filio ejus ſuſcipiendo reſcripſeras. Is autem nunc primum iter verſus Hiſpaniam ingreditur, iterumque me rogavit, ut illum denuo D. V. commendarem. Bene vale CL. D. HOPPERE & conjugi liberiſque multam à me ſalutem precare. Bruxellæ. XXV. Decembr. CIↃ IↃ LXXIII.

EPISTOLA CCXX.

Expectat quid Rex reſolverit ut malorum aliquem finem conſpiciat. De concordia cum Hollandis parva ſpes. Cum Geuſiis non tantùm, ſed & cum Hiſpanis militibus res eſt. Legatus Angliæ Antverver-

mo, ut arbitror, aſſequetur. Ita tamen eſt in MS. & apud *Gabbema*. Non recte conjunguntur hæ res duæ: *Molinæi* negotium, & excommunicatio *Requeſenii*.

(14) *Excommunicationem . . . . . fulminatam*] Hic audiendus eſt *Famianus Strada Dec.* 1. *lib.* 8. *ad an.* 1576. *pag.* 488. *edit. Antverp. in* 8. *anni* 1640. „ Diſſenſiones aliquot inter ipſum, „ Sanctumque Carolum (*Borromæum*) Mediolani antiſtitem, „ nonnihil offecère illius nomini: creditusque non nemini „ propterea rem Belgicam infeliciter adminiſtraſſe, ac præ„ propera morte finiiſſe. Adduntque, *Requeſenium*, in eo mor„ bo (*quo e vivis ſublatus eſt*) ſollicite miſiſſe ad *Carolum*, ut „ ab illo, quem virum Sanctum appellabat, ſalutari expia„ tione Crucis impertiretur. Quæ mihi non perinde comper„ ta, memoraſſe, non aſſeruiſſe, animus fuit. Illud paullo ex„ ploratius habeo, diſcedentem Mediolano in Belgicas pro„ vincias *Requeſenium*, nulla cum offenſo antiſtite reconcilia„ tionis palam curâ (nam cum Eccleſia in gratiam redierat, „ ex *Gregorii* XIII. diplomate) in itinere tactum religione, „ ablegaſſe è ſuo comitatu primarium hominem, qui a Car„ dinali antiſtite piè ſubmiſſèque depoſceret præteritorum ve„ niam. Bonus paſtor libentiſſime obtulit, deprecatoremque „ ſe, pro eadem a Deo impetranda, ultro ſpoponsdit.“

Digitized by Google

verpiæ. Deputati Burgundi contra novas ordinationes. De Stalio graphiario Flandriæ.

AD noviſſimas literas tuas, CL. D. HOPPERE, VI. ac VII. Januarii reſpondi, avidiſſimeque expectamus, quidnam Regia Majeſtas reſolverit ſuper eo, cujus nobis ſpem feciſti, ut videlicet malorum noſtrorum aliquem finem conſpiciamus, nam niſi inde aliquid boni annuncietur, hîc non videmus, quid ſperare debeamus

Elbertus (15) ex Hollandia rediit, & ad concordiam ineundam parvam nobis ſpem retulit. Attamen Gubernatori viſum fuit, ad locum communicationis Deputatos aliquos mittere, qui propius eorum voluntatem explorent. Venit & Comes à Zwartzenburg, cum aliquot comitibus in Hollandiam, ſed non multo plus ſpei nobis ex ejus tractatione affulget. Interea nos hîc non tantum cum Geuſiis noſtris, ſed & cum Hiſpanis, aliiſque militibus, quibus ſtipendia ſolvere nequimus, res eſt. D. Bilium hîc expectamus, ex quo de ſtatu Friſiæ noſtræ plenius aliquid intelligam.

Legatus Anglicus adhuc apud Antverpiam hæret, ea apud Gubernatorem proſequens, quæ vos ex literis Excellentiæ ſuæ cognoviſſe puto.

Burgundici quoque Deputati advenerunt, non tantum contendentes, ut ordinationes novas contra abuſus ex viſitatione reſultantes aboleant, ſed omnem quaſi authoritatem Majeſtati ſuæ abrogent, ex ſuggeſtione, ut creditur, quorundam Senatorum, Officiariorumque ejus Provinciæ, qui non melius, quàm hac via, culpas ſuas obvelare ſe poſſe exiſtimaverunt.

(16) Stalius Graphiarius Flandriæ, à vobis huc remiſſus, apud

(15) *Elbertus*] Leoninus. Is ſæpe tempore tumultuum Belgicorum legatione functus, & tandem Ordinum fœderatorum partes ſecutus eſt. V. compendium vitæ ejus in *Bibl. Belg. novæ edit.*

(16) *Stalius graphiarius Flandriæ*] Scribendum fuit *Stalins*. Cauſam, de qua Viglius hîc, plane ignoro. Ceterum *Jacobus Stalins* Conſilii Flandriæ Graphæus, fecundus parens, e con-

Digitized by Google

apud Gubernatorem de abolitione adhuc contendit. Verùm Consilium Flandriæ, cui cognitio concessa est, in via justitiæ adhuc persistit: nec ego, quomodo contra, patrocinium aliquod ei ferre queam, citra nominis mei læsionem, satis video. DEUS D. T. cum conjuge totaque familia salvum custodiat. Bruxellæ. III. Febr. CIↃ IↃ LXXIV.

EPISTOLA CCXXI.

De contributione a Flandris oblata. In Brabantia ab officiis, præfecturisque removendi, qui Brabantini non sunt. Militum exactiones. De opere Jac. Daventrienſis. Adrianus Van der Myl in cœtu Statuum Hollandiæ.

CL. D. HOPPERE. Hodie ex Antverpia D. Thesaurarius Schetsius ad me scripsit, Gubernatorem nostrum tandem acceptasse id quod Flandri in causa contributionis obtulere, hortans me, ut ad D. T. unà scriberem, quò operam daret, ut Rex ratum gratumque habeat, quod per Gubernatorem factum existit. Ego autem nonnihil dubitavi, an conditionibus adjectis, quibus semper mordicus inhæsere, satisfactum Flandri esse arbitrarentur, Brabantique multum insistunt, ut Chauxius, D. Avila, cæterique non Brabantini ab officiis, præfecturisque, juxta privilegium suum, removeantur. Habent autem illi non minores querimonias quàm Flandri, ut nesciam, an illi eorum exemplum sequi velint. Certe communitates civitatum ad tantas contributiones non æque adduci poterunt, præsertim cum exactiones militum non cessent. Ja-

juge sua *Joanna Delvael*, vidit filios, nepotesque nonaginta & novem. Obierunt, ille 14. Februarii 1624. anno ætatis 94: illa 7. Maii 1627. ætat. 87. Sepulti sunt ambo Aldenardæ in ecclesia S. Walburgis. *Ex Schedis J. F. Foppens. Jacobi* filius *Ægidius Stalins* fuit supremi Senatus Mechliniæ Consiliarius anno 1628. (*Butkens Suppl. Tom. 2. pag. 316.* **) cujus filius *Joannes Baptista* patri successit an. 1654. *ibid. pag. 318.* ** V. quoque *Biblioth. Belg. pag. 33. nov. edit.*

Digitized by Google

Jacobus Daventriensis tandem promisit se huc ad proximum mensem adfore, & opus suum in tria divisum volumina tunc allaturum.

Doctor Elbertus cum Arnoldo Cornelii (17) Burgimagistro Dordracensi se pransum dicit: filium vero ejus, Doctorem Adrianum, se apud Delphos in cœtu Statuum Hollandiæ aliquoties vidisse, convenisseque. Faxit DEUS ut corda adversariorum ad obsequium Majestatis perducat. Bene vale CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. VII. Febr. CIↃIↃ LXXIV.

EPISTOLA CCXXII.

Quare cautior sit inscribendo. Queritur de Hispanorum militum injuriis, a quibus Trajectenses liberatos lætatur. Fama de Hopperi adventu. De missione sua. Dodonæus apud Imperatorem. De medico, chirurgoque. De visitatione Burgundica, novisque Episcopis. Per x. den. & per confiscationum emolumenta ludificatus Rex. Urdium commendat. Tzommo Baillivus Middelburgensis. De erectione Comitatus Berlaymontani. Stalius Graphiarius ex Hispania redux.

CL. D. HOPPERE. Cursores vestri quos pridie Cal. Decembr. ac post Cal. ipsis Decembribus, expedivistis unus post alium, huc salvi appulere. Cùm autem inter literas meas comperiam, non redditas tibi fuisse eas, quas III. XIIque Augusti ad te dederam, exemplaria earundem hisce adjunxi. Gaudeo autem ceteras salvas ad te pervenisse. Insidiæ vero quorundam, nimium curiose in alienarum literarum secreta inquirentium, me subinde in scribendo cautiorem

(17) *Arnoldus Cornelii*] Arnoldus Van der Myl, filius *Cornelii*, vir præcipuæ auctoritatis apud Dordracenos; pater generi *Hopperi*. Doctor *Adrianus Van der Myl* frater generi. V. *Leeuwium Bat. illustr. pag.* 1018. & 1019.

Digitized by Google

rem reddunt, & licet Hiſpani noſtri uberem materiam literarum quotidie præbeant, malo tamen ea ex aliis quàm à me ad vos ſcribi. Hîc enim non tantum à Geuſiis periculum nobis imminet, ſed ab iis quoque quos protectores habere debebamus, mœnia noſtra tueri cogimur. Bene autem actum eſt cum Trajectenſibus, quos propitius DEUS ab Hiſpanorum gladiis ſervavit, ſed ſi id alibi, uti minitantur, attentent, verendum ne res in nervum prorumpat.

Fama tui ad nos reditus ab illis profecta eſſe videtur, qui tibi iſthic ſuccedere deſiderarent, idque Albani (18) expoſcere procurareque creduntur, ut ſoli iſthic Regem poſſideant.

In cauſa mea, quod jam dudum agitas, peragi tandem abs te velim, cùm id non minus Regiæ Majeſtatis interſit, quàm mea imbecillitas exigit : ut cùm amplius laborem perferre, & huic muneri ſatisfacere nequeam, alius idoneus ſurrogetur neque enim deſunt eximii viri, qui ad majora etiam munia promoveri mereantur. Utinam quod tam diu parturiviſtis tandem in lucem proferatis, priuſquam in eum locum ſtatumque res noſtræ deducantur, ut remedium amplius adhiberi nequeat. Dodonæo apud Imperatorem bene eſſe gaudeo, qui in viaticum ei miſit c. duplices ducatos, ipſi autem tenuitas ſemper diſplicuit ſalarii quod à vobis offerebatur.

De Medico Chirurgoque hinc mittendo ad vos, quidnam, tempore quo Albanus hîc aderat, impedierit, jam antea ad te ſcripſi. Et quanquam idem apud Commendatorem noſtrum repetitum intelligam, Mofflinuſque ſollicitandi mandatum habeat, mihi tamen ab ipſo nihil hactenus commiſſum fuit, & vereor ne eadem cauſa proviſionem retardet, & arbitror eorum judicium prælatum iri, quorum ipſe opera quotidie utitur

Quantum incommodi rebus Burgundicis mora attulerit, cognoſcetis ex ſolemni legatione quam ad Regem Commendatoremque noſtrum miſſuri Status Burgundiæ feruntur. Et profecto malam gratiam retulere ii, qui viſitationi illi, quæ ordinationibus novis cauſam dedit, manum admovere. Blaſerius

(18) *Albani*] *Supple* : aſſeclæ. Gabbema *per Albam* : forte legendum : *per Albanum*.

Digitized by Google

ſerius autem eodem tandem appulit, poſtquam ii, qui ab officiis ſuſpenſi fuere, à triennio ad purgationem fruſtra admitti poſtulavere. Novorum Epiſcoporum delectum non poſſum non probare, ſed vereor ne Decanus Tornacenſis (19) ob ætatem hoc munus recuſet, & (20) annatem Romanenſem exſolvere gravetur.

Jocobum Daventrienſem non ceſſo interpellare, quo debitum exſolvat, proquo aliquot milia florenorum illi impenſa fuere.

Mutynck jamdudum literas tuas mihi reddidit, & in favorem Fuggeri commendatitias quoque ab Duce Bavariæ nobis attulit, eique ſolutionis aliqua ſuper bonis confiſcatis ſpes facta eſt. Verùm ſolutis debitis, ſolutionibuſque, ſuper iis factis, vereor ne multum reſtet: & meminiſſe D. T. puto, quid olim de iis ad ipſam ſcripſerim. Et is non minimus fuit error illorum, qui Regiam Majeſtatem, uti per decimum denarium, ita per confiſcationum emolumenta, tantis incrementis beare velle jactaverunt, cùm contra totum ejus ſtatum in manifeſtum prope adduxerint diſcrimen.

Optarem quod tibi ab Rege hic aſſignatum eſt, poſſe nos aliqua ratione extorquere, in quo à nobis non ceſſabitur. Urdius noſter hîc quibuſdam de cauſis negociiſque ad officium ejus pertinentibus evocatus eſt, cui præſentem conditionem multum diſplicere intelligo, & avide expectat ut aliquid abs te illi procuretur, quo familiam commodius ſuſtinere poſſit, & meretur certe favorem quem Tzommonis cauſa, & patrocinium impenſum apud Vargianos avertit. Tzommonem autem ex Friſia profugum, Princeps Auraicenſis ad Baillivatum Middelburgenſem reſtituit. Illu-

(19) *Decanus Tornacenſis*] Petrus Pintaflour qui anno 1575. Epiſcopus Tornacenſis factus eſt. Cujus laudes lege in *Gall. Chriſt. Tom.* 3. *col* 241. Animadverte, hîc non de novis ſedibus Epiſcopalibus, ſed de novis Epiſcopis ſedium in Belgio vacantium, agi.

(20) *Annatem Romanenſem*] *Annata*, ſic enim loquimur, eſt beneficii eccleſiaſtici annuus proventus, qui Romano Pontifici penditur ſuper omnibus beneficiis Conſiſtorialibus, pro expeditione bullarum: de qua Canoniſtæ paſſim. Videri poteſt Dictionarium Trivoltianum, ubi de *annatis* hiſtorice & compendioſe.

Digitized by Google

Illustris Comes à Barlaymonte locutus hisce diebus mecum fuit, super forma erectionis Comitatus sui ab Regia Majestate illi nuper concessi, visusque mihi est desiderare, ut plenior fiat narratio pagorum locorumque, quæ sub ipso comprehendi desiderat, quemadmodum in formula Comitatus Laleinii expressum fuisse ait. In quantum ratio æquitasque ferre potest, gratificari te illi velim.

Stalius Graphiarius Flandriæ huc rediit, videturque mihi, tantum iter frustra pene suscepisse, cùm à vobis nihil referat, nisi quod hîc facile consequi potuisset. Ut autem ego dispiciam, quomodo & authoritati Senatus, & honori illius satisfieri possit, non satis video: cùm verear ne dum illum lavare velim, me ipsum commaculem; cùm istorum, qui officia mundinantur, fumosque in Curia vendunt, infamia plerunque ad eos redundare soleat, qui, ut dicitur, veru percutiuntur, etsi assata non degustaverint. Bene vale, CL. D. HOPPERE. &c. Bruxellæ. VI. Januarii CIↃ IↃ LXXIV.

EPISTOLA CCXXIII.

De concordia cum Principe Auraicensi nomine Cæsaris tentanda, dubius successus. Commendator hæret Antverpiæ, ubi Jesuitæ Collegium sibi exstruunt. Incommoda Gubernatoris absentia.

HEsterna die, CL. D. HOPPERE, prolixe ad te scripsi, respondique ad ea, quæ postremæ tuæ literæ continebant, nec habeo nunc quod addam, nisi Comites à Zuartzenburgh, & Hoënloe sororios Principis Auraicensis, per Brabantiam iter habere versus Hollandiam, ut cum illo nomine Cæsaris de concordia aliquid proponant, ac jam antea D. Elbertus Leoninus cum Bontio Pensionario Middelburgensi eodem profectus est, ut super communicatione instituenda cum ejusdem Deputatis, conveniat. Omnium autem vota ad hoc tendunt, ut tandem pacificationis aliqua ratio ineatur. Verùm, quantum ego videre possum, in tanta obstinatione adversariorum, rerumque nostrarum statu, parum spei apparet, nisi

inde

Digitized by Google

inde à vobis (quod proximæ literæ tuæ promittunt) aliquid insperati remedii consiliique nobis annuncietur.

Illustrissimus Commendator adhuc apud Antverpiam hæret, quam Bruxellæ præferre videtur, propter mercatorum, Jesuitarumve illic degentium consuetudinem, qui ibi emptis Schetziorum ædibus, splendidum ædificium pro usu Collegii societatis suæ extruunt: verùm non sine reliquorum curialium, aliorumve, qui aliquid negocii apud Excellentiam suam, Consiliaque sollicitandum habent, incommodo ac molestia. DEUS D. V. sospitem diu servet. Bruxellæ. VII. Febr. CIↃ IↃ LXXIIL.

EPISTOLA CCXXIV.

Queritur de Gubernatoris absentia. De legatione Burgundionum super novis ordinationibus. Obitus præsidis Senatus Burgundici. Dolet Secretum Consilium non redintegrari. Deputati missi pro tractatione pacis, quam veretur ne Rex probet.

CL. D. HOPPERE. Noviſſime ad D. T. ſcripſi tertio, ſeptimoque hujus menſis die. Gubernator noſter apud Antverpiam adhuc hæret, & ante Paſcha nobis non expectatur. Multi judicant parum Reip. convenire ſeparatos eſſe Conſiliarios: & ii qui Gubernatorem ſequi coguntur, de ſumptibus multiſque aliis incommodis conqueruntur. Mea certe valetudo nullo pacto patitur, ut loco me moveam, qui ſuperioribus hiſce diebus ſat gravi ægritudine correptus fui, à qua tamen utcunque convaleſcere incepi.

Legatio Burgundica nondum hîc audita eſt, quod (21) Abbatem

(21) *Abbas S. Claudii*) Eſt antiquiſſimum ac nobiliſſimum in Comitatu Burgundiæ Aſceterium, de quo Vide *Galliam Chriſtianam, Tomo IV. pag.* 241. & ſeqq: ſpecialiter vero legendus liber Gallicus *Hiſtoire des Ordres Religieux Tomo* 5. *pag.* 166. *& ſeqq.* de Statutis ac moribus horum Semimonachorum. Sub initium currentis Seculi actum fuit apud Regem Chriſtianiſſimum de erigenda hac Abbatia in ſedem Epiſcopalem, qua de re Vide auctorem citatum pag. 183.

Digitized by Google

batem Sancti Claudii in itinere febris corripuerit, nec ſcimus, an qui ad vos mittuntur Legati, antea Burgundia excedent, quàm illis renunciatum fuerit, qualiter alii, qui huc miſſi ſunt, hîc excepti fuerint. Interea Præſes Burgundiæ partim ex mœrore, partim ex valetudinis imbecillitate, diem clauſit extremum. Ac Blaſerius Dolæ cum Boillino agens, ut viſitationi finem imponat, de re quaſi tota deſperat, cùm plerique iſthic exiſtiment, cum ordinationum abolitione, viſitationem totam unà interituram. Hujuſce autem alterationis culpam plerique Senatoribus quibuſdam potiſſimum attribuunt, qui ut errores ſuos abuſuſque defendant cæteros ad has querimonias exſtimulant, licet plerique boni & prudentes viri, ordinationes novas plurimum rectæ juſtitiæ adminiſtrationi convenire ac prodeſſe, comperire ſe teſtentur, De ſurrogando alio Præſide non minima exorietur difficultas. Palam autem conſtat, ex octo pene annorum dilatione, quibus hoc officium vacarat, multa in Remp. vitia irrepſiſſe. Et hîc quoque Secreti Conſilii autoritas collabeſcit, dum in locum Præſidis, demortuorumque Conſiliariorum nemo ſubſtituitur. Verùm ſperamus Regiam Majeſtatem aliquando oculos aperturam, & Reip. proviſuram.

Sextus jam agitur dies, quod noſtri Deputati hinc ex Antverpia ad locum, ubi communicatio inſtituetur, profecti ſunt, ſed nondum audire licuit ecquid principia ſuccedent. Quod ſi autem fruſtra hæc pacificatio inſtituetur, plerique confuſionem rerum nobis ominantur, quam DEUS avertere, & Regi conſilia ſuggerere dignabitur, quorum ſpem nobis noviſſima D. T. epiſtola excitavit. Porro de Majeſtatis voluntate ac ſententia circa tractationem pacis, nihil nobis hactenus videre licuit, & ſcis quam periculoſum ſit, tam graves cauſas citra expreſſum mandatum tractare, & jam antea aliquoties experti ſumus Regem reprobaſſe, quæ Duciſſæ Parmenſis, ac Conſilii authoritate fuere hic decreta, & ut hæc ſunt tempora & hominum mores, facile omnia calumniis patent. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ, XXIII. Febr. CIↃ IↃ LXXIV.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCXXV.

Legati Burgundici a Gubernatore auditi, quorum querelæ ad Regem mittentur. Suggerit, ut prudenti moderatoque consilio circa novas ordinationes procedatur. Exigua spes concordiæ cum fœderatis. Bilius gubernator Frisiæ pro juramento præstando adest. Frisiæ status integer, nisi quod desit pecunia.

CL. D. HOPPERE. Mense superiore binas ad te dedi literas, & cùm nullas vicissim à vobis recipimus, non levis nobis sollicitudo oboritur, ne recte apud vos se habeant omnia, avidissimeque effectum eorum expectavimus, in quorum spem noviſſimæ literæ tuæ nos adduxerunt. Suspicati autem sumus Illustrissimum D. Commendatorem certiora de Regia Majestate habere, sed Excellentia sua itidem conqueritur multo tempore nihil se literarum accepisse.

Abbas Sancti Claudii tandem huc advenit, ac cum cæteris collegis apud Antverpiam ab Excellentia sua auditus fuit, querelarumque adversus novas ordinationes plaustrum obtulit, quas, ut arbitror, Excellentia sua cum prima oportunitate ad vos transmittet. Prudenti autem moderatoque consilio in eis dissolvendis opus esse videtur, ne fructus omnis visitationis, & quæ bene sancteque ordinata sunt, pro rectæ justitiæ administratione, unà cum graviſſima authoritatis Majestatis suæ læsione, præjudicioque, ac in posterum consequentia, dispereant.

Quæ autem in tractatu pacificationis cum Auraicensi, cæterisque confœderatis, hactenus gesta fuerunt, ex literis Excellentiæ suæ plenius certiusque cognoscetis, quàm ego à consilio absens, perscribere vobis queam. Quantum tamen intelligo, perexigua spes concordiæ apparet, cùm adversarii magis ac magis insoleſcant, ac spem conceperint, ex rerum nostrarum mala directione, se cæteros subditos nostros (quod DEUS avertat) in societatem unà pertracturos.

D. Bilius huc excurrit, ut juramentum præstet super Guber-

Digitized by Google

bernatione Friſiæ, deque ſtatu ejuſdem Curiam noſtram certiorem reddat: qui quidem ſatis adhuc integer manet, ſi eum non deſtitueret pecunia in ſtipendia militum neceſſaria, quæ perpetuo à ſubditis jam exhauſtis, multiſque inundationum damnis ac ſumptibus in aggerum reparationibus neceſſario affectis, extorqueri nequit; neque ſane quod contribuant, habent. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. XVIII. Martii. CIↃ IↃ LXXIV.

EPISTOLA CCXXVI.

Deliberatur ſuper mandatis ex Hiſpania miſſis, ſeronimis. Nihil a Statibus impetrabitur, niſi eorum poſtulatis ſatisfiat. De pecunia Hopperi. Hoſtes ad Moſam. Sevenberga amiſſa.

ACcepi, CL. D. HOPPERE literas D. V. XIII. Martii ſcriptas, ac jam Illuſtriſſimus Gubernator noſter communicavit nonnulla per eundem curſorem ad ipſum tranſmiſſa, ſuper quorum executione, quo poſſumus ſtudio ac diligentia, hîc deliberamus. Sed cum majori fructu omnia dirigi potuiſſent, ſi remedia in tempore adhibita fuiſſent, cum jam ex rerum proſpero ſucceſſu & virium ſuarum incremento adverſarii plus ſatis inſoleſcant.

Ab Statibus autem noſtris nihil æqui impetraturos ſperare audemus, niſi poſtulatis ſuis antea ſatisfias. De ſolutione ſex milium florenorum Antonius Del Ryo theſaurarius confiſcationum, ſpem certam nobis feçit, ſe ad proximum Paſſcha eam pecuniam adnumeraturum.

De Cantoribus mittendis, ſi quid mihi Gubernator communicarit, curabo ſedulò. De Doctoris Milii negocio non habeo quod reſpondeam, ſed adeſſe iſthic puto Albernotium penes quem iſtiuſmodi rerum procuratio fuit. Hoſtes ad Moſam hactenus ſubſtiterunt, impediti tranſitu propter excreſcentem fluvium, ſed ubique pene nos inquietant, ac Sevenbergam nuper occupavêre. Concedat autem DEUS, ut vobis aliquando lætiora nunciare poſſimus. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ, Calend. Aprilis. CIↃ IↃ LXXIV.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCXXVII.

Diplomata pro nepotibus ex Hiſpania accepta. Quare novæ ordinationes Burgundicæ non procedant. Fama de Albani non læto in aulam regiam adventu. De publicatione gratiæ, ac Statuum ſubſidiis. De victoria ad Moſam. De Hopperi genero.

CL. D. HOPPERUS. Literas D. V. III. April. ſcriptas XVI. ejuſdem accepi, unà cum diplomatibus nepotum meorum (22) de quibus quam maximas gratias D. V. ago, relaturi & ipſi, ſi quam unquam facultatem DEUS eis conceſſerit. Nondum autem certis de cauſis viſum mihi fuit, hoc beneficium ipſis declarare, ſed nepotem Wibrandum, ob ejus valetudinem non ſatis firmam, huc evocandum duxi. Pene quotidie autem Præſidis Burgundiæ literis, & nomine Univerſitatis Dolanæ ſollicitor, ut quæ jamdudum Dux Albanus ad Regiam Majeſtatem tranſmiſit, eadem approbare, confirmareque dignetur. Et profecto in novis ordinationibus quædam ſunt, quæ non omnibus, quorum morbis mederi neceſſum fuit, perplacent, qui ex hac dilatione cornua ſumunt, ac Blaſerius noſter, qui ad complendam viſitationem eo rediturus erat, jam ante dimidium pene annum, mandatis, inſtructionibuſque acceptis, adhuc hîc hæret, dum de viatico fruſtra apud Financiarios noſtros ſollicitat, non ſine magna Regis dereputatione, ne dicam dedecore. Sic fit ut magni à nobis exantlati labores, in dirigenda ſupradicta viſitatione, in fumum abeant, & profecto pleraque alia conſilia, ſalubreſque actiones, remoratur impeditque rei pecuniariæ penuria.

De Ducis non ſatis læto in Aulam adventu, multorum literis hîc perſcribitur, verùm ille, cùm non habebit quod ad omnia reſpondeat, in Vargæ caput forſitan fabam cudet.

Publicationem gratiæ Regiæ retardat exceptio eorum, quos ab ea excludi Majeſtas ſua voluit, ſed tamen brevi hoc negotium

(22) *Diplomata nepotum meorum*) V. quæ dixi ad Epiſt. CXC.

Digitized by Google

tium ſpero abſolvemus, Statuumque adventum ſub Calend. Maii expectamus, quos utinam ſic demulcere poſſimus, ut in præſentibus hiſce neceſſitatibus, quantum opus eſt, nobis ſubveniant.

Prælii nuper adverſus Geuſios juxta Mouwyck ad Moſam à noſtris commiſſi, victoria nos aliquantulum recreavit, quam per diſpoſitos equos, ut vobis renunciet, Oſorius hinc ante biduum abiit. Utinam autem claudus nuncius eadem poſt confirmet, nam de ſeditione noſtri exercitus nonnulli rumores ſparguntur.

De generi negotio nihil adhuc mihi audire licuit, ſed expecto, donec publicata generali gratia, per oportunitatem reſciſcam, quænam illorum ſententia erit, quibus ea cauſa examinanda commiſſa fuit: neque enim puto in eum ita rigidos duroſque illos fore, ut, cùm tot rebellibus gratia fiat, ultionem in innocentes exercendam exiſtimabunt. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ. XIX. Aprilis. CIↃ IↃ LXXIV.

EPISTOLA CCXXVIII.

Nuntiat obitum amici cujusdam. Novus Amannus Bruxellenſis. Hoſtes in Gelriam abierunt.

CL. D. HOPPERE. Etſi non multum haberem quod impræſentiarum ad te ſcriberem; ne tamen iſte curſor ſine meis literis iſthic adveniret, tria verba ad te adjungere volui, quibus ſignificarem obitum amici noſtri Queſnoy, qui cum longa valetudine conflictatus, vitam cum morte commutavit. Ac ſub idem tempus Amannus Bruxellenſis à Cockeghem (23) ex hac quoque vita deceſſit, in cujus locum Oſſius (24) noſter ſuffectus eſt. De cæteris officiis nihil adhuc

(23) *Amannus Bruxellenſis a Kockegbem*) Lege: *Coeckelberge* ſic enim habeo in ſerie Amannorum ſeu prætorum urbis Bruxellenſis: „1565. Jean de Locquengien, Chevalier, Sire de Ber„chem, Coeckelberge, Melsbroeck, & Pamele, mourut 1574. „le 12. Avril." *Butkens Tom. 2. p. 427. novæ edit.*

(24) *Oſſius*) Meſſire Antoine Van Os, chevalier, S: de Heembeke. *Butkens ibid. p. 428.*

Digitized by Google

huc per Gubernatorem disposítum est. Et si quid meum suffragium poterit, affinem vestrum, filium quæstoris Flandriæ ad statum consiliariatus Flandriæ summopere promovere desidero, nisi competitores impediant, qui & ipsi quoque magnis patronis utuntur.

Hostes nostri relicta Transmosana regione, quam miserabiliter afflixerunt, in Gelriam se transtulerunt, ut ibi alicubi oportunitatem transeundi quærant, ac copias suas cum Principe Orangiæ conjungere valeant, quibus nostri obviam profecti sunt, sed equestribus copiis iis longe adhuc impares. Videmur autem æstatem habituri valde inquietam, & concedat DEUS ne ab Gallis vicinis, qui & ipsi insanire feruntur, nobis mala non accrescant. Bene vale, CL. D. HOPPERE, & conjugi liberisque tuis multam à me salutem dicito. Bruxellæ. XV. Aprilis. CIↃ IↃ LXXIV.

EPISTOLA CCXXIX.

Deliberatur super remediis ex Hispania missis. Sevenberga derelicta. Lovanienſibus gratia facta, ac Trajectenſibus. Status convocati, eorumque prætenſiones. Populus in ſumma paupertate. Culpat Albanum de immoderatis conſiliis, quæ ſecutus eſt. De genero Hopperi, deque generi patre.

CUm intellexissem, CL. D. HOPPERE, cursorem isthuc ab Illustrissimo Gubernatore nostro mitti, ne sine meis literis ad vos veniret, aliquid statim ad novissimas literas tuas XIII. Martii datas respondi, differens plenius ad te scribere, donec duplicatas literas vestras acceperimus, quas adhuc desideramus. Interea super iis exequendis deliberamus, quæ à vobis ad nos missa fuere pro rebus hîc aliquo modo tranquillandis, quæ an eum habebunt effectum quem desideramus, hostium quotidie increscentes vires nos dubios faciunt. Nondum tamen Mosam transiere; & Sevenbergam, quam occuparant, dum tempestive eam munire desperavere, incensam rursus dereliquere.

Lovanienſibus Regiam gratiam declaravimus, quam illi

Digitized by Google

summa cum lætitia accepere. Ad Trajectenses quoque, quod Rex tam benigne decrevit, perscripsimus, quo in fide non parum eos confirmatos iri speramus. Status quoque ad finem hujus mensis appellavimus, quos hactenus satis refractarios experti sumus, eandem nobis cantilenam de abolitione decimi denarii, abrogationeque Consilii Turbulenti, ac restitutione privilegiorum suorum occinentes. De quibus quid in mandatis Gubernator ab Rege habeat, in futuro Ordinum conventu plenius fortassis declarabit.

Tergiversandi quoque aliquam occasionem plerique quærunt ex rerum angustia, dum populus ad summam paupertatem redigitur, ac rustica plebs ab milite miserabiliter affligitur. Deus autem tandem nos ex his miseriis eripere dignetur.

Illustrissimum Albæ Ducem jam vobiscum esse arbitramur, qui rerum infœlicem successum forte in alios derivabit, sed si moderatiora consilia secutus fuisset, pro ea quam obtinuerat auctoritate, regimen suum quàm maxime commendabile efficere potuisset.

Literas ab Regia Majestate in generi vestri favorem scriptas, Antverpiæ Consilio, cui interfuere Roerda, & Ryo, (25) ab Gubernatore communicatas fuisse, intellexi; qui, quas contra eum habuere informationes, conquirere jussi sunt. Mihi autem ubi huc rediit ea de re Gubernator verbum nullum locutus fuit, ut officium, quod D. V. desideravit, facere hactenus nequiverim. Et nova incidit calumniæ occasio, quod Arnoldus, Cornelii generi pater, qui hactenus apud Delphos delituit, Dordracum rediisse spargitur: nec parum sollicitam habet viduam ab Loo, quod Princeps pœnali edicto absentes profugosque ad sedes suas revocavit. Ex quibus nonnulli jam longo exilio egestateque pressi reditum meditantur. Quicquid autem porro intellexero D. V. non celabo. Bene vale, Cl. D. Hoppero, & conjugi liberisque multam à me salutem dicito. Bruxellæ VII. Aprilis. CIↃ. IↃ. LXXIV.

(25) *Roerda & Ryo.*) Hieronymus Roeda Consiliarius Status; inf. in Epist. CCXXX. Vide sup. ad Epist. LXIX. Alter est *Ludovicus del Ryo*, de quo sæpius. Apud Burkens Suppl. Tom. I. p. 169. ligitur vitiose: *Mr. Hieroſme de Rotas.* 1573.

EPI-

EPISTOLA CCXXX.

inedita.

Excusat silentium Hopperi ob cursorum abitum incertum ex Hispania æque ac ex Belgio. De pugna Mokensi, cæsisque fœderatorum ducibus. Hispani victoriam non prosequuntur. Gratia Regia quare sine fructu publicata. Antverpia occupata a seditiosis Hispanis. Gubernatoris generalis auctoritas quare decrescat. De Hopperi pecunia. De nepotibus suis. Gubernator beneficiis vacantibus non providet, nec Rex Consiliis, Secreto ac Flandriæ.

CL. D. Hoppere. Post literas tuas III, Aprilis scriptas, quibus, XIX. ejusdem mensis respondi, nullas abs te accepi: tametsi spem feceris, te post tres dies amplius scripturum. Verùm vobis subinde evenire arbitror id quod nobis hîc accidit: ut cursorum abitus studiose celetur, ac etiam aliquando illis interdicatur, ne ab ullis literas recipiant. Et sunt quidem tales materiæ adeo tristes, infaustæque, ut, quantumlibet facultas scribendi præbeatur, non multum lubeat ea nunciare, quæ nullam vobis voluptatem, sed magis sollicitudinem adferre queant.

Scripseram autem novissimis meis aliquid de victoria obtenta apud Moccuyck (26) in Geldria, quam ex relatu Osorii plenissime jam pridem percepisse vos non dubito. Etsi autem hîc varia, incertaque diu fuerit fama de Duce Christophoro filio Palatini Comitis, Ludovicoque ac Henrico fratribus Principis Oranglæ in eo prælio cæsis: cùm tamen corpora eorum non invenirentur, ac tantum ex indiciis quibusdam illos interiisse conjectura sumeretur, quidam illos vivere

(26) *Moccuyck*] id est, Moock. De pugna Mookensi, & cæsis in ea fœderatorum ducibus, historici passim. V. Strada. Dec. 1. lib. 8. ad hunc annum. Borrium lib. 7. fol. 13. prim. edit.

Digitized by Google

vere evulgarunt. Verùm cùm hactenus nusquam apparuerint, incredulitas multorum de eorum morte, cum tempore evanuit. Permultùm autem Hollandos, ceterosque rebelles, attonitos, vacillantesque ea victoria reddidit: quam dum victores non prosequuntur, sed novis iteratisque seditionibus agitantur; & Gubernatorem novum ad eas compescendas Antverpiam proficisci coegerunt, effectum est, ut Regiæ Majestatis gratiam publicare tempestive nequiverint: cui multæ ex civitatibus Hollandicis se submissuræ videbantur; & hactenus ea ob publicationis procrastinationem effectu, fructuque caruit, licet jam omnia, quæ ad id pertinebant, parata, typisque excusa sub Cal. Maii tenebamus. Accessit & summi Pontificis diploma, quo resipiscentibus amplissime absolutionem suam indulget.

Porro Gubernatore vix Antverpiam ingresso, confluxêre eòdem Hispanorum, seditiosorumque militum cohortes, qui urbem faventibus, seu saltem conniventibus, dissimulantibusque arcis, castellique novi præsidiariis millitibus, Antverpiam, præsente Gubernatore, occuparunt. Jussusque mox fuit inde discedere Champaigneus cum milite Gallico, qui non ita dudum illic ad tutelam urbis receptus fuerat. Populi autem variæ sunt voces & judicia. In tantas autem difficultates Gubernatorem conjecêre dum pene nullis æquis conditionibus tumultuantem militem coercere, ac ab præda continere valet, ut ipse, quo se vertat, prope nesciat. Interea autem hîc ejus reditum opitulantur frequentes Statuum deputati, qui, uti jussi erant, ad Calendas Majas advenêre, & eos non tam mora hæc graviter habet, quàm indignitas facti, dum vident rerum bene gerendarum occasionem amitti, & primariam hujus provinciæ civitatem, que jam ante ære alieno graviter oppressa fuerat, in totalis ruinæ periculum adduci, ceterisque civitatibus idem discrimen imminere, ut subinde verendum sit, ne in generalem populi commotionem ea res tendat, nisi propitius DEUS averterit. Vides, mi HOPPERE, quo loco res nostræ sint, de quibus scribere plura non lubet, neque ausim, relinquens eam sollicitudinem ipsi Gubernatori, cujus certè auctoritati, reputationique apud populum non parum decrescit, dum persuasum pene omnes habent, Ducis Albæ vestigiis eum-

Digitized by Google

eamdem insistere, & magis exterorum, quam nostra consilia sequi.

Antonius Del Riio quæstor confiscationum jam cœpit in diminutionem sex milium aliquid exolvere, promittitque reliquum se brevi confecturum.

Nepos meus Wibrandus, qui ex Burgundia ad nos rediit, apud fratrem Buchonem Gandavi adhuc cum adversa valetudine conflictatur, ut vereat ne Regio beneficio uti valeat. Reliquerat Dolæ fratrem minorem natu Theodoricum seu Tzierckium; sed is post ejus abitum in adversam quoque incidit valetudinem, quæ illum brevi è vivis sustulit, non sine magno meo dolore, post multos in eo enutriendo sumptus a me factos.

De suis liberis nihil nisi secum audio, & gener cum filia adhuc Coloniæ agit.

De beneficio, officiisque nondum vacavit Gubernatori nostro quicquam statuere, eaque dilatio non magnam ei gratiam conciliat. Conceperamus autem nonnulla, de quibus Regem admoneri ab eo, convenire arbitrabar, sed bellicæ turbæ, tumultusque tempus ei non concedunt.

Expectamus quoque hîc valde avide, ut de præsidatu Consilii secreti, ac Senatus Flandriæ, Rex tandem aliquid statuat, & me ex hoc pistrino eximat, sigillique custodiam alii mandet, cùm me ad solita munia obeunda plane inidoneum, corporis imbecillitas jam dudum, ut antea sæpe ad te scripsi, reddiderit.

Hieronymum autem Roeda ac Assonvillium (27) in Consilium Status, permittente Rege, ab Gubernatore cooptatos, jam antea me perscripsisse arbitror. Bene vale, HOPPERE. CL. ac conjugem familiamque ex me saluta. Bruxellis XX. Maii CIↃ IↃ LXXIV.

EPISTOLA CCXXXI.

inedita.

De publicatione gratiæ Regiæ, a qua Hopperi gener non sit excludendus. Status convocati, Gubernatoris

(27) *Roeda & Assonvillius*] De priore V. sup. ad Epist. LXIX. de posteriore V. in Notis ad Comment. de Dec. Denario.

Digitized by Google

toris adventum cum tædio expectant: Quid ſperaverit ex victoria Mokenſi? Subſidiorum difficultas ob paupertatem. Aliqua mandata ex Hiſpania miſſa, quæ Conſilio Status non fuere communicata. Pro victoria, gratiæ Deo actæ. De Commiſſionibus Bendarum. Occupatio urbis Antverpienſis, res peſſimi exempli. Claſſis ab Hiſpania mittenda, ſerius aderit. Naves ab Antverpia per hoſtes abductæ in præſentia Gubernatoris. Bellevallenſis Abbatia. Præſidatus Cameræ. Ærarium exhauſtum. Stipendia Conſiliariorum inſoluta. Viglius ex S. Bavonis præpoſitura ſubſiſtens. De Confeſſario, ac Albernotio. Suſpicatur Albanum adverſo erga ſe eſſe animo. Rogat ne inauditus condemnetur. Queritur ſe toties fruſtra poſtulaſſe miſſionem.

CL. D. HOPPERE. Uno, eodemque prope tempore a D. T. binas accepi literas XII. ac XX. præteriti menſis die datas, quibus per proviſionem dum ocium conceditur, per occaſionem proximi curſoris reſpondebo, ne, eo adveniente, tempus ad ſcribendum pleniùs denegetur, quod D. V. nonnumquam accidere intelligo.

Aldanum nondum vidi, matrimonioque ejus multum gratulabor propter amicitiam quæ mihi cum parentibus intercеſſit.

Generum veſtrum ab gratia nullâ ratione excluſum iri puto. Verùm ejus publicatio propter ſeditionem militarem, miſerèque turbatam remp. Antverpienſem, hactenus dilata fuit. Spes tamen nos tenet, ad proximam Dominicam, Commendatorem huc reverſurum, & finem huic negotio impoſiturum. Et profectò ſi victoriam proſequi licuiſſet, neque ſeditio illa, occupatioque urbis Antverpienſis peſſimo exemplo ſecuta, mox fuiſſet, non dubitamus pleraſque Hollandiæ urbes ad fidem, obſequiumque Regiæ Majeſtatis, tempeſtive publicatâ gratiâ, redituras fuiſſe.

Aliud

Digitized by Google

Aliud quoque malum noſtri Gubernatoris abſentia nobis peperit; quod Status noſtræ provinciæ huc evocati, ab Cal. Maii in hunc uſque diem non ſine gravi impenſa, tædioque, ipſius reditum expectare coacti fuerint. Quibus interea conceſſum fuit tempus, ut querimonias ſuas conferrent, unàque conſilia inirent, qui poſtea fortaſſis magis (uti aliquando uſu venit) negocium nobis faceſſent. Subſidiorum verò ſpem magis atque magis paupertas diminuit, cùm provinciæ quotidie a milite exedantur, & omnia ubique commertia ceſſent. Damus tamen; dabimuſque porro operam, ut conſuetam promptitudinem Status, quatenus queant, exhibeant. Veritatem rerum geſtarum pleniſſime ſua Majeſtas ex ſucceſſu cognoſcere potuit, neque magna informatione opus eſſe videtur, ſi quæ hinc ſæpius nunciata, relataque fuere, memoria repetere volueritis.

Quæ D. V. iſthinc tranſmiſſa, & nobis communicata ſuiſſe credit, ea quæ fuerint, non ſatis intelligo: cùm ipſe fere abfuerit, nec mea valetudo ferat, ut ſæpius eum hîc exiſtentem adeam, & non diſint ſuæ nationis homines, qui hoc labore nos ſublevent.

De Denneterii morbo doleo, & ſi cum tempore melius non habuerit, D. V. quod optimum illi videbitur, quæſo conſulat.

Valde erratis, ſi creditis, pro victoria conceſſa, Deo nos gratias non egiſſe, expectaviſſeque donec vos iſthic nos admoneretis. Formulam autem orandi, quam ad Commendatorem miſſam D. V. dicit, nondum vidi, mirorque vos Ululas Athenas mittere.

Commiſſiones *Bendarum*, quas nondum vidi, miramur tam ſerò ad nos mitti: perſuaſumque populus noſter habet, de illis omnino abolendis cogitatum fuiſſe, cùm illis neglectis, qui robur provinctæ noſtræ eſſe ſolent, tot extraneos, tantis impenſis, rebuſque noſtris non ſatis affectos, in eorum locum ſurrogari vident, qui provincias noſtras ſuperioribus annis miſerè expilarunt, nec ullam pene protectionem attulerunt.

Quæ apud Antverpiam acciderunt, omnino perſuaſum habeo, Gubernatori noſtro, qui indigniſſime ab inſolenti milite ibidem tractatus fuit, vehementer diſplicuiſſe. Verumtamen

Digitized by Google

populus credere non poteſt, non omnes culpa carere, qui hoc malum avertere debebant, poterantve. Factum autem iſthoc non leviter alias urbes deterret, ne temerè tales hoſpites admittant: metuuntque Hollandicæ urbes, ne, in gratiam receptæ, eandem fortunam perferre cogantur.

Claſſis veſtra vereor ne ſerius adveniat; cùm hiſce diebus, in præſentia Gubernatoris, Hiſpanorumque jam pacificatorum (ut ferunt) apud Antverpiam hoſtes, quod pene reliquum fuit navium, artilleriarumque, quas illi conjungere parabamus, interceptum fuerit, & eo hoſtium vires maritimæ creverint; ut valde vereamur, ne prædicta claſſis, id quod optamus, exequi queat.

De Bellevallenſi abbatia ſententiam meam ad Ducem Albanum, hîc adhuc agentem, ante annum juſſus ab eo perſcripſi, ſed ille, ut cetera multa, ad ſucceſſorem rejecit, qui hactenus, multis fruſtra ſollicitantibus, nihil adhuc determinavit. Præſidatum tamen Cameræ Rationum, Butkens (28) ſeniori magiſtro, priuſquam Regias literas acciperet, concuſſit, qui multis ſane numeris, ob Majeſtatis ſuæ ſervitium, ceteris competitoribus præferendus videbatur.

Nondum videre potui, quæ in favorem illorum, quos D. V. commemorat, Rex ad Gubernatorem noſtrum ſcripſerit. Verum de eorum effectu valde dubito, cùm Financiæ noſtræ ita exhauſtæ ſint, ut ne obolus quidem ſuperſit qui in ſtipendia ſervitorum erogetur. Ac Fonckius præpoſitus, ad ſecretum Conſilium ante quadriennium aſſumptus, nihil ſolutionis conſequi potuiſſe, conqueratur: nec reliqui Conſiliarii, Secretariique valde meliore loco habeantur. Ego autem proventibus, quos in Hollandia habebam, tam ratione officii, quàm reddituum, exutus, & parum quoque ex Friſia recipiens, in Sancto Bavone omne præſidium collocatum habeo. Sed & illic coloni praviter devexati, non habebant tandem ut penſiones debitas perſolvant.

De Confeſſore, qui hinc jam dudum ad vos profectus eſt, quod nullam in literis veſtris mentionem facitis, ſubvereri nos cogit, ne aliquid forſitan illi in itinere adverſi acciderit. Itidem de Albernotio nihil a D. V. ſcribi miror, qui contra pro-

(28) *Butkens*) Petrus.

Digitized by Google

promissum, me insalutato, hinc abiit, ac res quas nomine vestro illi commendavi, infectas reliquit.

De Albani quoque erga me animo subdubitare nonnumquam me cogit, quod indignationem quamdam, ob non probata semper ejus consilia, præ se ferre visus est. Sed exitus satis probavit, multò satius fuisse, eum moderamine aliquo usum fuisse, quàm quorumdam sinistris suggestionibus tantopere mordicus inhæsisse. Si quid verò ejus rei animadverteris, rogo ne inaudituin Rex condemnet.

Toties ad D. V. scripsi, ut me ex hoc pistrino liberaret, cùm amplius Reip. negociis vires meæ non sufficiant. Sed video D. T. Viglii sui penitus obliviscì.

Filium vestrum C. Antonium (29) nuper hìc vidi, qui plus quam D. T. credere possit, in altum crevit.

De Gregorio quoque hactenus nihil nisi faustum audivi. Marcum Ducem * affinem vestrum, quantum possum adjuvabo, ut voti sui compos fiat. Sed cum jam per fenestre tempus novus Gubernator nobiscum egerit, de nullis tamen pene officiis, beneficiisque, communicato consilio disposuit, dispositurumque se brevi, promittit. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. 11. Junii. CIↃ IↃ LXXIV.

* V. ad Epist. CCXXXIII.

EPISTOLA CCXXXII.

Ferdinandus Lopez a Bilio Gubernatore Frisiæ, in Hispaniam mittitur ad impetrandos codicillos officii. Bilii merita prolixe enarrata. De Drentiæ gubernatione cum Frisia conjungenda. Gratia Regia publicata. Propositio Statibus facta. Brabantini, quare ceteris difficiliores.

CL. D. HOPPERE. Qui hasce literas ad D. T. perfert, Ferdinandus Lopez, unus est ex Capitaneis, qui aliquot

(29) C. *Antonius*) Cajus Antonius Hopperus. Is statum ecclesiasticum amplexus, postea, nempe anno 1619. factus est præpositus S. Petri Lovanii, & Universitatis Cancellarius, ac subinde privilegiorum Conservator. Obiit anno 1634.

Digitized by Google

quot jam annis ſub Dno a Bilii Groningam, reliquamque Friſiam a Geuſiorum inſidiis, invaſionibuſque tutati ſunt. Juvenis ſane eſt ſtrenuus ac dexter, eoque magis gratioſus apud noſtrates, quod hîc natus eſt, linguamque vernaculam probe tenet, & ſe moribus noſtris ſatis accommodare novit. Mittetur autem per ipſum Bilium, permittente Gubernatore noſtro, ad ſollicitandas literas commiſſionis ſuper adminiſtratione ei a Regia Majeſtate ſua jam pridem in Friſia conceſſa, ſuper qua tamen nullos hactenus codicillos accepit, quibus fidem provincialibus faciat. Quod duplex ei generat incommodum: quod tametſi ipſe hactenus ſtrenue officio ſuo ſit functus, ſalarium tamen interea D. de Hierges percipit, cui antea per proviſionem a morte Comitis de Meghen Friſiæ gubernatio commiſſa fuerat, quam tamen hactenus non fuit ingreſſus: conqueriturque Bilius, præter laborem nihil ſibi relinqui. Deinde quoque refractarios quoſdam minus ei obedientes eſſe, quod penes alterum auctoritatem reſidere dicant, atque ex ea occaſione nonnulli ad novas res, adverſamque partem propenſi, parum ſe ei obſequentes præbent. Et licet eum de patria noſtra optime meritum conſtet, Geuſioſque ab eo ex Friſia noſtra profligatos fateri cogantur, eum tamen ſcrupulum contra Regiæ Majeſtatis decretum quidam objiciunt, quod Portugallus ſit. Ac de M. Idzardo a Sickinga noſtro (30) graviter conqueritur, quod is adverſariorum anteſignanum ſe præbeat. Egregriam verò operam idem D. de Bilii præſtat, non ſolùm in propellendis hoſtibus, verùm etiam, cùm ab inundationibus maris in ſummo diſcrimine provincia noſtra verſata jam aliquot menſibus fuerit, ipſe tandem forti, prudentique conſilio remedium adhibet, coadunatiſque omnibus ruſticis, ceteriſque, quorum poſſeſſiones ibidem periclitantur, eò jam reparationem aggerum perduxit, ut inpoſterum ab ſimili maris injuria Friſiam tutam fore ſperemus, de quo plura Ferdinandus referre poterit, ſi D. V. audire lubebit.

Habet & aliud in mandatis, ut ejuſdem nomine ſollicitet, quò

(30) *Idzardus a Sickinga*] Ideo *noſter*, ut opinor, quia Friſo, aut quia Conſiliarius eſſet in Senatu Friſiæ.

Digitized by Google

quò Drenthia (31) cum Frisiæ gubernatione relinquatur: super quo tamen Regiam Majestatem jam antea aliquid statuisse intellexi, fueramque & ipse ab D. Gubernatore absens sententiam rogatus, quem tamen ab alio præventum cognovi. Miseramque eodem tempore ad Excellentiam suam copias priorum commissionum, diligenterque hoc negocium tum examinaram: visumque est Excellentiæ suæ, literas desuper meas nunc ad Regem conjungere, ut super postulationem Bilii maturius decernere possit, quod placebit. Ego autem neque uni, neque alteri incommodare volui, & hoc quod res est, ex veritate suggerendum putavi. Vos itaque, cùm commissiones absolutas expedietis, quod ex re Majestatis suæ, patriæque utilissimum convenientissimumque videbitur, statuere poteritis. De reliquis rebus nostratibus, nihil opus esse puto, plura hisce adjungere, cùm Lopius ipse omnia quæ scire desiderabitis, plene referre poterit, quem D. T. etiam atque etiam commendo, cùm homo sit non insuavis, ac a moribus nostris non alienus. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ XIII. Junii CIↃ IↃ LXXXIV.

Post * Illustrissimi D. Gubernatoris nostri literas, plene D. T. intellecturam arbitror, quo pacto † seditio Hispahiensium militum apud Antverpiam sopita fuerit: atque huc deinde rediens VI. hujus gratiam Apostolicam ac Regiam publicarit, propositionemque postridie ad Status fecerit, quos longæ moræ tædio affectos, ac multis de causis alteratos comperimus, sed, quoad licuit, placatos eos remisimus; speramusque non omnes postulatis nostris refragaturos esse. Brabantinos verò omnium difficillimos experturos nos esse, veremur, quod & multis incommodis, calamitatibusque affecti, & re pecuniaria non satis diligenter administrata, vix rationem invenient, quâ præteriti temporis debita exolvere queant; ac innumera militum male disciplinatorum multitudine obruimur, exedimurque, ut Gubernator noster difficulter

* *Legendum videtur*: Per.

† Nempe quator mille florenis. *M. Balen descript. Dordr. p.* 849.

(31) *Drenthia*] Drentia, exigua pars provinciæ Transisulanæ, olim unà cum Twenta, Comitatus titulo insignis, paruit Episcopo Ultrajectino. Post *Carolo V.* uti Brabantiæ Duci, Hollandiæque Comiti cessit, prout videre est apud *Pontum Heuteram*. Nunc fœderatis Belgii Ordinibus subest.

Digitized by Google

culter diſpicere poſſit, quomodo ſtipendiis eorum ſatisfacere queat, ac interea haud magnum fructum hactenus ex tam numeroſo exercitu percepimus. Quæ omnia exactius prædictus Lopius referre poterit. Datum ut ſupra.

EPISTOLA CCXXXIII.

inedita.

Gratia Regia nullum Hollandiæ oppidum aquiſivit. De claſſe Hiſpanica nihil certi acceptum. Friſia afflicta ob atratos equites eò miſſos. De genero Hopperi, ac ejus pecunia. Virgilium commendat. Marcus Dux Cripiuſque promoti.

CL. D. HOPPERE. Scripſi ante duas hebdomadas ad D. V. per Lopium Capitaneum; poſt quod tempus nihil hîc incidit ſcripto dignum. Neque enim ab gratia publicata, ullum oppidum Hollandiæ ſignificationem aliquam hactenus dedit, ad venerem obedientiam redeundi, neque milites noſtri quicquam, quo eis terrorem incuterent, deſignarunt. De claſſe quoque, quam ex Hiſpania expectamus, nihil adhuc certi habemus, atque ita ſe adverſarii contra muniunt, ut de ſucceſſu multum ſolliciti ſimus. Friſia noſtra cùm D. Bilii opera, diligentiaque in ſpem aliquam veniſſet, aggerum adverſus maris injuriam reparandorum, novum incommodum valde formidat, perhorreſcitque. Quod videlicet equitum atratorum, quibus neque ſtipendia ſolvere poſſumus, & quorum non magnus hîc eſt uſus, in Friſiam, ut ibi interea alantur, aliquot cohortes deſtinatæ ſint. Et id, dum patria noſtra inundationibus, militumque diuturnis præſidiis ſic afflicta eſt, Geuſiorumque obſidione, qui portus omnes occuparunt, inedia multum laboret, cives colonoſque noſtros ad deſperationem pene adigit: ut magnopere vereamur, ne aliquid majoris mali inde nobis ſuboriatur.

Gener tuus nondum huc ex Colonia advenit, quamvis ipſi pridem annunciaverim, tutò eum huc venire poſſe: nam publi-

Digitized by Google

publicata gratia D. Gubernator ſatis declaravit, ipſum nihil ſibi metuere debere.

Pecunia D. V. debita, ab quæſtore confiſcationum ſi tota nondum ſoluta eſt, ſperamus in reſidui præſtatione eum ulteriorem moram non facturum.

Virgilii mei cauſam, quam literis hiſce junctis D. V. commendavi, quæſo ut per occaſionem promovere non gravetur. Marcus (32) affinis veſter, locum quem in ſenatu Flandriæ ambivit, tandem obtinuit, & Cripius (33) noſter in ſenatum Mechlinienſem cooptatus eſt: ac de ceteris beneficiis, officiiſque tandem Excellentia ſua reſolvit, ac perſcribi ad Regem mandavit, quæ ad Majeſtatis ſuæ diſpoſitionem pertinent. Burgundica quoque negocia D. V. etiam atque etiam curæ eſſe precor. Bruxellæ Cal. Julii CIↃ IↃ LXXIV.

EPISTOLA CCXXXIV.

inedita.

Quæ Rex ad diverſas conſultationes reſpondit, ad ejus notitiam non pervenêre. Ipſe magis ac magis memoria, animique vigore deſtituitur, rogatque miſſionem: ac ſecreto Conſilio de præſide provideri. Scharembergeri Secretarii amanuenſem Laurentium

(32) *Marcus affinis veſter*] In Epiſt. CCXXXI. habes *Marcum Ducem* Hopperi *affinem*. Is ergo eſt *Marcus de Hertogbe*, toparcha de Honswalle &c. qui in ſenatu Flandriæ Conſiliarius fuit. Uxorem habebat *N. Bertolf*, eaque ratione *Hopperi* fuit affinis, qui *Chriſtinam Bertolfiam* duxit. Hujus filius *Marcus* quoque *de Hertogbe*, toparcha de Fraſnoy, Honswalle &c. in eodem Conſilio ſenator & poſtea præſes factus 8. Auguſti 1617. obiit an. 1625.

(33] *Cripius*] „ Meſſire Guillaume de Criep, Chevalier, „ ſucceda a Meſſire *Antoine de Meulnare* par lettres patentes „ du 19. Aout 1574. " *Butkens Suppl. Tom. 2. p. 316.* * *Vide quæ ad Epiſt. LXVII. notata ſunt.*

Digitized by Google

rentium commendat. De genero Hopperi. Leerdamum recuperatum. Jacobus Heſſelius commendatus.

CL. D. HOPPERE. Per extraordinarium curſorem heſterna die literas tuas III. hujus ſcriptas accepi, ac cùm ſub idem tempus intelligerem, curſorem in Hiſpaniam mitti, monui Secretarium Berthy, ut unà curaret expediri quæ diverſis conſultationibus de rebus privatis Regi ſuggerenda videbantur; nec ſcio aliud, quod quidem ad notitiam meam pervenerit, quod deſideretis. De nonnullis verò ſubodoror, Regem jam antea lingua Hiſpanica reſpondiſſe, quæ ad meam noticiam non pervenêre: nec de his valde ſollicitus ſum. Neque enim ampliorem laborem quæro, ſed ubicumque potero, diffugere cogor propter virium imbecillitatem, & quod videam me memoria, vigoreque priſtino animi quotidie magis ac magis deſtitui. Proinde non poſſum non iterum D. T. rogare, ut tandem Rex aliquid de Conſilii Secreti præſide ſtatuat; &, cùm ego res Status curare amplius non poſſim, aut me hoc faſce Rex levet, aut coadjutores idoneos adjungat: nam Curiæ Conſiliiſque ægre adeſſe poſſum, & Gubernatorem, qui aliquando aliò proficiſci, peregrinarique cogitur, nullo pacto comitari valeo.

Scharembergerum admonui ejus quod D. T. ſcire deſiderat: idem me viciſſim rogavit, ut tandem amanuenſis ejus Laurentius, reſolutionem Regis ſuper conditione olim propoſita reſcire poſſit. Aptiorem verò eo, non facile inventuros vos puto, cùm jam viginti annis ſub Scharembergero omnia Curiæ miniſteria obierit.

Ad Angli ſchedulam reſpondebo, cùm ſententiam Secreti Conſilii, cui eam communicavi, intellexero.

De pecunia ab Receptore confiſcationum accepta, Cornelius Fabri, quibus ſatisfactum ſit, clarius, uti ei mandavi, reſpondebit.

Ad Caſtellanum generum tuum, qui hic nuper Guilhelmum ſuum miſerat, videri mihi ſcripſi, ut huc quàm primùm excurrat, gratiæque ſe participem faciat, ac quid ultra ei faciendum D. T. ſuadeat, ipſam hinc conſulat.

De

Digitized by Google

De precibus (34) transmissis gratiam habeo. Verùm milites iis pacari non possunt, & monachi quoque, qui illis gravantur, petancias (35) mallent, quam indulgentias.

Leerdam (36) nuper a nostris occupatum est, sed Gorcomium mallemus; cujus tamen parva spes affulget: & interea hæc ætas nobis sine magno fructu effluit. Bene vale, CL. D. HOPPERE & conjugi liberisque a me multam, quæso, salutem dicas. Bruxellæ XXIII. Julii. CIↃ IↃ LXXIV.

Junxi hisce literas affinis mei D. Jacobi Hesselii, (37) quem de meliore nota D. V. commendo. Meritus autem fuit majora præmia, qui tempore Ducissæ Parmensis, ac Ducis Albæ, diligentissime mandata quantumvis odiosa exequi non detrectavit.

EPISTOLA CCXXXV.

Inedita.

De genero Hopperi. Gubernator Antverpiam. Status Brabantini in subsidia consentiri recusant, nisi 2. articulo læti introitûs *satisfiat. Periculum seditionis a militibus. Classis Hispanica non comparet. Mors Episcopi Atrebatensis. Res Frisiæ non bono loco. Obitus Drossati Stauriæ.*

POst novissimas literas meas, HOPPERE CL. XXIII. Julii datas, gener tuus, Castellanus Goudanus huc advenit, qui

(34) *De precibus*] Opinor hîc indicari preces XL. horarum cum expositione Venerabilis Sacramenti, ad lucrandum certas indulgentias a summis Pontificibus concedi solitas.

(35) *Petancia*] Vel *pittancia*, ac *pitancia*, est portio monachica in esculentis. Varias olim habuit significationes de quibus *V. Glossar. du Cange*. Communiter significat cibum, pastum, prandium, Gallicè, *Repas*.

(36) *Leerdam*] oppidum Hollandiæ ad Lingam fluvium, quod fuit in patrimonio Comitum Egmondanorum, qui & Burræ Comites.

(37) *Jacobus Hesselius*] de quo ad Vitam Viglii N. LXXI.

Digitized by Google

qui cùm hîc, abs se acta diligenter ipse ad D. T. perscribat, uti ex conjunctis literis cognoscès, nihil ego eorum repetam.

De Hollandiæ reductione parva adhuc nobis spes apparet. Gubernator noster hesterna die Antverpiam repetiit, huc, uti videtur, non ita mox rediturus, tametsi negocium cum Statibus Brabantiæ nondum absolverit: qui mordicus insistunt articulo *Jucundi Introitus*, (38) quo disponitur, arcium custodias in Brabantia nemini, nisi Brabantinis, committendas esse. Pertinaciores autem eos reddit, exemplum civitatis Antverpiensis, cùm Sanchio Davilæ (39) Castellano imputent nuperrimam irruptionem seditiosorum militum Hispanorum. Sunt & alia pleraque de quibus caveri sibi volunt, priusquam quicquam consentiant: ac interea equites atrati, militesque Germani nobis hîc minitantur, se eâdem arte stipendiorum solutionem a nobis quæsituros. Qui autem hîc conscripti fuêre milites, quos Walones appellant, idem causantes, &, quod sane præmeditabantur, a signis pene omnes discessere diffluxereque, ac rusticam plebem passim exedunt, omniaque quotidie in pejus tendere videntur.

De classe Hispanica nihil hactenus audivimus, & opportunitas prope effluxit, multique de ejus successu parum bene omi-

(38) *Jucundus Introitus*] Sive *Lætus Introitus*. Quibus nominibus intellige *Pacta Conventa* Principis cum populo Brabantino seu privilegia concedi solita in adeptione Principatus, quæ in solemni receptione Principis, juramento utrimque firmantur: de quibus cùm populus Belga, ad libertatem suam attentus, gauderet & exultaret, hinc ingressus solemnis Principis, dictus est *Lætus Introitus* sive *Jucundus*, ut Viglius hic; quòd privilegia gentis in illa solemnitate firmentur. Varii sunt *Læti Introitus*, seu varia Pacta. Prima sponsio cum Brabantis, occasione adeptionis Principatus est anni 1355. cui in primo volumine Edictorum Brabantiæ, est hic titulus: *Blyde incomste ende Landt-charter, die de Hertoginne Joanna, met Hertogh Wenceslaus van Boyhem (Bohemen) den Lande van Brabandt gaven, doen sy ontfaen waren. anno 1355. den 3. January tot Loven.* Aliorum Principum sponsiones habes inter Edicta citata.

(39) *Sancius Davila*] Famianus Strada, constanter scribit *Sanctius Avila.*

Digitized by Google

ominati fuere, cùm hostes & portus omnes teneant, & navibus non inferiores fore videantur.

Ego valetudine præpedior, ne Gubernatorem comitari possim, sæpiusque admonui Regiæ Majestatis servitio convenire, ut de aliis idoneis ministris tandem provideat.

Superiore hebdomada amisimus Reverendissimum D. Episcopum Atrebatensem (40) virum sane eloquentissimun, doctissimumque.

Ferdinandum Lopez isthuc salvum adveniſſe speramus, ex quo res Frisiæ nostræ plene cognoscere potuistis. Sunt autem illæ non satis bono loco, cùm aggeribus reparandis valde fatigentur, consumanturque. Nuper etiam, ne atratorum equitum Ducis Brunswicensis & Comitis a Schouwenburch receptione gravarentur, vehementer timuêre, & cùm stipendia quoque militibus solvi nequeant, ab subditis mutuum exigitur, valde quiritantibus id contra privilegia sua attentari. Drossatus Stauriæ diem nuper obiit extremum, multique competitores ejus officium ambiunt. Bruxellæ. III. Augusti. CIↃ IↃ LXXIV.

EPISTOLA CCXXXVI.

inedita.

Timet classi ab Hispania venturæ, & deplorat neglectam fuisse rem maritimam. A terrestri quoque militia metuit. Statuum auxilia non suffectura. De Duce Albano varia fama.

Literas tuas, HOPPERE CL. XXVI. Junii datas, VII. Julii accepi. Miror autem, tanto tempore (uti scribis) nullas vos a nobis literas accepisse, cùm XX. Maii, II, ac XIII. Junii ac Calendis Julii meas ad te dederim. Crebriusque ad te scribere non fuissem gravatus, si abitum cursorum, qui fere studiose celatur, præscire nobis licuisset.

De classe quam brevi isthinc abituram D. V. nobis nunciat,

(40) *Episcopus Atrebatensis*] Franciscus Richardotus; de quo vide *Gall. Christ. Tom.* 3. *col.* 348. & *Biblioth. Belg. novæ edit.*

Digitized by Google

ciat, inter spem metumque versamur, cùm hîc omnes portus ab adversariis occupati sint, & vereamur, ne aditus vestris nautis satis sint cogniti, adversariique & multitudine navium & nauclerorum peritia superiores esse videantur, multumque in Anglorum, finitimorumque favore confidant. Ac (proh! dolor) experimur quanta damma sentiamus, quod initio rem maritimam nimium negligenter curaverimus, aut potius contempserimus, unde tamen provinciæ nostræ salus, prosperitasque tantopere dependet. Nec scio, an paullo melius terrestris nostra militia administretur, cùm peditatum, equitatumque magis numerosum hic habeamus, quàm vel alere, vel stipendia solvere queamus, & faxit Deus, ut non in nos aliquando arma vertant.

Statuum autem auxilia tarde procedunt, ut non suffecturum videtur, quod ab illis forsitan extorquebimus, unde Gubernator noster in summis angustiis se constitui animadvertit, dum nervis belli destituitur.

De Duce Albano, ejusque comitibus, varia hîc est fama, dum alii omnia læta perscribunt, alii contrà, Regem non satis placidè eum excepisse. Sed præterita frustra culpamus, si futuris imminentibusque malis remedium non adhibetur. Bene vale, HOPPERE CL. & conjugem familiamque tuam officiose amanterque ex me saluta. Bruxellæ. VIII. Julii. CIↃ IↃ LXXIV.

EPISTOLA CCXXXVII.

inedita.

Transmittit ad Regem librum Joannis Caroli quem commendat, ut revocetur ad senatum Brabantinum aut Mechliniensem. Cum Statibus adhuc agitur de subsidiis. Inquirit de Lopii adventu.

TRadidi, CL. D. HOPPERE, M. postarum isthuc mittendum librum Commentariorum D. Joannis Caroli (41) procu-

(41) *Joannes Caroli*] Is est Joannes Charles, Antverpiensis, J. U. D. & anno 1575. Senator ac dein vice-præses magni Con-

procuratoris generalis Frisiæ, de rebus superioribus annis ibidem gestis. Quæ cùm vobis allata fuerint, quæso ut Regiæ Majestati offerre ac commendare D. T. non gravetur. Fructum autem non alium exposcere videtur, quàm ut ad quietius aliquod munus in patria obeundum, Senatumque Brabantinum, aut Mechlinienſem revocetur. Cùm autem vir sit inprimis doctus, praxisque peritus, non inutilem operam ubivis præstare poterit. Cùm autem, me potissimum promovente, conditionem Frisicam antea acceptarit, cum promissione ut si quando satietas eum cœpisset, adjutorem me præberem, ut de commodiore aliquo munere ei provideretur, non possum ejus postulationi non suffragari.

Cum Statibus de auxiliis adhuc sedulò agimus, sed remorantur illorum successum, cùm alia pleraque, tum militum gravamina, quibus interea solvi nequeunt, quorum eò insolentia crevit, ut vetus omnis militiæ disciplina deperdita videatur.

De Lopii ad vos adventu, aut ad nos reditu, nihil audimus, de quo satis mirari non possumus. Bene vale, Cl. D. Hoppere, ac conjugi liberisque tuis multam à me salutem dicito. Bruxellæ. XII. Augusti. CIↃ IↃ LXXIV.

EPISTOLA. CCXXXVIII.

inedita.

Compatitur genero Hopperi, cujus pro illo consilium expetit. Berlaymontio & D. de Havreçh bono-

Consistorii Mechlinienſis, qui anno ætatis suæ 72. Ordinem Minorum S. Francisci ingressus, obiit anno 1598. Qui hîc indicantur Commentarii, sunt Rerum a *Caspare Robleſſo Billi* Domino ac Frisiæ Gubernatore gestarum, libri IV. de quibus quid factum sit, ignoro: & typis eos unquam excusos nusquam legi. Reconditos fuisse opinor in bibliothecam Regiam S. Laurentii in Escuriali, ex quo tempore lucem non aspexerint. Eadem sors fuit *Hopperi* ac *Joannis Baptistæ Tassii* Commentariorum, quæ inde sublata hodie vulgamus. Porro de *Joanne Charles V. Bibliotb. Belg. nova edit.*

Digitized by Google

honoris tituli attributi. De Graphiarii Flandriæ causa. Taxat officiorum nundinationem. De pueris cantoribus in Hispaniam mittendis se excusari petit. Mors Tornacensis Episcopi. De rebus Burgundicis. Stratagema a Bilio frustra usurpatum contra Enchusam.

CL. D. HOPPERE. Literæ D. T. XIX. præteriti mensis die datæ, mihi perquam gratæ jucundæque fuere, quòd inde intelligerem, nostras, quas ab Geusiis interceptas ferebant, salvas ad vos pervenisse: responsumque plenius ad meas per Baptistam de Taxis, aut Ferdinandum Lopez avidè expectabo.

Castellanum arcis Gaudanæ, generum tuum huc advenisse III. Augusti significavi, ejusdemque literas adjunxi, quibus ea quæ hîc per eum acta sunt, recensere potuit. Restat ut D. T. quid porro eum agere velit, consilium suum impertiat. Non potest autem non esse illi, ceterisque a patria exulantibus, perquam grave, privari tam diu omni proventu, commoditateque, tam rerum patrimonialium, quàm aliarum; cujus finem nullum conspicimus. Arbitror tamen, aliquid ei à parente submINistrari, dum Colloniæ agit. Quod an hîc futurum esset, valde dubitat.

Berlaimontio ac D. de Havrech novis titulis condecoratis non possem non congratulari, si, quantum accedit honoris, tantum rei domesticæ inde accresceret. Pro favore autem Virgilio meo impenso, magnas vobis gratias ago.

Greffierii Flandriæ successum plerique sollicite expectant, cùm & alii sint, qui eodem morbo laborent; vereorque ne clausula commissionibus inserta, multis perjurii causam præbeat, dum familiaribus Gubernatorum permittitur ex officiorum nundinationibus rem suam facere, cujus dedecus in bonos, sinceroque ministros plerumque redundat.

Quod eleemosynarius, ac M. Capellæ me rogatum volunt, ut procurem pueros, cantoresque aliquot, hinc isthuc mitti, id D. T. novit ad me non pertinere, sed hoc mandari debere ab Gubernatore iis, qui ad hoc idoneos esse cognoscunt: & aliquando perspexi in submINistrandis sumptibus præcipuam

Digitized by Google

cipuam esse difficultatem, remoramque. Quod ad me autem pertinet, non gravate operam meam in promovendo illorum desiderio accommodabo.

Valde hîc verebámur ne quod de Episcopatus Middelburgensis, & Abbatiæ Aquæcinctensis provisionibus hinc ad Regiam Majestatem missum erat, in via deperditum fuisset. Interea quoque Episcopum Atrebatensem ac Tornacensem (42) amisimus, & quidam quoque Audomarensem non recte valere ajunt : de quorum morte multum omnes dolent. Sed non deerunt, qui in eorum locum, licet imparibus meritis, succedere ambibunt.

Intelligimus quotidie ex Burgundia, increbrescere querelas adversus ordinationes quæ hîc conceptæ fuere, ad corrigendos abusus qui per visitationem habitam comperti sunt. Nec mirum est, eos, qui iis obnoxii sunt, quibus poterunt artibus conari eos sustinere si modò patronos inveniant, aut Regem eis connivere animadvertant. Proinde judicio meo non inconsultum fuisset, quod aliquando ad D. V. scripsi, ut Majestas sua super confirmatione earum, maturè suam auctoritatem interposuisset : miraturque præses super absoluta commissione Regis provisionem differri, unde quoque non exiguus ejus contemptus suboritur. Qua de re Illmus. Cardinalis Granvellanus me quoque submonuit. Hortorque ac rogo D. T. ut ei remedium, quoad queat, adhibeat.

Quotidie hîc inquietor a nonnullis, qui negocia sua D. V. a me commendari postulant, quibus equidem etsi gravate hocce officium impendam, denegare tamen omnino non possum, confisus D. T. in bonam partem id accepturam, atque pro negociorum, rerum, ac personarum qualitate sciet discernere quid fieri in ipsis conveniat, & quatenus favorem promerebuntur.

Egregium Stratagema D. Bilius nuper adversus Enchusianos instituerat, quemadmodum ex copia literarum ipsius D. V. intelliget: nisi Snekensis cujusdam malitiosa proditio obstitisset.

Atrati

(42) *Tornacensis*] Guilbertus D'Oignies, cui successit *Petrus Pantaflour* de quo jam supra ad Epist. CCXXII. Sed transpositis epistolis, transposita quoque nobis tempora offeruntur. *Guilberti* dotes & præclara gesta paucis complectitur *Gall. Christ. Tom. 3.*

Digitized by Google

Atrati equites quos Frisii magnopere metuebant, illius diligentia ac industria averſi fuere. Qua in re non parvum beneficium patriæ noſtræ præſtitit Bene vale, CL. D. HOPPERE, & ſi quid præterea cum tempore occurret ſcriptu dignum, D. T. latere non ſinam. Haſce autem literas acceptis tuis confeſtim in occaſionem curſoris exaravi. Bruxellæ. VIII. Septembris CIↃ IↃ LXXIV.

EPISTOLA CCXXXIX.

inedita.

De Leidenſi obſidione. Vanus rumor de morte Principis Auraicenſis. Militum vexæ, peſtis, fames. Rembertus Dodonæus Viennam Auſtriæ conceſſit. Status deliberant de reſcindendis Albani actis.

CL. D. HOPPERE. Ad literas tuas XIX. Auguſti ſcriptas, VIII. hujus menſis reſpondi; nec multum eſt quod addam, niſi quod quotidie nobis ſpes fit de Leyda, quam fame ita premi ajunt, ut ad deditionem propediem cogetur. Erat & hîc magnus rumor de ægritudine, imo de morte Auraicenſis, quem vanum fuiſſe comperimus. Cùm autem Geuſii omnes vias tentent, ut Leydæ commeatum inferant, tandem ad extremum remedium confugêre, quod tamen etiam non ſuccedit. Perfoſſis quippe aggeribus, & in Rotteram, qui apud Roterodamum excurrit, aqua marina immiſſa, ſibi ipſis plus pene detrimenti, quàm noſtris militibus in obſidione intulêre: cùm ad Leydam altiore loco ſitam, aqua perfluere non poſſit. Ac interea pagis, qui in fœnis ſiti ſunt, inter Roterodamum & Delft irreparabile damnum intuliſſe dicuntur, & aquam quoque, ex qua cereviſia coquitur in Delft, plane infectam eſſe. Obſtinatè autem urbes Hollandiæ in Geuſiorum poteſtate exiſtentes, in ſua rebellione perſiſtunt, gratiam omnem Regiam aſpernantes, &, uti prætexunt, Hiſpanorum militum intolerabiles injurias, inſolentiamque abhorreſcentes. Milites interea noſtri, ob ſtipendia

Digitized by Google

dia non soluta, graviter queruntur, & miseram plebem valde divexant. Cui malo accedit pestis passim in civitatibus, rurique grassans, ut bello, fame, ac pestilentia afflictis, extremus nobis imminere exitus videatur.

Rembertus medicus cognatus tuus, Viennam abiit, luculento ab Cæsare stipendio invitatus.

Status Brabantiæ ac Flandriæ adhuc super postulatis subsidiis inter se deliberant, omnesque ad acta Ducis Albani rescindenda tendunt: ac utinam synagogam cum honore sepelire possemus, ne simul auctoritas Regis periculo subjiciatur. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellis. XVI. Septembr. CIↃ IↃ LXXIV.

EPISTOLA CCXL.

inedita.

Rumor de reditu Hopperi, qui comperiet res turbatas. Milites ad seditionem propensi. Conflictus cum peste & inedia. De genero Hopperi, & de Jacobo Daventriensi. Nuntiat mortem Abbatis Averbodiensis & præpositi Aquecinctini.

ROblii nepos, CL. D. HOPPERE, tandem huc salvus advenit, literasque tuas mihi attulit. De Ferdinando autem Lopio ac Taxio, quos jam dudum expectavimus, nihil adhuc intelligimus. Hîc autem increbescit fama de reditu quoque tuo, de quo tamen valde miror, nullam mihi abste significationem dari. Comperies autem hîc res nostras perquam turbatas, nec usquam spes tranquillitatis apparet. Passim autem milites ob non soluta stipendia seditionem minitantur, ac equites levis armaturæ Hispanici, Italicique in unum collecti, de augendis solvendisque stipendiis tumultuari incipiunt. De Leyda prope spe excidimus ob præfectorum nostrorum dissidium. Interea hîc cum peste conflictamur, & populus magna inedia premitur.

Gener tuus cum filia adhuc Coloniæ moratur a quibusdam diebus

bus literas accepi, quas hiſce incluſi, ut cognoſcas ſollicitudinem meam, quod video nullo pacto poſſe me ab Jacobo Daventrienſi impetrare ut huc veniat, ac operis ſuſcepti rationem reddat, prætexens ætatem, itinerumque pericula. Quod ideo te ſcire volui, ut ſi quando Rex de eo quærat, me excuſare poſſis.

Lovanii nuper Averbodienſis Abbas (43) peſte, ut ajunt, periit. Apud Aquecinctenſe (44) cœnobium mortuus quoque eſt ejus præpoſitus, ſive œconomus, qui, ni fallor, primo loco Regi nominatus fuerat, ut in prælatura ſuccederet. Itaque ſi quid forſitan jam de eo diſpoſuiſtis, mutanda erit ſententia. Bene vale, HOPPERE CL. & conjugi liberiſque multam a me ſalutem dicito. Bruxellæ. III. Octobris CIↃ IↃ LXXIV.

EPISTOLA CCXLI.

inedita.

Conqueritur miſſionem ſuam in Regis adventum rejici. De nepote Wibrando. De taxa Abbatiarum Burgundiæ reſpondere non valet. De Trajectenſium negocio, ac de claſſe ex Hiſpania ventura. Novum Regis mandatum de 6000. Hoppero ſolvendis. Pecuniæ inopia & Statuum tergiverſatio.

CL. D. HOPPERE. Literas tuas IX. proximi menſis die datas, per Taxium VII. Octobris accepi. Poſt meas autem

(43) *Averbodienſis Abbas*] Egidius Heynſius. Porro Averbodium eſt locus in Brabantiæ & Leodienſis ditionis confiniis ſitus: inſignis Abbatia Ordinis Præmonſtratenſis, locum habens inter Status Brabantiæ. *V. Gall. Chriſt. Tom. 5. col.* 106.

(44) *Aquecinctenſe*] vel *Aquicinctenſe* cœnobium Ordinis S. Benedicti, ſecundo miliari ab urbe Duaco ſitum, eſt dioceſis Atrebatenſis.

Digitized by Google

autem abs te commemoratas, III. XII. que Auguſti, ac VIII. & XVI. Septembris, nec non III. Octobris latinas literas ad te dedi, nonnullaſque Gallicas in commendationem quorumdam, quarum memoriam non teneo. Scriberem quoque crebrius & magis in tempore, ſi hoc permitteretur. Per Ferdinandum autem Lopez forſitan intelligam, ſi quid præterea acceperis.

Porro permoleſtum mihi eſt, miſſionem meam in Regis adventum rejici, cùm ſcias me ejus prætextu ſæpius jam fruſtratum fuiſſe. Verùm, ſi mihi fidem adhibere voletis, ipſius Regiæ Majeſtatis plurimum intereſt, ut in Conſilio conſtituantur, quibus ad tractanda negotia vires corporis, animique vigor non deſunt.

Wibrandus meus priſtinam valetudinem nondum recuperavit, & vix ſpero ad tale munus, quale ab D. T. illi procuratum erat, (45) idoneum amplius fore. Interea apud Gandavum cum fratre Buchone agit.

De Abbatiis Burgundicis taxam æſtimationemque hîc non habemus, & in iis Bavii relationem fidemque fere ſequimur, ac Luxovienſi (46) atque S. Claudii (47) Abbatia excepta, nulla fere ad taxam Majeſtati ſuæ reſervatam, aſcendere videtur. Quæ verò in hac provincia ſunt, certior regula ex æſtimatione mediorum fructuum colligi poteſt. Creſpini (48) vero,

(45) *Procuratum erat*] munus Conſiliarii in Senatu Burgundiæ.

(46) *Luxovienſis*] *Luxovium*, Gallicé *Luxeuil*, eſt Abbatia dioceſis Biſuntinæ, primum Ordinis S. Columbani, exinde poſt aliquot ſecula, Ordinis S. Benedicti, fundata ab ipſo S. Columbano in Voſago-Monte in Sequanorum & Leucorum confinio, anno æræ Chriſtianæ 590. *Ita vetus Gall. Chriſt. Tom.* 4. *pag.* 585. Apud eundem auctorem (pag. 587.) notatum invenio, *Franciſcum Bonvallot*, adminiſtratorem Archiepiſcopatus Biſontini, & Abbatem Commendatarium Luxovienſem vita functum eſſe anno 1568. (Chifletius pag. 315. ponit 1560.) cui ſucceſſit *Antonius Perenot* Cardinalis Granvellanus, qui eam tenuit uſque ad obitum, qui contigit an. 1586.

(47) *S. Claudii Abbatia*] V. ad Epiſt. CCXXIV.

(48) *Creſpini Abbatia*] *Criſpinium*, vulgò *Creſpin* inter Montes, Valencenas & S. Ghiſleni Hannoniæ oppida ſitum, eſt Ord. S. Benedicti monaſterium.

Digitized by Google

verò, atque S. Pauli (49) apud Trajectum Abbatia, ad eam taxam non ascendit, quam sibi Rex reservavit. Itaque D. V. mirari non debet, de ipsis Gubernatores nostros providisse.

De Trajectensi negocio quo minus absolute rescribatur, in mora sunt ii, qui negocia turbulenti Consilii tractant, cùm, si Rex eorum processum sententiamque revideri velit, id expresse decernere debeat.

De classis adventu nemo credit, quod a vobis scribitur, ac parum hoc consultum videtur, ut aliàs aliquando admonui.

Novum Regis mandatum de persolvendis iterum sex milibus, optarem ut ad breviorem effectum deducere possimus; sed in præsenti pecuniæ penuria, nescio quam spem polliceri possimus, cùm nihil amplius sit in financiarum scriniis, ac fiscus quoque tantopere exhaustus sit, ut foro cedere debere metuatur, dum ab Statibus nihil fere impetrare liceat, & quæ jam antea legati eorum, in Hispania obtulerant, nunc tergiversentur: tantopereque procrastinantur, ut frustra laterem lavemus. Interea quoque nihil præclari a militibus nostris geritur, sed quotidie magis ac magis belli calamitatibus, miseriisque involvimur. Bene vale CL. D. HOPPERE. Bruxellæ x. Octobris CIↃ IↃ LXXIV.

EPISTOLA CCXLII.

inedita.

Magna instantia Brabantinorum & Flandrorum de arcium præfecturis naturalibus committendis. Lopii adventus ex Hispania, ubi Bilius voti sui compos effectus est, a quo Sickinga custodiæ est traditus. Commentarii Joannis Caroli salvi in Hispaniam advenêre. De Remberto Dodonæo. De medico ac

(49) *S. Pauli*] Hæc quoque Abbatia est Ord. S. Benedicti, de qua V. Heussenium &c.

Digitized by Google

ac chirurgo in Hiſpaniam mittendis, quare non curet. Ex infelici obſidionis Leidenſis exitu, timet ruinam, rerumque omnium confuſionem.

AD literas tuas, CL. D. HOPPERE, per Baptiſtam a Taxis ad me miſſas jam pridem reſpondi, ac deinde accepi eas, quas XXVIII. Septembris ad me per Forneum dediſti. Ad generum quoque tuum, Caſtellanum Goudanum curavi mitti, quas ad illum ſcripſeras. Si quid autem mihi ille communicabit, fideliter ei conſilium meum impertiar. Hillius nobis inſciis ex Antverpia per Status Brabantiæ ablegatus fuit.

De arcium præfecturis naturalibus committendis, magna Brabantinorum, Flandrenſiumque apud Gubernatorem noſtrum inſtantia fit, a qua difficulter dimoveri poterunt. Hiſpanorumque apud Antverpiam exemplum omnes terret. Interea autem, dum eorum votis non ſatisfit, nihil ſuper poſtulatis ſubſidiis æqui reſponſi referimus: ac in tantum militum ſtipendia excreſcunt, ut etſiamſi, quod poſtulatur, obtineamus, neutiquam tamen ea ſufficere illis poterunt.

Nudius tertius huc advenit Capitaneus Ferdinandus Lopez, cui, quod in itinere tam diu hæreret, adverſi aliquid accidiſſe metuimus: multa verò ille de humanitate ab D. V. ſibi exhibita retulit. Gaudeo autem D. Bilium voti ſui compotem à vobis redditum eſſe; quamquam hoc pleriſque Geuſianorum apud nos ſecretis fautoribus, Sinckinganoque ob privatas inimitias non valde gratum erit. Hîc autem dum ipſius Bilii conſiliis imprudentius reluctatur, cuſtodiæ domi ſuæ mancipatus fuit. Quod ne aliquas turbas nobis moveat, valde veremur.

Lubenter intellexi procuratoris noſtri generalis Friſiæ commentarios ſalvos ad vos perlatos fuiſſe, cujus deſiderium D. V. iterum, atque iterum commendo.

De Capellano uti D. T. petiit, Maraczius meus diligenter diſpicit, & quid invenerit, mature renunciabit.

Remberus noſter incolumis Bremam pervenit, multoque maluit Germanicam, quàm Hiſpanicam conditionem amplecti.

Antea

Digitized by Google

Antea ad poſtulationem Majeſtatis ſuæ, de medico, chirurgoque ad vos mittendis diligenter diſpexeram, ſed ubi idoneos mihi reperiſſe credidi, conditionem ipſis renunciare coactus ſum, quòd Dux ſumptus itineris ſubminiſtrare gravaretur, Hiſpanorumque opera uti vos poſſe judicaret: veritusque ne idem mihi iterum eveniat, alii eam commiſſionem dari malim.

De Laurentio quoque Scharenbergeri miror nihil a vobis abſolute reſponderi, niſi fortaſſis ſecundum Germanicum proverbium, nullum reſponſum, velitis eſſe reſponſum.

Leydanæ obſidionis infelix exitus, multorum virorum bonorum, qui in voluntarium exilium ſeceſſerant, * plurimum conturbat atque adeo in deſperationem, extremamque miſeriam redigit. Deque Harlemio, atque Amſterodamo, locisque vicinis, in diſcrimen venimus. Nonnulli autem vicini Principes ad pacis aliquam tractationem, operam, ſtudiumque ſuum offerunt, ſed media difficulter invenientur, & omnes prope, calumnias Hiſpanorum verentur. Una autem aut alia via, niſi finis his turbis brevi imponatur, præ foribus eſt ruina rerumque omnium noſtratium confuſio. Bene vale, CL. D. HOPPERE, Bruxellæ XXVIII. Octobris. CIↃ IↃ LXXIV.

* *Supple*: animos.

Memoire pour Meſſire Johan Moufflin Chapellain de Sa Majeſté, que par charge & ordonnance d'icelle, il face au pays-bas ſoubs l'authorité de Monſeigneur le Commendador Major de Caſtille, Gouverneur General &c. & par la direction de Monſr. de St. Bavon, Preſident &c. ce que s'enſuict.

Aſſchavoir de chercher ung bon medecin, homme de bien, & Catholique & ſubject de Sa Majeſté illecq, pour ſervir a la Court de ſadite Majeſté, a la commune des pays-bas dicelle Court, a gaiges de trente ſolz par jour, avecq aultres choſes competens aux Medecins du Roy.

Et

Digitized by Google

Et sil est personne excellente en son art, Sa Majesté est contente de oultre celuy donner trois cens florins par an d'avantaige, que sont les gaiges des medecins de sa propre Chambre.

Pardessus ce sera aussy donné a celuy qui viendra honeste competence pour son voyaige, affin de venir icy le plustot que soit possible.

Aussy chercher ung bon chirurgien pour samblablement servir a la dite Commune, a douze patards par jour, avecq aultres choses a luy competens, & lui sera samblablement pour son voyaige donné pour venir au plustost icy, ce qu'il appertient.

Et comme Sa Majesté a par diverses fois escript pour des Chapelains & enffans de sa Chapelle, le rementeura aussy ou il appartiendra, afin qu'il n'y ait point de faulte.

Advertissant de tout ce qu'il aura faict au Garde Seaulx Hopperus pour en faire rapport a Sa Majesté commil conviendra.

Fait a Madrid le IV. d'Octobre CIↃ IↃ LXXIV. Soubscript.

J. HOPPER.

EPISTOLA CCXLIII.

inedita.

Scribit, se ad vitæ exitum properare, nec potuisse hactenus, quæ tota vita observatu digna sibi occurrerant, in ordinem redigere. Deplorat servatum se in hæc tempora, in quibus Reip. Belgicæ ruina prope est. De pacificatione nihil solidæ spei, Immensa stipendia militibus debita. Timet ne Rex ipse labenti Reip. subvenire valeat. De Statuum apud Regem postulatis, antequam in

 subsidia

Digitized by Google

subsidia consentiant. De Capitulo S. Bavonis obiter. Loi viduæ curta suppellex. Adrianus Van der Myle in Consilio Principis Auraicensis. De privatis calamitatibus.

EGo, CL. D. HOPPERE, per multos jam annos, unius pedis doloribus afflictus cùm fuerim, tandem id malum in alterum quoque descendit, tantopereque me cruciare cœpit, ut subinde a febribus non sim immunis, cogitque me ab omni officio, cùm privato, tum publico abstinere, eaque solum meditari, quonam pacto valeam animam Deo gratam reddere. Sperabam autem, antequam in hanc necessitatem, extremumque vitæ actum laberer, impetraturum me spacii aliquid, sarcinas meas colligendi: cùmque per totam ætatem sedulò operam dederim, ut quæ observatu digna mihi occurrerunt, ocium nanciscerer, ea in ordinem redigendi, vereor ne morte præoccuper, votoque hoc meo frui nequeam. Alia autem ex parte dolore subinde ducor, quod ad hæc usque tempora me Deus servarit, quibus navem, in qua tam diu unà cum aliis navigavi, jam pene perituram, & hanc florentissimam olim Remp. ruituram conspiciam. Nam hîc sane non multum spei nobis supereſt. Et quamquam multus passim rumor est, de rerum pacificatione, nihil tamen hactenus solidi fundamenti videre mihi licuit, ac in tantam Geusii nostri proterviam prolapsi sunt, ut nihil præter rerum omnium confusionem meditentur. Res autem nostræ subsistere longius nequeunt, cùm tam immensis stipendiis, militibus omnis generis debitis, solvendo amplius non simus, & populus noster in hoc rerum statu omnia sua auxilia, subsidiaque in vanum præstari conqueratur.

Res quoque Regis in Africa infeliciter gestas, impedituras veremur, ne tantum quantum optat, hactenusque perbenigne fecit, nostris necessitatibus subvenire possit: neque aliud restare video, quam ut naturæ beneficio, ut dici solet, relinquamur. Quicquid autem, seu privatim mihi, seu patriæ nostræ acciderit, quod orationibus avertere apud Deum non licebit, id fatis nostris asscribere oportebit.

Si quid autem Regia Majestas forsitan super Brabantinorum

Digitized by Google

rum poſtulatis benigne decreverit, id cæteris Statibus commune eſſe præſtiterit. Nam Flandri certe Mondragonium Gandavenſis arcis præfectum non minus averſantur, privilegiaque antiqua de excludendis confiſcationibus mordicus tuentur, & ea niſi impetraverint, atque a militum ſervitiis, exactionibuſque liberentur, vix eſt quod ullum ab ipſis expectemus auxilium. Status quoque Geldriæ ac Friſiæ graviter queruntur ſe adverſus privilegia ſua ad inuſitatas exactiones compelli, orandusque nobis eſt Deus, ut ea quæ inter ſe muſſitant, minitanturque, clementer avertat.

Ex Venduillii relatu nuper non illubenter intellexi, Gregorium tuum non infeliciter in ſtudiis proficere. Quod autem ſignificatum tibi ſuperioribus literis ajebas, de Capituli noſtri S. Bavonis erga eum liberalitate, id verum eſſe deſiderarem. Eſt autem hoc genus hominum (ut noſti) privatis commodis ita deditum, ut nihil de ſuo decedere ſuſtineat.

A Caſtellano nihil adhuc reſponſi ad literas tuas accepi.

Loi vidua, domo hîc alteri cuidam locata, in cubiculum quoddam ſibi reſervatum cum filiolo & ancilla ſe recepit. M. autem Adrianus ejus frater, Dordracum reverſus, ab Auraicenſi in Conſilium revocatus dicitur, ad quod rerum ſtatus forſitan eum compulit, ſed amici eum emanſiſſe mallent. (50) Verum infiniti ſunt alii ex ea regione profugi, qui olim in re lauta exiſtentes, tantum non mendicare cogantur. Meas quoque neptes, quæ cum maritis liberiſque ex Haga Comitis Trajectum ſeceſſerunt, alere cogor, cùm hoc quod ſecum abduxerunt, jam prope conſumptum ſit. Dicique non poteſt

(50) *Emanſiſſe mallent*] nempe *Adrianus Van der Myle*, Conſiliarius cùm eſſet in Senatu Hollandiæ ab anno 1563. quinquennio poſt, Rege Philippo annuente, valetudinis curandæ obtentu, ſed veriùs metu *Albani*, in Italiam ſeceſſit uſque ad finem anni 1572. Poſt recedens inde, & Heidelbergæ Electorem *Fredericum* de via ſalutans, ab eodem monetur, ut in patriam remearet, eamque ac Principem Auraicenſem opera ac conſilio juvaret. Quod dum aggreditur, mox in Conſilium Status cooptatur, aliaque dein in Hollandia munia obivit, donec moreretur anno 1590. Ita narrant *Leeuwius & Matthias Balen*, ambo ex *Borrii lib.* 27. Illum, ſi lubet *V. in Bat. Illuſtr. fol.* 1018. hunc in *Deſcript. Dordrac. pag.* 207. & 208.

Digitized by Google

teſt in quam miſeriam, calamitatemque florentiſſima Regio Holandiæ, Zelandiæque inciderit, ac D. V. vere gratulor, quod ab his malis longiſſime abſit. Bene vale, CL. D. HOPPERE, & res patriæ tibi ſedulo commendo, ut quoad licebit tuo patrocinio eas adjuves, promoveaſque. Bruxellæ VII. Novembris CIↃ IↃ LXXIV.

EPISTOLA CCXLIV.

inedita.

De Moſlino Capellano Regio. De Abbatia Aureæ Vallis, ac de conſtituendo Epiſcopatu Luxemburgenſi. Hiſpani milites rurſus ſeditionem minantur.

CL. D. HOPPERE. Ad omnes D. T. literas antea reſpondi. Hodie autem Moſlinus Capellanus Regius huc ſalvus adveniens, tuas mihi reddidit, quem uti antea virum bonum cognorim, ita accedente D. V. commendatione, lubenter omnem favorem quem potero, illi impendam. Vereor tamen ne non ſine difficultate effici poterit, quod de Abbatia Aureæ Vallis in Ducatu Luxemburgenſi prætendit, cùm religioſi ejus monaſterii vix ſibi extraneum, irregularemque, excluſo Priore, auctoritate Regia patiantur. Sed tamen videbimus quid efficere poterimus; ac in conſtituendo Epiſcopatu Luxemburgenſi, non modicæ ſimiliter difficultates ſeſe offerent, præſtiteratque ferrum, dum caluit, cudi. Ac cùm quidam incipiant ad veteres redire calumnias adverſus Abbatiarum incorporationem, & D. V. non ſit immemor, quid Romæ Molinæus noſter ſollicitarit, arrectæ ſunt multorum aures in omnem ſiniſtram occaſionem.

De medico, chirurgoque conquirendo, aliquid quoque ſuperioribus literis ad te ſcripſi. Hîc autem utrorumque laboramus penuria, præſertim qui digni judicentur, ut Regi commendentur. A Remberto nuper literas accepi, quibus ſe ſalvum Viennam perveniſſe, humaniſſimeque ab Cæſare acceptum ſcribit.

Hiſpani noſtri iterum ſeditionem nobis minantur, & profecto

Digitized by Google

fecto abſque ſtipendiorum exolutione exterus miles ſuſtinere ſe nequit.

Mitto ad te Urdii noſtri literas, qui non omnino inepte de Republica philoſophatur. Bene vale, HOPPERE CL. & conjugi, liberiſque multam a me ſalutem dicito. Bruxellæ XXV. Novembris CIↃ IↃ LXXIV.

EPISTOLA CCXLV.

Deputati Statuum Burgundiæ contra novas ordinationes. Judicium Viglii. Geuſii, ac populus quoque petunt Hiſpanorum miſſionem. Gubernator queritur, nihil ſibi reſponderi ex Hiſpania. Statuum querelæ. Geuſiorum poſtulata tendunt ad Reip. & religionis mutationem. Queritur ipſe, nihil ex Hiſpania perſcribi pro conſilio, auxilioque. Vlierdeni mors, & ſucceſſor. Boiſſchotius in Anglia. Petit rurſus miſſionem ſuam, & Secretum Conſilium redintegrari, commendans Pamelium, Busbekiumque. Bilius in Friſiam rediit.

CL. D. HOPPERE. Deputati Statuum Burgundiæ huc jampridem advenerunt, & ab Gubernatore noſtro apud Antverpiam auditi fuerunt, eòque eos mordicus contendere intelligo, ut ordinationes novellæ penitus aboleantur. Nonnullis vero videtur, potius Regiæ Majeſtatis auctoritati, rectæque juſticiæ conveniſſe, ut tempeſtiva confirmatione earum calumniantium obloquentiumque ora obturata fuiſſent. Verùm aliis ſaniora conſilia amplectentibus, media via magis placet, ut auditis videlicet his, qui acta viſitationis Burgundicæ antea viderunt, & novellas haſce ordinationes unà conceperunt, eaſdem denuo revideant, examinentque, ac ut ea, quæ aliqua ratione offendere poſſent, omittantur, retentis iis quæ ad meliorem juſtitiæ directionem pertinere comperientur. Quorum mihi quoque ſententia non diſplicet. Sed noſti Burgundica ingenia, quæ temperamentum moderationemque ægre admittunt. Itaque fortaſſis ad vos in Hiſpaniam

Digitized by Google

excurrere volent, ut quod hîc impetrare nequibunt, ab Regis benignitate obtineant.

Communicationem quoque noſtrorum legatorum cum Geuſiis ſine fructu finituram veremur, cùm illi pertinaciter inſiſtant, ut Hiſpani omnes hinc quamprimum ablegentur. Quod ipſum populus quoque noſter, gravi ipſorum ſervitute oppreſſus, ſimiliter deſiderat. Et ſubſidia Statuum Provinciæ noſtræ neutiquam ſuffectura ſunt, ut ſtipendia, & quæ vocantur ſervitia, hîc eis longius exolvantur.

Ad quæ ipſis ita reſponſum eſt, ut merito, ac cum gratiarum actione acceptare oblata debeant. Verùm ſubinde veremur, ne Regia Majeſtas, aut Conſilium Hiſpanicum ea ſatis comprobet. Deſideravimuſque hîc plenius aliquod mandatum Majeſtatis ſuæ, ne ipſius indignationem, aut calumniam eorum, qui longius à periculis abfuerunt, præſentiumque temporum & Regionis noſtræ ſtatum non ſatis perſpectum habent, ſuſtinere cogamur. Gubernatoris tamen noſtri autoritas, aſſenſuſque, nos (uti ſpero) excuſabit, quem ſæpius deprecati ſumus, ut Regis ſententiam voluntatemque exploraret, noſque, priuſquam aliquid reſolveretur, certiores de ea reddi curaret, à qua nihil ſibi reſponderi conqueritur. Interea Status Brabantiæ, ac Flandriæ, nonnihil ægre ferunt, non poſſe ſe impetrare, ut quod ex privilegiis ſibi deberi contendunt, arcium præfecturæ indigenis committantur. Eſt & aliud quod Geuſii obſtinate poſtulant, ut ad Statuum Generalium communicationem, tota hæc deliberatio ſuper directione Reip. noſtræ rejiciatur. Quod cùm ad mutationem aliquam rerum publicarum, religioniſque, vergere metuamus, non ſatis quoque audet Conſilium noſtrum id ſine Regis conſenſu approbare. Omnino enim ad hoc adverſarii tendere videntur, ut Calviniſmum, ac Sectarum variarum dogmata licentiamque (quam libertatem conſcientiarum vocant) hac via retineant. Verùm ſi rebus ad aliquam concordiam prius deductis, Statuum conventum ſuper politia, juſtitiaque, ſalvo, exceptoque religionis negocio, urgere perrexerint, & ad Status aliquid deinde referri, contenderint, minus erit periculi. Quod nos autem cruciat, ſollicitoſque habet, eſt, quod nihil à vobis iſthinc literarum à Calendis Decembribus acceperimus, quibus de voluntate Majeſtatis

ſuæ,

Digitized by Google

ſuæ, conſilio, auxilioque, quod à vobis ſperare poſſimus, certiores fiamus.

Vlierdenus (1) Secretarius noſter, ſuperiore hebdomada diem clauſit extremum, ac in ejus locum Vaſſeur (2) ſurrogatus eſt. Vanderanum filium, quem apud vos eſſe arbitramur, bene muneratum ad nos redire optamus. Boiſſchotius Advocatus Fiſci Brabantini, qui ab Duce Albæ, propter aliorum paucitatem, in Conſilium Secretum adjunctus fuit, in Angliam remiſſus eſt, ut illic Oratoris officium, quamdiu Regi placuerit, obeat. Non poſſum autem te non iterum atque iterum compellare, ut promotor eſſe velis, quò tandem hoc munere (cui ferendo non amplius par ſum) exonerer, cureſque ſecundùm veterem conſuetudinem, in Senatum Secretiorem (ad quod olim Pamelium, (3) Busbekiumque, (4) qui perhonorifice Turcica legatione nomine Imperatoris functus fuit, commendavi) viros bene idoneos delegi. D. Bilius in Friſiam rediit, multum anxius ob ſtipendia, quæ militibus iſthic ſolvi nequeunt, plurimumque ſe tibi commendari petiit. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ. IV. Aprilis. ERC IↃ. LXXV.

(1) *Vlierdenus*] „ N. Van Vlierden Secretaire du Conſeil „ privè l'an 1556. " *Butkens Suppl. Tom.* 1. *p.* 190. **. Erat frater *Gabrielis* Canonici Gandavenſis, de quo Sup. ad Epiſt. XX.

(2) *Vaſſeur*] „ Mr. François le Vaſſeur, Chevalier, Seigneur „ de Morienſart, de Neder- & Over-Heembeke, a été pour„ vu de l'Etat de Secretaire des Conſeils d'Etat & Privé „ par lettres patentes de même date, données, le premier „ Janvier 1578. Il etoit du Conſeil de Guerre & Greffier de „ la Toiſon d'or. Il trepaſſa le 16. de Mars 1603. giſt a „ Bruxelles en l'Egliſe de Coudberg, aiant epouſé Dame Marie „ Botkens. *Idem. Supl. p.* ** 191.

(3) *Pamelius*) Guilielmus, de quo Sup. ad Epiſt. CXCVII.

(4) *Busbekius*] Augerius Giſlenus Busbequius, Flander, ad dignitatem ſenatoriam Conſilii Privati non pervenit. Hunc qui noſſe volet, adeat *Bibl. Belg. Valerii Andreæ. novæ edit.*

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCXLVI.

Gubernator graviter queritur de ſilentio miniſtrorum Hiſpaniæ. De communicatione cum adverſariis. Exprobrat Hoppero ſerò nimis eum conſilia ſua amplexum eſſe. Gaudet, ſerìò tandem de miſſione ſua agi. Offert viciſſim officia ſua. Rei pecuniariæ inopia. De Burgundico negocio, & quid Deputati prætendant. Mors Droſſati Harlingenſis. Novus Droſſatus Stauriæ. Idzardus a Sickinga adhuc in cuſtodia.

CL. D. HOPPERE. Cùm ego quarto hujus menſis die, noviſſime ad D. T. ſcripſiſſem, accepi tuas literas XVII. ejusdem datas, quæ eo mihi gratiores fuerunt, quod ab Calendis Decembribus nullas abs te ſcriptas accepi, licet in magnam ſpem erecti fuerimus, intelligendi aliquid quod rebus noſtris afflictis remedium ſolatiumque adferre potuiſſet: graviterque ſæpe Gubernatorem noſtrum de ſilentio veſtro conqueri audimus, hoc præſertim tempore, quo de pacificatione cum adverſariis communicatio inſtituta fuit, cujus adhuc exitum ſucceſſumque expectamus, licet ampliora ipſis oblata fuerint, quam quæ Regem rata habiturum eſſe veremur, de quo noviſſimis literis plenius aliquid ad T. D. perſcripſi. Quod autem de veteri gubernandi forma abs te ſuggeritur, utinam tempeſtivius hoc conſilium amplexari voluiſſetis, cùm ſatis ſæpe à nobis admoniti fueritis, ſub iſta nova regiminis ratione, res noſtras diu conſtare non poſſe. Gratiſſimum autem mihi fuit, ſerìò tandem negocium dimiſſionis meæ apud Regiam Majeſtatem agi. Tuorum viciſſim curam lubenter habebo, modo intelligam, quid fieri à me velis. Verum rei pecuniariæ penuria omnes pene laboramus, dum ſtipendia à Curia non ſolvuntur, & reditus proventuſque noſtri, vel ab hoſtibus intercipiuntur, vel ab impio milite noſtro conſumuntur, & hîc in perpetuo quaſi metu vivimus, ne aliæ nobis ſedes quærendæ ſint.

Bur-

Digitized by Google

Burgundicum negocium, de quo ante ad te scripsi, hîc agitari examinarique ceptum est, & brevi per Gubernatorem nostrum de ejus sententia certiores fieris. Deputati autem Burgundici, qui hîc sunt, omnino in hoc contendunt, ut ordinationes cassentur, aut ii qui in Burgundia detinentur, legationem suam in Hispaniam prosequi permittantur.

Gubernator quando ex Antverpia ad nos rediturus sit, adhuc ignoramus. Ego autem ceu claudus sutor domi perpetuò desideo.

Espelbacchium Drossatum Harlingensem superioribus diebus amisimus, ac in defuncti Stavriensis Drossati locum, quidam ex Capitaneis D. Bilii suffectus fuit, Atrebati natus, ac linguæ vulgaris ignarus licet vir strenuus; & qui eam arcem ab Geusiis olim obsessam fortiter defendit. Idzardus noster adhuc domi in custodia detinetur, monitus aliquando à me, ne adversus stimulum calcitraret. Bene vale, CL. D. Hoppere, & ornatissimæ conjugi, liberisque multam a me salutem dicas. Bruxellæ. XXII. Aprilis. CIↃ IↃ LXXV.

EPISTOLA CCXLVII.

Deum rogat, ut Rex tandem rebus finem imponat. De tractatu pacis ejus parte adversa. Bilius militum stipendia corradit. Agitatur causa Sickingana. Bilius defensus. Excusat se a silentio per Hopperum improperato: Necesse præsidem Secreti Consilii constituere. De Card. Granvellano obiter.

Literas tuas, Hoppere CL. XV. Aprilis datas, calendis Maii accepi. Ut tandem Regia Majestas finem aliquem rebus nostris, quotidie in pejus ruentibus, imponat, ab Deo omnipotenti flagitare non cessamus.

Communicatio hîc jampridem cepta, quem successum habeat, vos non ignorare arbitror. Populus autem partis adversæ, tot miseriis afflictus, quietem lubens amplecteretur; sed ii qui rerum apud eos potiuntur, à concionatoribus,

Digitized by Google

consistorialibusque (quos vocant) ita dependent, confœderationibusque sese astrinxerunt, ut populo liberum arbitrium non permittant.

Bilius, ut antea ad te scripsi, hîc & apud Antverpiam aliquot dies fuit, & literas quoque hinc ad te dedit, quas te accepisse spero. In corradendis militum stipendiis, dum Curia nihil subministrare potest, valde laborat, angiturque, & tamen sine eis Provinciam defendere nequit. Atque hoc esse puto quod apud vos mussitatur. Accedit Sickingani nostri causa, quæ magna contentione isthic adversus procuratorem Generalem agitatur, & qui hujus sunt factionis. Bilium optime de patria nostra meritum, qui & hostes inde expulit, & aggeres adversus mare egregie munivit, non satis ferunt. Ego autem ob publicum beneficium non possem viro forti, ac fideli non favere. Miror autem quod D. V. nostrum accuset silentium, plurimaque esse dicat, ad quæ nihil responsum fuit. Affirmare autem possem, nihil ejus hîc mihi communicatum fuisse: satisque per se D. V. considerare potest, ad me à Curia absentem, & domi Bruxellæ desidentem, nihil eorum referri. Verùm jam antea sæpe scripsi, quantopere sit necessarium, ut de Præsidis officio provideatur, eidemque coadjutores, consilariique, uti consuetum fuit, adjungantur.

Illustrissimo Cardinali nostro Grandvellano lubenter congratulamur, in molestissima illa Provincia successorem illi tandem obtigisse. Utinam & Regia Majestas servitiorum ab eo impensorum gratam, benignamque habeat memoriam. Bene vale, CL. D. HOPPERE, cum conjuge totaque familia. Bruxellæ. v. Maii CIↃ IↃ LXXV.

EPISTOLA CCXLVIII.

Hopperus promittens vera remedia rerum turbatarum, ficus promittit post Pascha. De pacificatione nulla spes. Geldria videtur defectionem minari. Knyphii Groningensis negocium commendatum.

CL. D. HOPPERE. Post conclusas literas meas hisce junctas, accepi alias abs D. V. sed sine data, quas per cur-

Digitized by Google

cursorem extraordinarium, qui ad Regem Galliæ destinabatur, huc transmissas intellexi. Quibus spem nobis repetit, resolutionis super veris remediis circa res harum Provinciarum, quam tanto avidius expectamus, quanto nos magis urget necessitas, veremurque ne ficus sint (ut dicitur) post Pascha. Nam de successu super pacificatione, omnem propemodum spem amisimus, & ab concordia Gallica valde nobis metuimus. Ac Gelria, cæteræque vicinæ Provinciæ, tanto Hispanorum aliorumque militum injuriis afflictæ attritæque sunt, ut defectionem meditari videantur, uti ex D. Urdii literis ad me nuper scriptis, cognoscere D. V. poterit. Quamobrem celeritate opus est, ne sero adhibeatur medicina.

Dominus Knyphius Groningensis (5), negocium suum D. V. commendari cupivit, cujus sollicitatio Secretario vander Aa, literis hisce junctis, commendatur, quem D. V. benigne audire non gravabitur, ob amicitiam, quæ eidem D. V. olim cum dicto Domino Knyphio interceßit. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. VII. Maii. CIↃ IↃ LXXV.

EPISTOLA CCXLIX.

Res Burgundiæ examinari jussæ. Balthazaris Schetsii petitio rejecta. Mors Jacobi Daventriensis. Quæ Hopperus ad Cardinalem Granvellanum scripsit, longe a veris remediis absunt. Nulla spes concordiæ cum Geusiis.

LIteras tuas, CL. D HOPPERE, prius scriptas posterius accepi. Etenim quæ abs te isthic XI. Martii datæ sunt, XI primùm Maii accepi. De rebus autem Burgundicis quid abs te ac curate scriptum sit, adhuc me latet. Neque id mirum, cùm perpetuò fere Gubernator à nobis absit, & apud Antverpiam hæreat.

(5) *Knyphius*] Frater *Joannes Knyff*, Ultrajectinus, ex Ordine Minorum, primus Episcopus Groningensis. *V. Heussen. in hist. Episc. Groning.*

Digitized by Google

hæreat. Juſſit tamen nuper hîc per pauculos, qui iſthic reſtant, una cum Mechlinienſibus tribus collegis (6) Auſtruyes, Pamelio, ac Richardoto querelas Legatorum Burgundiæ examinari. Quod Balthazarum Schetz deſiderare ſcribis, ut mandatum ſibi detur à Statibus Generalibus, eorum negocia apud vos ſollicitandi, quod ego, niſi conſcio Gubernatore proponere non auſim. Et ultronea, ut dici ſolet, merx putet; illudque multo rectius dexteriuſque per Theſaurarium procurari poterit, qui quotidie cum utriſque de rebus publicis tractat.

Quid de officio Quæſtoris Trajectenſis actum ſit me latet. Intel-

(6) De Conſiliario *Auſtruyes* dixi ad Epiſt. CXXXI. De *Pamelio*, ad Epiſt. CXCVII. De *Richardoto*, ita habet *Tomb. des hommes Illuſtres pag.* 19. „ Meſſire Jean Richardot, Chevalier, Conſeil- „ ler (*au grand Conſeil de Malines*) des Conſeils d'Eſtat & Pri- „ vé, ſucceda en l'eſtat du chef & Præſident apres le decès „ de Meſſire Jean Van der Burch, en l'an 1597. par lettres „ patentes du 15. May. Il mourut au retour de ſon ambaſſa- „ de de France, en la ville d'Arras le 3. Octobr. de l'an 1609. „ & ſon corps fuſt porté en terre au Cheur du Saint Sacre- „ ment en l'Egliſe de S. Gudule a Bruxelles, ou on lui a dreſſé „ l'epitaphe ſuivant:

D. O. M.
Joannes Richardotus
H. S. E.
Prudentia, dignitate, auctoritate ſummus.

Prudentia. Quippe jam inde ab origine tumultuum in militiæ Regia, Caſtriſque velut Cyneas, laborum ac victoriarum pars fuit, Rerum deinceps ac negociorum, etiam pacis Gallicæ & Britannicæ feliciter confectæ, Induciarumque Belgicarum. *Dignitate.* Quam prudentia omnique virtute meruit. Eques auratus, Sanctioris Curiæ præſes, & a Conſiliis Status. *Auctoritate.* Qua ubique valuit, & modeſte uſus eſt. Sic principibus, ſic populo gratus, & cum feliciori patriæ fortuna memorandus. Senior & labore fractus, animo vegetus, cùm e legatione Gallica rediret, Atrebati inter amplexus liberorum exſpiravit 3 Nonas Septembris M. DC. IX. Guilielmus Richardotus, Lembecæ Baro, Patri opt. ſibi, poſteriſque p.

Erat porro Franciſci Richardoti, Epiſcopi Atrebatenſis, e ſorore nepos, ejuſque nomen adoptarat. *V. Bibl. Belg. in Franc. Richardoto.*

Digitized by Google

Intelligo tamen eum, qui destitutus ab eo fuerat in idem postea restitutum esse.

Castellanus Goudensis Gulielmum suum nudius tertius ad me misit, per quem obitum Jacobi de Daventria (7) apud Coloniam, mihi significaret; officiumque quod in conservandis libris Regiis ab eo factum erat. Dabimus autem una operam, ut illos ab hæredibus recuperemus. Id quod ad Illustrissimum Cardinalem Granvellianum scripsisse te significas, longe ab verorum remediorum effectu adhuc (proh dolor!) conspicio, rectaque consilia ubique pene nobis deficere doleo. Nullaque pene spes supereſt, ut cum Gentilis apud Hollandiam Zelandiamque concordia ineatur, cùm ægre ferant tantam multitudinem patria excludi. Nam ut ad rectam religionem redeant, persuaderi sibi non patiantur. Bruxellæ, XIII. Maii CIↃ IↃ LXXV.

EPISTOLA CCL.

Res quotidie ruunt in deterius. Novum Principis Auraicensis matrimonium, adversariis animos addidit. De deliberatione Antverpiæ institutâ super pacificatione. Consilium Secretum, collapsum: Res Burgundicæ compositæ. Cupit Card. Granvellanum in Hispaniam ire. Mors uxoris Damhouderi. Adrianus Van der Myle Deputatus Principis: unde pater male audit.

CL. D. Hoppere. Uti nos hîc quotidiana detinemur expectatione literarum, resolutionisque, & remedii malorum nostrorum, ita & vos isthic forsitan cunctamini, & meliorem rerum nostratium successum audire speratis: quanquam quotidie in deteriora ruimus, & de componenda pace fruſtra aspiramus, cùm adversariis animus crescit, dum nos, cum

(7) *Jacobus de Daventria*] seu Daventriensis, de quo V. Biblioth. Belg. & Supr. ad Epist. CVIII.

Digitized by Google

cum re omne pene consilium perdidisse conspiciunt. Mirabiles autem spiritus hæretici nostri conceperunt ex novo Auraicensis matrimonio (si quidem sic vocandum est) quod viventi legitimæ conjugi (ut ferunt) alteram superinduxerit, ut hoc velut vinculo se illis magis obstrinxerit. Fuere apud Antverpiam convocati aliquot Episcopi, & ceteri proceres, quorum consilium Gubernator noster antea requisierat, ut relationem commissariorum nostrorum audirent, & consilium suum impertirent super iis quæ ulterius agenda videntur. Ipsi verò nulla habita Regis resolutione, satis perplexi substitere: ac Bredam ad communicationem reversis deputatis nostris, si melius res non succedet, Dominum ab Rasseghem ad Regem in Hispaniam mittendum judicavere, qui rerum statum Majestati suæ declararet, atque ipsius voluntatem huc referret, super iis quæ porro agenda videntur, quemadmodum ex Gubernatoris nostri literis plenius vos intellecturos arbitror. Nam ego cùm domi hîc desideo quæ Antverpiæ tractantur, non satis intelligo. Interea quoque Burgundicum negocium absolutum fuit, examinatis iis, quæ contra ordinationes per eos adducta fuerunt, per aliquot Consiliarios, qui ex Mechlinia huc advocati fuerunt, una cum duobus aut tribus, qui ex Consilio Secreto hîc supersunt. Mirum verò aut potius miserandum videtur, quod Regia Majestas Consilium hoc, in quo difficillimæ causæ Provinciæ agitari solent, sic corruere, & authoritatem omnem collabi sinat. Quod ad me autem pertinet, sæpe vobis significavi, me rebus amplius superesse, neque adesse posse. Burgundis verò plenissima satisfactio præbita fuit: quanquam illis vix acquieturi, sed legatos suos in Hispaniam missuri videntur, & forte propriorum negociorum causa magis hoc iter suscipient, quàm quod ita Reip. convenire videatur.

Utinam, quod hîc vulgo fertur, Illustrissimus D. Cardinalis Grandvellanus in Hispaniam quoque eat, qui & in rebus Burgundicis plurimum vos juvare, & de nostris quoque consilio suo vos instruere poterit.

Damhouderus (8) hac hebdomada conjugem suam matronam

(8) *Damhouderus . . . Conjugem amisit*] *Judocus Damhoudere*, Brugensis, Eques, J. U. D. Sub *Carolo V.* & *Philippo II.* Consilia-

Digitized by Google

nam lectissimam (cujus animam DEUS ad cælestia Regna suscipere dignabitur) amisit. Vidua ab Loo Coloniam ad fratrem se contulit, ut cum eo de rebus suis consulat.

Alter autem ejus frater, M. Adrianus vander Mylen unus est ex Deputatis Principis, qui religionem causamque adversam fortiter tuetur, ob quod & pater, Burgimagister (9) non satis bene apud nos audit. Bene vale, CL. D. HOPPERE, & conjugem totamque familiam, quæso, ut amanter nomine meo salutes. Bruxellæ. XXVII. Junii. CIↃ IↃ LXXV.

EPISTOLA CCLI.

Regis voluntas expectata. Arx Burana recuperata, ex qua optat alios fauſtos ſucceſſus, cùm de pacificatione modica ſit ſpes, Gubernatore perplexo ob ignoratam Regis voluntatem. De libris Jacobi Daventrienſis. Deliberatio ſuper negotio Burgundico, ad Regem miſſa. De periculo Civitatis Biſontinæ.

LIteras tuas, HOPPERE CL. XXVII. Maii datas VII. hujus menſis die accepi. Curſorem ordinarium qui Regiæ Majeſtatis voluntatem nobis ſuper veris remediis adferat, ſummo deſiderio expectamus. Arcem Burenſem cum oppidulo, à D. Hierges, Gubernatore Gelriæ recuperatam, hiſce conditionibus junctis, vobis antea nunciatum fuiſſe ſpero, nec ipſe perſcribere omiſiſſem, ſi per eos qui hinc ad vos mittuntur, admonitus fuiſſem.

Optamus autem fœlicibus cœptis cætera quæ ſuccedent reſpon-

filiarius Financiarum, ut loquimur, duxerat *Ludovicam* de *Chantraines*, dicte de *Broucſaulx*, quæ obiit 22. Junii 1575. Ipſe verò deceſſit 22. Januarii 1581. Brugis tumulatus. De ejus vita & ſcriptis conſule *Biblioth. Belg.*

(9) *Burgimagiſter*] Dordracenus, Arnoldus Van der Myle. *V. Supr. ad Epiſt. CCXXI. & ad CCXIV.*

Digitized by Google

ſpondere, militumque alacritas, ac cætera quæ ad ulteriorem oppugnationem requiruntur non deficiant: nec, ut hactenus factum eſt, omnem victoriæ fructum nobis effluere ſinamus.

Nam de exitu communicationis, pacificationiſque modicam quoque ſpem videmus, cum Gubernator noſter, non habita reſolutione Regia, quonam ſe vertat perplexum ſe oſtendit, cùm una ex parte neceſſitate rerum prematur, altera, religione, authoritatiſque Regiæ conſervatione diſtineatur. Idem autem Illuſtriſſimus Commendator triduum nobiſcum Bruxellæ egit, cui ſtatum Conſilii noſtri Secreti, & quæ ad me particulariter pertinent, diligenter commendavi, & ipſe, ſeſe & feciſſe, & facturum apud Regiam Majeſtatem omne officium ſedulo promiſit. Recte autem indicas, Reip. animam eſſe juſticiam, à qua tanto quotidie longius diſcedimus, quanto hæc paupertas noſtra majus incrementum accipit, licentiaque militaris, ac diſciplina omnis magis ac magis deperit, ac pleraque alia, cum bello hoc civili, in Remp. vitia ac incommoda irrumpunt, quibus difficile poſtea fuit mederi.

Significavi D. T. ſuperioribus diebus mortem geographi noſtri Jacobi à Daventria, rogavique ut D. T. procuraret literas à Rege ſcribi ad Senatum Colonienſem, qui in ſuam cuſtodiam recepit libros, quos ad Majeſtatis ſuæ poſtulationem tot annis, tantiſque impenſis elaboravit, ut mihi, aliive ad eandem ſuam Majeſtatem tranſmittendos tradere velit.

Omnino autem convenit in alienas manus hoc opus non pervenire, & dignum certe æſtimo, ut Majeſtati ſuæ, uti jam dudum diffiderâvit, exhibendum fruendumque ſervetur. Quam rem D. V. curæ diligenter commendo. Baronis de Kevenhille literas ad Birckmannum recte diſtinari curavi.

Burgundicum negocium hîc ad finem deductum eſt, & ad vos examinandum mittitur, in quo moderatione qua licuit uſi ſumus, multaque per Meſambarbam, ac Blaſerium ex Burgundica viſitatione ſuggeſta, & ordinationibus inſerta, omitti placuit.

In quo periculo civitas Bizontina nuper verſata fuit, D. V. plenius ex literis ad Regiam Majeſtatem ſcriptis intelliget, illudque per vigilantiam D. Gubernatoris à Vergy fortiter a-

verſum

Digitized by Google

verſum fuiſſe gaviſi fuimus. Talia autem ſtratagemata paſſim metuenda ſunt, cùm impium ſceleratorumque hoc hominum genus, nihil aliud quam dolos ac inſidias meditetur, machineturque. Bruxellæ. XII. Julii. CIↃ IↃ LXXV.

EPISTOLA CCLII.

Remedia de rebus Belgicis, rurſus dilata valde dolet. Deputati Burgundiæ in Hiſpaniam eunt. Rogat miſſionem ſibi tandem dari.

CL. D. HOPPERE. Accepi literas tuas XXX. Julii Madriti datas, quibus de remediis, quæ tam diu expectavimus, in longius tempus, proh dolor remittimur! Et hîc ſane cordati omnes qui ſuper articulis controverſis adhibiti fuerunt, nihil reſolvere voluerunt, niſi præhabita Regis ſententia, quæ dum protelatur, nos hîc inter Scyllam & Charybdim jactamur. Interea Bura ac Audewaeter captis in ſpem aliquam erecti fuimus, ſed anni ſerum tempus, & militarium ſtipendiorum defectus, non multum ſperare ſinunt. De Burgundiorum ſollicitatione antea ad te ſcripſi. Cùm autem hîc eorum votis ſatisfacere nequivimus, veſtram Curiam adire maluerunt. Conjugem veſtram periculoſe admodum laboraſſe dolenter ſane intelleximus, verùm eam convaleſcere valde gaviſi fuimus. Ego quoque æſtivis hiſce caloribus, canicularibuſque diebus non ſatis valetudinem tutari potui, ſed tamen redeunte autumno meliora ſperamus, quod & conjugi veſtræ ex animo precamur.

Quæſo te, mi HOPPERE, ut quod toties tam enixe te rogavi, tandem efficias, ut ego publicis hiſce moleſtiis, cum perpetua valetudine conflictans, tandem eximar. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. XXII. Auguſti. CIↃ IↃ LXXV.

EPISTOLA CCLIII.

Rex ſcribit ad magiſtratum Colonienſem pro libris a Jac. Daventrienſi relictis. Queritur de dilata re-

Digitized by Google

resolutione Regia super Rep. Belgica, cujus dilationis rationem non invenit. Marchionem de Havrech in Hispania existentem commendat. Schoonhovia dedita.

CL. D. HOPPERE. Literas tuas penultima Julii ac VI. Augusti datas, accepi. Prioribus jam pridem respondi, posterioribus autem junctæ fuerunt literæ Regiæ Majestatis ad Senatum Colonienſem, atque ad me, super negocio librorum per M. Jacobum Daventrienſem relictorum ſcriptæ: gaviſuſque fui, Regiæ Majeſtati officium meum gratum fuiſſe. Magni ſiquidem intereſſe puto, ne opus illud ſingulare depereat, aut à quoquam intercipiatur. Miſi autem Senatui literas per Gulielmum ſervitorem D. Caſtellani, qui Lovanium cum filia D. T. ad materteram ſalutandam tempore dedicationis advenerat, quam & hîc expectamus. Doleo differri adhuc Regiæ Majeſtatis reſolutionem ſuper publicis hujuſce Provinciæ negociis, cujus nobis toties per D. V. ſpes facta fuit, nec ſatis intelligere poſſum, quodnam impedimentum vobis objiciatur, quo minus quod Majeſtas ſua jamdudum concepit, effectui mandetur, nec poſſum aliquam ejus rationem cognoſcere, cùm ea, quæ hinc ad Regiam Majeſtatem perſcribuntur fere ignorem.

De conjugis veſtræ convaleſcentia multum gaviſus fui, ego quoque cum æſtivis hiſce caloribus diu conflictatus, nec adhuc in integrum reſtitutus ſum. Ludovicum qui veſtras attulit literas nondum vidi. Deſiderium Illuſtriſſimæ D. Duciſſæ à Feria (10) Leonino Wammeſioque (11) indicavi, qui omnem operam lubentiſſime in veſtram gratiam illi addixêre.

Marchionem ab Havrech ſalvum iſthuc adveniſſe gaudemus. Qui uti antea D. V. commendari à me cupierat, ita nunc idem offi-

(10) *Leoninus*] Elbertus, de quo ad Epiſt. L. CXII. & CCXX.

(11) *Wameſius*] Joannes, patriâ Leodienſis, J. U. D. renuntiatus uno eodemque actu cum *Joachimo Hoppero* ac *Petro Peckio*, viris ſummis. Ipſe ſe totum Academiæ Lovanienſi vovit. *V. Biblioth. Belg.*

Digitized by Google

officium lubenter impenderem, quo unà operam detis, ut ad nos cum satisfactione ac lætitia brevi redire valeat.

Schoonhoviâ deditâ, quædam quoque alia oppidula labescere incipiunt. Utinam propitius DEUS concedat, ut sine sanguine in viam rectam redeant. Bene vale, HOPPERE CL. & conjugi tuæ multam à me salutem velim dicas. Bruxellæ. VIII. Septembris. CIↃ IↃ LXXV.

EPISTOLA CCLIV.

Ipse, amicique omnes rei pecuniariæ penuria laborant, ut vix amplius superſit, quo Collegium, ac Hospitale suum sustineat. Custos Jocalium mortuus. Crimpia capta.

CL. D. HOPPERE. VIII. hujus mensis noviſſime ad te scripsi, ac postea huc advenit filia tua, uxor Castellani Goudensis, cum C. Antonio, qui ambo recte valent. Sed Castellanus tædio longi exilii afficitur, & de communi malo conqueritur, quod scilicet rei pecuniariæ penuria prematur, in qua navi nos omnes hîc laboramus, cùm stipendiorum solutio per triennium jam dilata fuerit, ac reditus proventusque, quos in Hollandia habere consuevi, ab rebellibus intercipiantur, ac quæ alibi ab rusticis accipere sum solitus, magna ex parte per milites diminuantur, atque nepotes affinesque meos, qui apud Trajectum agunt, & ibidem exulant, de meo fere nutrire cogar, cùm neque ex beneficialibus, neque ex patrimonialibus, quicquam percipiant.

Takonem quoque meum, qui infœliciter in hostium manus incidit, aliquot milibus redimere coactus sum, vix ut amplius, quo Collegium meum apud Lovanium, & hospitale in Zwichem / quod superioribus annis fundavi, sustinere queam, suppetat. Quamobrem D. V. rogo ut generi, filiorumque necessitatibus subvenire non gravetur, cùm hîc amici à quibus aliquid subsidii accipere possint, ipsimet rerum penuria laborent, &, ne diuturnitate hujus belli ad graviorem egestatem redigantur, multum metuunt. Hannardus, custos (ut vocant) Jocalium, soceri quondam mei successor, hisce die-

Digitized by Google

diebus obiit. Quod officium Regiæ Majeſtatis diſpoſitioni Gubernator noſter relicturus videtur.

Quod ſi fiat, magnopere ad illud promoveri optat Franciſcus Damant, minor ex fratribus, quem ob patris merita fidelitatemque præferri optaremus. Qua in re ſi eum adjuvare poteris, nobis omnibus cum primis gratum feceris.

Poſt Schoonhoviam deditam, & Crimpiam captam, nihil memorabile accidit, dum Domini ab Hierges adverſa valetudo progreſſum ipſius impedierit. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. XII. Septembr. CIↃ IↃ LXXV.

EPISTOLA CCLV.

Dum remedia tardant, aliquantulum pecuniæ ex Hiſpaniâ mittitur. De privata ſua egeſtate. Matrimonium Principis Auraicenſis, quid fecerit. Hiſpani milites horrori. De genero Hopperi ad arcis Gaudanæ præfecturam, aut ad aliud aliquod officium promovendo.

LIteras tuas, CL. D. HOPPERE, quas XX. Auguſti per extraordinarium curſorem ad me dediſti, accepi. Et quoniam vera remedia adhuc differuntur, aut quemadmodum veremur, nimium ſero adveniant, pecuniæ aliquantulum à vobis ſubminiſtrari gaudemus, cùm hîc amplius nulla corradi queat. Nam ab Statibus nihil amplius ſperare licebit, ac ad incitas pene redacti ſumus, militariaque conſilia noſtrorum hominum, ad hoc tendere videntur, ut rebus noſtris omnibus conſumptis, perditiſque, liberius nobis imperare valeant. De privata quoque egeſtate ad te nuper aliquid ſcripſi, eaque facit, ut, cùm nobis ipſis facultates deficere incipiant, amicis ſubvenire minus poſſimus.

Matrimonium, ſeu potius adulterium Auraicenſis, plurimos illi addictiſſimos valde alienavit, ſed contra, omnes ſævitiam inſolentiamque noſtrorum militum abhorrent, & hîc quoque in metu verſamur, ne Hiſpanos hac hyeme hoſpites habere

Digitized by Google

habere cogamur, Antverpianorumque ac Mechlinienſium nos terret exemplum.

Utinam quod adverſus Zelandiam tentatur, ſuccedat, nam in Hollandia nihil hoc anno ob adverſam D. ab Hierges valetudinem, ac imminentes nobis pluvias, profici poſſe ſperamus. Veneramus aliquando in ſpem aliquam Goudæ potiundæ, & Caſtellanus gener D. V. jam me rogarat, ut adjutor eſſe vellem, quò ad arcem reſtitui poſſet. In quo operam meam deſiderari non paterer, ſi viderem impetrari hoc poſſe, aut rebus ipſis convenire, propter ea quæ jam ad vos olim ſcripſi, ac diverſos aliquot noſtrorum hominum humores, præſertim eorum, qui ex turbulento Conſilio ſunt, & de rebus bellicis judicium ſibi attribuunt, qui deditionem prædictæ arcis calumniantur, ac fratris quoque invidia, qui in communicatione pacificationis habita, cauſam rebellium fortiter propugnavit, illum gravant. Quamobrem D. V. cogitare poteſt, ſi apud Gubernatorem noſtrum lenire hoc aliquo modo poſſit, aut, quod ego magis ſuaderem, ſi de aliquo alio officio providere illi poſſit. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ. XVI. Septembris. CIↃ IↃ LXXV.

EPISTOLA CCLVI.

In Hollandia nihil ſucceſſit ob adverſam valetudinem Dni. ab Hierges. In Zelandia ſatis proſpere actum, Xirixeá recuperatá. Jac. Daventrienſis libri geographici redempti; opus Rege dignum. Droſſardus de Muyden in Geuſiorum manus incidit. Molinæi mors. Bajus, decanus Lovanii.

POſt literas tuas, CL. D. HOPPERE, quas VI. vigeſimaque Auguſti ad me dediſti, ſuperioreque menſe accepi, nullæ mihi aliæ perlatæ fuerunt, præter eas quas IV. Septembris ad me ſcripſiſti, quamquam intellexerim, aliquot curſores interea huc adveniſſe, literarumque faſciculos attuliſſe. Verùm nihil mihi hactenus earum communicatum fuit, & ab Illuſtriſſimo Gubernatore noſtro adhuc certis de cauſis deti-

Digitized by Google

neri ferunt. Ego autem VIII. XII. ac XVI. Sept. poſtremas meas ad te dedi, ac non ceſſaſſem ſæpius ad te ſcribere, ac ea quæ hîc geruntur indicare, ſi nuntiorum poteſtas nobis facta fuiſſet. Quæ tamen in Hollandia ab exercitu noſtro peracta fuerunt, vos iſthic ab aliis reſciviſſe arbitror, ac niſi Dominus ab Hierges in adverſam valetudinem incidiſſet, militumque promptitudo atque alacritas ejus deſiderio correſpondiſſet, ſperaveramus nonnullas civitates ad obedientiam obſequiumque illic reduci potuiſſe. Verùm non eſt interea alibi ceſſatum. Sed id quod adverſus inſulas Zelandiæ, Gubernator noſter tentavit, ſatis proſpere hactenus ſucceſſit, ac Xirixeam in noſtra poteſtate eſſe arbitramur, licet nonnulli dubitent.

Colonienſis Senatus libros geographicos tres M. Jacobi Daventrienſis ad me miſit, quos per primam oportunitatem iſthuc deſtinabo, opus certe dignum Regia Majeſtate, in quo omnia hujuſce Provinciæ Belgicæ oppida, affabre & eleganter delineata, ſua Majeſtas conſpiciet, nec pretii in eos inſumpti pœnitebit. Filia tua, Caſtellani uxor, aliquot diebus hîc apud nos fuit, Lovaniumque rediit, ut per Guilielmum ſervitorem ſuum Coloniam reducatur, impetravimuſque ab D. Joanne Fonckio noſtro, ut domum præpoſituræ ſuæ Sancti Severini, illi Coloniæ inhabitandam concederet.

D. Alberti à Loo Vidua in Friſiam nuper abiit, ad quam ſalva pervenit. Verùm Droſſardus in Muyden dicti Alberti frater, quem ex via inviſerat, paulo poſt in Geuſorum manus incidit, atque ab ipſis Goudam deductus fuit.

Joannes Molinæus Decanus Lovanienſis, hiſce diebus in fata conceſſit, phreneſi & ſpontanea fame apud fratres Cellitas Lovanii extinctus, ſurrogatuſque eſt in ejus dignitatem, ex electione Capituli, M. N. Michael Bay. (12) Quæ iſthic expedita fuiſſe ſcribis, tam Eccleſiaſtica, quàm publica,

(12) *M. N. Michael Bay*] id eſt, Magiſter Noſter *Michael de Bay*, qui eſt titulus S. T. Doctorum Lovanii. De hoc famoſiſſimo doctore *Michaele Bajo*, videas auctores non tot quin plures. Compendium ejus vitæ & geſtorum exhibet *Biblioth. Belg.*

Digitized by Google

publica, magna aviditate expectamus. Verùm inter cæteros non oblitos vos spero Viglii vestri, qui jam aliquot annis ad pleniorem missionem adspiravit. De pensiuncula filio ab Rege concessa gaudeo, quam in C. Antonium filium rectissime collocabis, cùm Gregorius ad rem Ecclesiasticam parum affectus videatur. Curabimus autem illum clericali tonsura quam primum insigniri, & jam tempus mihi esse, (13) ut eum ad particularem aliquam scholam dimittas, cùm jam ætas hoc expostulet, ut ingenium indolesque ejus, melioribus literis tempestive excolatur. De uxoris tuæ meliore valetudine multum gaudeo, jamque mihi tempus esse videtur, ut de filiarum elocatione, cogitare quoque incipias. Non arbitror autem, stirpem tuam apud exteros te velle consenescere, & aliquando mihi Atrebatensis Major, qui in Cameram Rationalium apud Insulas te promotore adscitus fuit, non contemnendam conditionem repræsentavit. Bene vale, HOPPERE CL. cum conjuge totaque familia. Bruxellæ XIX. Octobr. CIↃ IↃ LXXV.

EPISTOLA CCLVII.

Mittit Catalogum oppidorum depictorum in opere Jac. Daventriensis, cujus defectus adnotat, & quomodo ea volumina tutò ad Regem perferri possint, quærit.

MIttо, CL. D. HOPPERE, ad D. T. Catalogum oppidorum, quæ in tribus voluminibus M. Jacobi Daventriensis depicta comperi. Verum præmatura ipsius mors impediit, quo minus, uti cum eo convenerat, templa civitatum, portas, & opera publica non ubique expressérit, & in Flandriæ oppidis omissam ab eo invenio urbem Iprensem, quæ est inter celebriores ejus Comitatus. Desideraram quoque, ut loca paulo melius illuminata fuissent, quo Regiæ Majestatis oculis magis satisfactum fuisset. Verùm si Rex petat, &

(13) *Adde* : videtur.

Digitized by Google

& illos ſumptus fieri mandet, poterunt quæ deſunt adhuc ſuppleri. Sollicitus vero ſum quomodo ea volumina tutò ad Majeſtatem ſuam dirigere queam, cùm magnopere interſit, ne in itinere, quod hodie male ſecurum eſt, intercipiantur aut in alterius manus incidant. Quamobrem ſi Majeſtas ſua tantam moram ferre poſſet, ut ſecurius ea volumina mitterentur, cùm hîc aliquis rumor increbuerit D. V. forſitan propediem ad nos adventuram, cuperem in id tempus miſſionem eam poſſe differri, quo ex veſtro conſilio quid faciendum videatur intelligam, & priuſquam ſe itineri huic D. V. accingat, aliquid quæſo reſponſi tempeſtive ſignificet. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. VII. Novembr. CIↃ IↃ LXXV.

EPISTOLA CCLVIII.

Regem tandem aliquid ſtatuiſſe de rebus publicis, & de ſuo quoque negocio, cum gaudio intellexit. Gubernator in Zelandia memorabilia geſſit, Xirixeâ tamen non recuperatâ. Chiappini Vitellii mors. Ad pacificationem anhelat.

CL. D. HOPPERE. Nobilis ille qui à D. de Noircarmes iſthuc miſſus erat, ſalvus huc pervenit, literaſque D. V. ad me ſe habere hac tranſiens dixit, ſed quas prohibitus fuit mihi tradere, donec Gubernatori noſtro ſuas literas pertuliſſet. Eas tamen poſtea ad me miſit : ſed nondum quivi ab eo intelligere, quidnam in publicis negociis, quod ſciri poſſit, attulerit. Verùm gaviſus ſum ex duplicato literarum III. Octobr. atque aliis poſtridie datis intelligere, tandem Regem aliquid reſolviſſe ſuper rebus publicis, & in negocio meo particulari, aliquid me intellecturum.

Gubernator autem noſter diu in Zelandia occupatus fuit, & bellicis negociis ita diſtractus, ut ad ea, quæ Regia Majeſtas mandavit, exequenda illi ocium non fuerit. Multa vero ibi memorabilia per noſtros milites attentata actaque fuere, ſed ab Xirixea adhuc excludimur.

Chiap-

Digitized by Google

Chiappinum Vitellium qui Gubernatorem eo comitatus fuerat, ex morbo amiſimus. Videntur autem Hollandi, Zelandique pœnitere quod conditiones pacificationis rejecerint, ſed utinam adhuc reſipiscerent, deſideratamque pacem non reſpuerent.

Erga parentem Vanderani officium quod filius deſideravit, de quo D. V. ad me ſcripſit, præſtiti. Ipſe autem D. V. maximas gratias agit, & filium vobis etiam atque etiam commendat. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. VII. Novembr. CIↃ IↃ LXXV.

EPISTOLA CCLIX.

Epiſcopi Groningenſis negotia expedita deſiderat. In Zelandia res longe abſunt a ſperato ſucceſſu. Minutæ operis Jacobi Daventrienſis a Viglio redemptæ. Scribit ad Regem, & quod ſcribit, cum Hoppero communicat.

HOdie, CL. D. HOPPERE, redditæ mihi ſunt literæ tuæ, quas nepoti M. poſtarum huc perferendas tradidiſti. Ipſum autem nondum vidi, nec ſcio quas proviſiones ille ſecum attulerit. Una autem, quæ Epiſcopum Groningenſem concernit, ſi cum aliis allata fuerit, multum gaudebit Styna mea, quæ ſedulo pro eo ſollicitat. Et profecto jam ad anguſtias res ejus redigentur, niſi à vobis tempeſtive illi ſuccurratur.

Veremur quoque ne nuncius rerum proſpere in Zelandia geſtarum, remedia diu à vobis promiſſa longius differat, quanquam plerumque ante victoriam quidam triumphos agunt. Nam adhuc longe abeſſe videmur ab eo quem ſperavimus rerum ſucceſſu. Et interea nos hic perturbant non minus quam vos res Gallicæ, ex quibus Geuſios noſtros novos ſpiritus concipere audimus.

Scripſeram ad te ante paucos dies de opere Jacobi Daventrienſis, ac poſtea intelligens, apud muliercularn quandam Mechlinienſem ejus uxorem ſeu concubinam ſervari

Digitized by Google

minutas formularum ab ipso delineatarum, dedi operam, ut illas ad manus meas consignaret, promisso ipsi honorario, quod Regia Majestas exolvere (uti spero) non gravabitur. Curandum enim omni ratione puto, ne in alienas manus exempla ulla incidant, unde possint alia exculpi evulgarique. Super qua re velim, ut verbum aliquod Majestati suæ dicas, intelligasque quid fieri illi placet. Et si tuus ad nos adventus (uti speramus) succedat, in eum totam istam deliberationem de mittendis ad Regem Daventriensis voluminibus suspendam. Cùm autem intellexerim ab Gubernatore nostro quidnam Rex super negocio meo responderit, aliquid ad eundem scripsi, uti ex copia hisce juncta cognosces, quod forte ille ad Majestatem suam perscribet. Differens ulteriorem responsionem meam ad Majestatem suam donec Majestatem suam conveneris, ac sententiam tuam judiciumque intellexero.

Adjeci quoque advisum (ut dicunt) meum super aliis quibusdam Majestatis suæ provisionibus, quas te ignorare nolui, si forte Excellentiæ suæ aliud videbitur. Bene vale, CL. D. HOPPERE, & conjugi, quæso, tuæ liberisque multam ex me salutem dicito. Bruxellæ. XXIII. Novembr. CIↃ IↃ LXXV.

EPISTOLA CCLX.

Dolet rursus salutaria remedia etiamnum differri. Sasbout acceptat præsidatum Consilii Secreti, sub certis conditionibus, pro quibus intercedit. Pamelius Flandriæ præses. Res Zelandiæ non succedunt. Gubernator non recte valet.

ACcepi, CL. D. HOPPERE, literas tuas XIV. Novembr. datas. Circa vos omnia recte se habere, & conjugem vestram convalescere, vehementer gaudeo, sed doleo expectationem salutaris remedii adhuc differri, quanquam quotidie difficultates nostræ magis ac magis crescant, ut valde vereamur, ne serò malis nostris medicina paretur. Præses Sasbout

Digitized by Google

Sasbout (14) huc venit & conditionem oblatam non est recusaturus, quatenus illi honorarium detur, quale antea mihi & Tysenachio præstitum fuit, sine quo dignitatem officii sustinere nullo modo poterit, cùm in Hollandia patrimonio satis opimo aliisque omnibus ab Geusiis spoliatus sit. Quamobrem adjuva quæso ut postulata impetret. Multi boni viri de ejus promotione gaudent, Pameliumque (15) in Flandrico Præsidatu cæteris prælatum gratulantur. Res Zelandicæ haud ita succedunt uti optaveramus, & forte rumores qui isthuc perlati sunt consilia vestra mutarunt. His autem artibus bellum in longum ducitur, & Principis, Reipublicæque ærarium totum exhauritur, omnemque apud mercatores fidem amisimus, postquam nihil amplius à vobis expectare liceat. De libris Daventrienſis rogo, ut aliquid tempestive respondeas, & si D. V. adhuc expectare debeamus, quæso, significa.

Gu-

(14) *Præses Sasbout*] Arnoldus de quo Supr. ad Epist. XXIX. Porro in libello *Tomb. des hom. illustr.* hæc habes. „ Messire „ Arnou Sasbout, Chevalier, Seigneur de Spalant, Conseil„ ler du Conseil de l'Empereur Charles V. en Hollande, puis „ par le Roy Philippe II. creé Chancelier de Gueldres, fils „ de Josse en son vivant aussy Chancelier de Gueldres, & fre„ re d'Adam Cordelier. Il fust fait Chef & President du Con„ seil Privé, par lettres Patentes depechées a Madrid le 1. de „ Juin de l'an 1572. Le dit Messire Arnou se retira pendant les „ troubles a la Haye en Hollande, ou il mourut en l'an 1583." Ubi observa I°. *Adamum Sasbout* Ordinis Minorum virum doctum, juxta ac pium (*Vide Biblioth. Belg.*) non fratrem Præsidis, sed fratris filium esse. *V. Leeuwium Bat. illustr. pag.* 1107. 1108. 2°. Diploma præsidatus dicitur expeditum 1. Junii 1572. & ita quoque *Leeuwius* ac *Butkens*. Certiora tamen videntur quæ *Viglius* scribit: nisi dicas, diploma triennio post expeditionem demum in Belgium missum; quod intellectu difficile sit, cùm *Viglius* toto hoc triennio apud Regem, aut certe apud *Hopperum* postularit *Tysenachii* successorem, non successoris diploma. 3°. Nullibi annotatum reperi, quo tempore Sasboutus se rebus publicis subtraxerit: quod contigisse autumo anno 1576 uti *Leeuwius* quoque, cùm Senatus Regius, Belgii Gubernationi præpositus, in vincula raperetur.

(15) *Pamelius*] V. Supr. ad Epist. CXCVII.

Digitized by Google

Gubernator noster aliquot diebus non rectè valuit, veremurque, ne adversa quæ quotidie nobis annuncientur, illum nimium affligant. Bene vale; HOPPERE CL. Bruxellæ XIII. Decembr. CIↃ. IↃ. LXXV.

EPISTOLA CCLXI.

Sperat remedium, quod tamdiu parturiverunt in Hispania, aliquando appariturum. Res Zelandiæ pessimo loco. De Consiliariis Frisiæ. De Pamelio ac Sasbouto successoribus dando. De aliis differt scribere, donec Hopperus ex Hispania advenerit.

CL. D. HOPPERE. XIII. Decembr. respondi literis tuis XIV. Novembr. datis, ac posteâ ad me allatæ sunt illæ, quas XXX. Octobris antea ad me dederas. Et quanquam expectatio verorum remediorum, quæ nos hîc diu detinuit, adhuc sustineat, nondum tamen spem amisimus, tandem aliquando quod tam diu parturivistis, re ipsa apparituru. De Zelandicis autem rebus longe aliter proh dolor se veritas habet, quàm vobis nunciatum fuit.

Ex Frisia nihil habemus, nisi Lemmeram nuper à Geusiis Enchusianis oppugnatam, combustamque fuisse, fortalicium ibidem constructum nostris militibus fortiter defendentibus. Hieronymus Hamya Consiliarius in fata concessit, ac Rousseau atque de La Vaille cum adversa valetudine similiter conflictantur.

Ego autem non omisi, Sapidum affinem tuum apud Gubernatorem commendare, sed alii nonnulli commendationem meam prævertunt, ut nisi tu ilthinc adjuves, videam me frustra laboraturum.

In locum Pamelii Præsidis Flandriæ nondum aliquis surrogatus fuit, sed tamen non desperamus Regiæ Majestatis literas pro D. Joanne Carolo Procuratore nostro Frisiæ, non omnino effectu caituras. Domini quoque Urdii nostri nomen in albo positum esse eorum, qui Cancellario Geldriæ Sasbout succedere mereantur, intelligo, & is quoque in D. V. commendatione spem præcipuam ponit.

Ad

Digitized by Google

Ad literas Regiæ Majestatis v. Augusti ad me datas, una cum iis quas ad Senatum Colonienſem, ſuper libris Jacobi Daventrienſis recuperandis, ad me dedit, nec non aliis XIII. Octobr., de proviſione Statuum, ad me ac Gubernatorem noſtrum ſcriptis, haſtenus ſuſpendi quicquam ad Majeſtatem ſuam reſcribere, cùm non dubitem, ea quæ ad libros Daventrienſis pertinent, D. T. ad Majeſtatem ſuam retuliſſe. Reſpondi etiam Gubernatori ſuper eo quod Majeſtas ſua mihi communicandum ipſi injunxerat, ſuper continuatione officii Conſilii Status Præſidis, quod illum arbitror Majeſtati ſuæ ſignificaſſe, & cùm ad te exemplum literarum mearum miſerim, ſpero te, quatenus opus erit, idem Majeſtati ſuæ indicaſſe, differens aliud Majeſtati ſuæ reſcribere, donec D. V. Deo volente, adveniente, plenius de ejus ſententia certior fiam. Bene vale, CL. D. Hoppere. Bruxellæ. penultima Decembris. CIↃ IↃ LXXV.

EPISTOLA CCLXII.

Miratur Hopperi profectionem dilatam. Veretur epiſtolas interceptas eſſe. De Cancellario Gelriæ ſucceſſore dando.

Diutina expectatione tui, CL. D. Hoppere, hic lactati fuimus, mirati tam diu profectionem veſtram fuiſſe dilatam, cùm omnium ora in certam ſpem pacificationis, adventuſque veſtri, erecta fuerint. Gaudeo tamen ſpem ejus non eſſe præciſam, quantum ex literis tuis XXIX. Decembris ſcriptis, colligere potui. Voluiſſem autem, ut aliquid reſponſi, ad eas literas quas ad te perſcripſi, accepiſſem, veritus ne aut interceptæ fuerint, aut ab aliquo curioſo alicubi detentæ, cùm hîc vetitum dicatur, ne cujuſquam literæ ad vos mittantur, quæ non antea viſitatæ fuerint. Quæ res me plerumque à ſcribendo deterret, licet ego ſtudioſe ſemper caverim, ne quicquam ad amicos ſcriberem, unde offendi quiſquam merito debuerit. Prudenter autem facis, mi Hoppere, quod uxoris deſiderio huc ad nos redire cupientis

Digitized by Google

non refragere, filiabusque melius mihi consulturus videris, quod in Patria de matrimonii conditione dispicias.

Præsidem novum adhuc hîc expectamus, & interea de Cancellario, successore ejus, deliberatur, super quo sententiam meam dudum Gubernatori perscripsi, ac post præsidem Luxenburgensem, Vanderanum intellexi hoc officium magnopere ambire, sed an satis prudenter, tuo judicio relinquo. Ego sane Luxenburgensis conditionem Geldricæ lubentius præferrem, cùm populi utriusque multum diversa sit natura, tu tamen si aliter judicaveris, rogo ut desiderium amici ac affinis promovere non graveris.

Pamelius omnium applausu in Flandria exceptus fuit. Verùm Blaserius se à vobis negligi dolet, cùm in perficienda commissione Burgundica Cripius noster coadjutor datus est, cui commissioni quando finem facturi sint, non satis videmus. Gallicum bellum ipsos aliquantum perculit, ut reditum maturare desiderent. Bene vale, HOPPERE CL. ac conjugi totique familiæ multam à me salutem precare. Bruxellæ. x. Februarii. CIↃ IↃ LXXVI.

EPISTOLA. CCLXIII.

Desiderat Hopperi adventum, tamquam angeli, rebus desperatis salutare remedium allaturi. Ceterùm remittit ad Gubernatoris literas.

LIteris tuis, CL. D. HOPPERE, XXIV. Januarii datis, dubitavi an quicquam in tempore nobis rescribere liceret, ob spem quam nobis fecisti, ut brevi te hîc videremus. Sed quoniam, ut dicitur, multa inter os & offam accidere possent, quæ vestrum adventum remorentur, visum fuit, hoc epistolium ad te rescribere; desideriumque nostrum tibi significare, ac DEUM comprecari, ut & cito & feliciter hoc iter tuum absolvas. Alter autem cursor, quem vos isthic parare scribis, & per quem de omnibus ad literas omnes meas responsurum te promittis, huc nondum pervenit, teque coram magis conspicere gestio, quò tandem optatum de remediis nostris evangelium, te angelo, percipiamus. Neque

Digitized by Google

que nos certe parvus metus habet, ne non tempeſtiva ſalutaris iſta medicina, rebus noſtris ad extremum afflictis, adhiberi poſſit. Adverſariorum enim pervicacia mirabiliter crevit, & qui res noſtras adminiſtrant, non multum ſpei habent, inde, poſt tot remedia tentata, quicquam melioris conſilii allatum iri, verumtamen in rebus deſperatis ad ſacram anchoram recurrendum eſt. Conjugem liberoſque tecum reduces videre magnopere deſideramus, jam enim Hiſpanici cœli pertæſos ipſos arbitramur, & ſeſe iſthic abs te relinqui non poterunt non dolere.

Vanderano patri ſignificavi quæ ſchedula noviſſimis literis tuis incluſa continebat, & pro quo magnas tibi gratias agit, filiumque tibi etiam atque etiam commendari cupit. De rerum noſtrarum ſucceſſu nihil libet ſcribere, ſed quicquid eſt ejus rei, exactius ex Gubernatoris noſtri literis, qui huc ex Antverpia rediit, cognoſces. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ. XVIII. Febr. CIↃ IↃ LXXVI.

EPISTOLA CCLXIV.

Rex ſcripſerat, Hopperum cum Marchione de Havré adventurum; unde magna provincialium ſpes nata: qua fruſtratus, redit ipſe ad ſcribendi conſuetudinem. Gubernatoris Requeſenii mors, ac laus. Quid eum ingratum Belgis fecerit. De Reip. ſtatu ample ad Regem perſcriptum. Ipſe domo pedem non efferre, nec Conſilio adeſſe valens, exponit, quantum præſtiterit, præſidem Conſilii Secreti conſtituiſſe, quemadmodum ſæpe monuit; & quàm non recte in Conſilio Status, negotia dirigantur. Difficile Regi futurum ſcribit, ſucceſſorem Gubernatoris eligere. Exteri haud apti. Quamvis Conſilio adeſſe non valuerit, ſubſripſit tamen literis ad Regem miſſis. Novo Gubernatori operam non dabit, ſed conceſſa olim miſſione utetur.

Digitized by Google

utetur. De rebus Frisiæ. Mors plurium Consiliariorum. De rebus Anglicis. Optat pacem.

HIsce tribus mensibus, CL. D. HOPPERE, nihil ad D. T. scripsi, arbitratus (ut constans hîc fama fuerat) te cum D. Marchione Havrechii iter ingressum fuisse, ut ad nos advenires, quemadmodum Regiæ Majestatis literæ ad Gubernatorem nostrum scriptæ, nobis annunciarunt, magnamque inde spem Provinciales omnes conceperant, vos ea allaturos, quæ Patriam nostram ex hisce calamitatibus tandem liberare possent. Cùm vero proximis literis inde allatis intellexerim, vos nondum pedem ex Hispania movisse, cogor redire ad antiquam scribendi consuetudinem, ac abs te silentii mei veniam postulare: qua nihil opus fuisset, si ex tuis amanuensiumve literis certo cognoscere potuissem, quidnam de itinere vestro constitutum fuisset. Interea vero dum hîc adventum vestrum expectamus, atque ejus magno desiderio Gubernator noster detineretur, ipse huc ad nos revertens, in eam valetudinem incidit, quæ eum paulo post ex vita sustulit, cujus inopinata mors, magno nos hîc dolore ac sollicitudine affecit, cùm rerum quasi omnium, consiliorumque inopia laboremus, nec à vobis isthic, quicquam quod nos consolari possit, præter verba adferatur. Erat autem Gubernator noster insigni certe virtute, ac memoria, promptitudineque magna præditus. Sed hoc nomine non satis Provincialibus nostris gratus, quòd imbiberat quandam opinionem adversus gentem hanc, quam persuasum habuit, hæresibus erroribusque totam infectam esse, & idcirco Regiæ Majestati non satis fidelem. Verùm hic error quasi toti exteræ nationi inhæret, sed militibus prædæ inhiantibus facilius ignoscendum est.

Porro à morte ipsius Gubernatoris ad Regiam Majestatem de statu nostræ Reip. ample rescriptum est, nec ego tacuissem D. V. quòque certiorem reddere, si scivissem eam in Curia adhuc agere. Scripsi autem sæpius D. V. me isti officio, quod aliquot annis egi, amplius satisfacere non posse, cùm pedem domo efferre nequeam, & Consiliis publicis interesse non valeam. Rogavique sæpius, ut dignare-

tur

Digitized by Google

tur Regia Majestas in tempore providère, ne, cùm necessitas forte inciderit, ut negocia publica præsidis officium exposcerent, non deesset, qui hanc spartam sustinere posset: quod quantopere requisitum fuerit, præsens necessitas ostendit, cùm sublato Gubernatore, Consilium Status non habeat qui negocia quotidie occurrentia cordi habeat. Ita fit ut serius plerumque ad Majestatem suam ea perscribantur, quæ res requirant, & resolutio eorum quæ scribenda sunt, negligentius capiatur, dum singuli res minus cordi habent, & unus in alterum conquiescit. Et cum illorum qui Consilio intersunt sententiæ non semper eædem sint, judiciaque subinde diversa, satis per te intelligere potes, quam difficile sit, singulis satisfacere: quo magis necessarium est, ut Rex auctoritate sua provideat, priusquam alii eam invadant, sibique usurpent. Judicia autem variaque hominum varia sunt, ut Regi difficile sit futurum talem deligere, qui omnibus gratus sit futurus. Exteri autem, rerumque nostrarum imperiti, & quales fuerunt prædecessores quidam, hisce moribus temporibusque parum conveniunt. Multæ autem nos undique circumstant angustiæ, & hi qui à Consilio sunt, Regiam Majestatem de omnibus certiorem faciendam duxerunt. Et quanquam mea me ægritudo domi detinet, lectoque ac cubiculo affigit, ut una cum ipsis deliberare nequeam: rogatus tamen, ut literis ab ipsis ad Regiam Majestatem conceptis subscriberem, recusare non potui: & optarem certe ex animo, vires valetudinemque meam ferre posse, ut rebus quam rectissime consulere possem. Sed revera non sum is, qui olim fui, & novo Gubernatori operam meam obstringere amplius non potero, sed concessa olim missione uti cogar. Bene vale, HOPPERE CL. & conjugi liberisque à me plurimam salutem dicito. Bruxellæ. XXIX. Martii. CIↃ IↃ LXXVI.

Res Frisiæ, patriæ nostræ, adhuc mediocriter se habent, & quanquam subditi gravibus exactionibus atterantur, ob militum conquirenda stipendia, tamen hoc malum levius ferunt, quod D. à Bilii satis in bona disciplina insolentiam militarem cohibet, atque hostium invasiones periculaque satis vigilanter ab eis avertit. Ac nuper Geusii ex insidiis aggressi Harlingam, fortiter per eum repulsi sunt; minantur

Digitized by Google

autem rursum se Amasum concluſuros, majoreque vi noſtram Provinciam oppugnaturos: ſed propitius DEUS qui nos hactenus ſervavit (uti ſpero) deinceps è manibus eorum liberabit.

De Idzardi a Zickinga morte, jam antea ad te ſcripſi, in cujus locum Weſtendorpius Syndicus olim Groningenſis ſuffectus fuit, & multis noſtratibus locum eum petentibus, prælatus. Poſtea Hyeronimum Hanya quoque amiſimus, & vota Senatus noſtri in Friſia, in Doctorem Carolum, filium quondam Præſidis Nicolai, juvenem bene doctum & modeſtum, perpendent, ſed ejus reſolutionem interrupit Gubernatoris noſtri præmatura mors. Pankoukium quoque Conſiliarium in Gelria, & Smyterum in Hollandia, hiſce diebus mors nobis abſtulit, & expectamus ut à vobis voluntas Regiæ Majeſtatis de ſucceſſore Cancellarii Gelriæ (qui jamdudum hîc nobiſcum agit) nobis renuntietur, & fortaſſis te favente Urdii noſtri ratio aliqua habebitur. Blazerius, Crypiuſque adhuc in odioſa illa commiſſione Burgundica detinentur, quanquam à nobis, ut finem illi aliquando imponant, urgentur. De ſucceſſu legationis D. à Champaigneii in Anglia, plène D. V. informari poterit per literas quæ ab Senatu noſtro ad Regem perſcribuntur. Et Reginæ deſiderio ſatis quoque convenire videntur Hollandorum Zelandorumque animi, prout ex ſchedula hiſce juncta intelliges. Utinam autem Regiæ Majeſtatis animus ad pacem tandem inclinet, ut ab hiſce calamitatibus reſpirare poſſimus. Datum ut ſupra.

EPISTOLA CCLXV.

Deſiderat ſcire voluntatem Regiam circa Gubernationem provinciæ, quod Princeps Auraicenſis non dormiat, & plurium civitatum occupatio per inſidias tentetur. Hopperi adventum expectat.

ANte pauculos dies, HOPPERI CL. per Baptiſtam du Boys, qui à Dominis noſtris iſthuc miſſus erat, ad te ſcripſi. Idem autem de rebus omnibus, quæ hic à morte Com-

Digitized by Google

Commendatoris noſtri occurrerunt, plene vos informabit. Mirabili autem deſiderio hic tenemur, ut de voluntate Majeſtatis ſuæ circa Gubernationem Provinciæ noſtræ aliquid intelligamus. Et profecto niſi mature Regia Majeſtas rebus noſtris provideat, valde veremur ne ſero poſtea remedium rebus noſtris afflictis adhibeatur. Nam Princeps Auraicenſis, Geuſiique non dormiunt, & non multis abhinc diebus Harlingam ex inſidiis occupare tentarunt, & inde repulſi rurſus Amſterodamum invadere moliti ſunt, ſed ibi quoque conatus eorum non ſucceſſit, nec tamen quieturi videntur, donec interregni hujus occaſione, magno aliquo incommodo nos afficiant. Quamobrem D. V. adventum omnes hîc ſollicite expectamus, ut in tempore promiſſis remediis frui poſſimus. Liberi tui cæterique amici recte, quantum intelligo, valent, & tuum adventum avide nobiſcum præſtolantur. Bene vale, HOPPERE CL. Bruxellæ. v Aprilis. CIↃ IↃ LXXVI.

EPISTOLA CCLXVI.

Meminit de negotio Annæ ab Auſtria, & Principiſſæ Melitenſis. Regis ſiniſtra valetudo, Hopperi profectioni moram injecit, cum quo ſuper ea re expoſtulat. Stipendia militibus non ſoluta, inquietas res faciunt. Gubernatio Senatui interim permiſſa. Suadet tempeſtive ſucceſſorem Requeſenii, & præſidem Conſilii Status in locum ſuum, deſignari. Expectat ut Rex promiſſum impleat. Conſilium Status pacificationis negotium commendat, ad quod opus eſt Regio ſcitu ac voluntate. Literas Regias Conſilio Status, ac Conſiliariis inſcriptas, tradidit. Ut totum Conſilium cum Secretariis in Curia reſideat non probat. Uni tamen ſpecialiter ſuperintendentiam, dari, ſuadet. Gubernatio generalis non concedenda Duci Erico.

Digitized by Google

Mors Episcopi Gandavensis, pro cujus successore, nepotes suas proponit, non commendat.

CL. D. HOPPERE. Cum forte mihi reddidisset literas tuas XXVIII. Novembris datas, IX. hujus mensis, is qui sollicitatum huc advenit negocium D. Annæ ab Austria, postridie ejus ternas alteras accepi, XXII. Februarii XXIV. ac XXV. Martii datas. Quod serius autem quædam ad nos pervenerint, in causa fuit, quod ab Oratore nostro in Gallia detentæ fuerint. Porro de negocio dictæ Dominæ Annæ hactenus nihil mihi communicatum fuit, sed lubens operam dabo, ut si aliquid ejus ad me referatur, resolutionem ejus, quantum in me erit, promoveam. Principissæ Melitensis desiderium lubens promovissem, nisi mors ejus prævenisset, neque hic quisquam ejus nomine comparuit, cui operam meam impartiri potuissem. Doluimus profectioni vestræ moram injectam fuisse ob sinistram valetudinem Majestatis suæ, quæ multum nos hic sollicitos reddidit, dum graviora de ea annunciata fuere hîc falso rumore sparsa. Et sane hujusmodi casus nos penitus pessumdasset, quo magis metuimus, ne ante remedia à vobis promissa, aliquid hujusmodi adversi nobis accideret. Ego autem satis constanti animo hactenus adversam fortunam sustinui, veritus tamen nonnunquam fui, ne illa nos aliquando obrueret & frustra à vobis remedia expectaremus: cùm enim mense Septembr. jam in procinctu esse videremini, totus dimidius annus effluxit, quod nihil de adventu vestro intellexerimus. Incidit interea mors Gubernatoris nostri, quæ perplexitatem adauxit, neque solum ab Geusiis hostibus nostris oppugnamur, sed domi quoque od stipendia non soluta a nostro milite inquietamur, sed tamen divina ope prudentiaque Consiliariorum nostrorum hactenus utcumque res sustinuimus, donec per Regiæ Majestatis literas consolationem aliquam accepimus. Voluissemus autem citius de morte Gubernatoris, rerumque nostrarum statu, certiores vos reddere, sed consulto expectandum duximus, donec ex communi consilio perscriberemus omnia, quæ vos jam accepisse speramus. Bene autem accidit, quod præter moram vestram aliquid tempestive de voluntate Regis nobis nunciatum fuerit, ac ita prudenter per Majestatem suam decretum de committenda non uni alicui, ex

Digitized by Google

ex iis qui nobiscum hic rerum administratione, sed toti potius senatui, donec Rex de successore statuerit: quod mature fieri conveniet, cùm multorum capita non semper in idem consentiant, & non sit rerum director, absque quo diu concordia consistere non poterit. Quamobrem necesse fuerit, ut Rex tempestive de successore provideat, aut super difficultatibus quæ exoriri poterunt, per instructionem aliquam sententiam suam plenius declaret. Quod autem antea aliquando scripsi, ut Præsidatui Status, quem ego sustinere amplius non possum, mature provideretur, id præsens rerum necessitas quantopere requirat, ostendit, cùm illum omnibus interesse conveniat, ac dirigere quæ in Consilio proponi debeant, ac quæ resolventur, ad Regiam Majestatem, cæteroscque, quibus opus erit, perscribere. Quod quidem ego, cùm Consilio interesse non possim, & cùm morbo quotidie conflictor, facere impedior, faciam tamen, & facio quantum vires meæ ferent. Cum autem ante aliquot menses, spem nobis Regia Majestas dederit, missurum huc qui de veris pacis remediis lætum nobis nuncium adferrent, expectamus ut Majestas sua promissum adimpleat. Et quoniam Consilium Status hîc pacificationis negocium valde commendat, non videmus, recte quicquam nos in eo efficere posse, nisi Regiæ Majestatis voluntatem plenius cognoscamus, super iis, quæ in controversia cum adversariis remansere. Et tametsi de religione quæstionem se amplius non moturos esse significent, & authoritatem Majestatis suæ integram relinquere permittant, cùm tamen ad particularia ventum fuerit, non video quomodo absque Regis expresso sciru ac voluntate, super ipsis convenire queamus, aut saltem sub beneplacito Majestatis suæ omnia concludi debebunt, nec aliter ratificaturam eam promittere poterimus, nisi nos in indignationem aliquam Majestatis suæ conjicere voluerimus, de quibus aliquid in literis meis ad Majestatem suam scriptis admonui, & D. V. in meliorem partem Majestati suæ interpretari dignabitur. Literas vero omnes Majestatis suæ, Consilio Status exhiberi, ac Riourdo, Affonwillioque literas ipsis inscriptas tradi curavi. Cum enim ipsis commissio Consilii Status per Gubernatorem defunctum ex voluntate Regis data fuerit, non vidi, qua ratione dubium aliquod ipsis moveri possit. Ut autem totum Consilium Sta-

Digitized by Google

tus cum Secretariis in Curia reſideat, uti ob varia impedimenta conſulere non poſſum, ita ego valetudinarius ab domo abeſſe poſſe, neutiquam video. In ſupraſcriptione veſtra ad Conſilium Status nihil video eſſe mutandum, niſi aliter Rex per inſtructionem ordinarit. Non deſunt tamen hîc qui prærogativam aliquam ſibi attribui cuperent, & pro meliore rerum directione, forte non inconveniens videretur, ut alicui, cæteris non ingrato ſpecialiter ſuperintendentia committeretur, ſub tamen autoritate totius Conſilii. Puto literis noſtris Regiæ Majeſtati redditis ſatisfactum veſtro deſiderio fore.

Dux Ericus particularem aliquam Gubernationem hîc ambiit, ad quam Regi eum promovere viſum non fuit. Quamobrem non arbitramur, Generalem Provinciarum adminiſtrationem Regem illi conceſſurum, ac potius quod propoſuit de præferendo aliquo ex ſanguine ſuo effectui mandaturum. Quod ut fiat D. T. quantum in ſe erit allaborare velim. Lubens intellexi Urdii noſtri aliquam rationem habitam fuiſſe, ſed de eo nihil illi ſignificare auſi fuimus, niſi commiſſione huc tranſmiſſa. Hodie ex Gandavo certior factus fui, Illuſtriſſimum Epiſcopum noſtrum Janſenium (16) in domino obdormiviſſe. Ægrotavit autem longo tempore, & ad obeunda munera Epiſcopalia amplius vacare non potuit. Roganda autem Majeſtas ſua erit, ut ſucceſſorem idoneum nobis præbere velit. Sunt autem quidam ex novis Epiſcopis qui ad pinguiora paſcua aſpirant, & Regiam Majeſtatem proviſuram ſpero ne aliquem nobis non ſatis gratum (ut antea (17) me inſcio & inconſulto ex commendatione Duciſſæ Parmenſis, perſuaſioneque Molinæi, & Armenterii accidit) obtrudat. Noviſti & me inter nepotes, tres habere, Buchonem Montzimanum, Præpoſitum Sancti Joannis Trajectenſis,

(16) *Epiſcopum noſtrum Janſenium*) Cornelius Janſenius, Hulſtenſis Flander, Sac. Th. Doctor Lovanienſis, & primus Epiſcopus Gandavenſis, de quo *V. Biblioth. Belg.*

(17) *Antea, me inſcio*) Perculſus nempe fuerat novitate nuntii, *Janſenium* ad Epiſcopatum Gandavenſem nominatum fuiſſe, quod gaviſurus eſſet omnibus fructibus ac proventibus Præpoſituræ, quam poſſidebat.

Digitized by Google

sis, Buchonem ab Aytta, Archidiaconum Ipresensem, nec non Canonicum Sancti Bavonis, ac Folcardum, Canonicum Sancti Salvatoris Trajecti, prædicti Præpositi fratrem, omnes gradu Doctorali in Theologia, aut Jure insignitos, quos tibi non incognitos esse arbitror, sed eorum neminem (18) commendare Regi volui: tamen si merebuntur, aliquam eorum rationem haberi, non ingratum mihi foret. Literas tuas ad liberos amicosque tuos perferri diligenter curavi, & omnes amici tui, adventum tuum, uxorisque ac familiæ tuæ, mecum avidissime expectant. Bene vale, CL. D. HOPPERE. Bruxellæ. XIII. Aprilis. CIↃ IↃ LXXV.

EPISTOLA CCLXVII.

Duplex commissio Gubernationis generalis ad Consilium Status directa. Difficultas super pacificationis negotio. Expectantur vera remedia. Sonnius Episcopus Antverpiensis extrema unctione munitus. De vidua Alberti a Loo.

CL. D. HOPPERE. Per Boysium de rebus nostris, à morte Illustris Dn. Gubernatoris nostri, copiose ad te scripsi, latius quoque deinde XIII. Aprilis, quarum duplicatam hisce junxi, Post quas tuas IV. Aprilis ad me datas accepi, una cum duplici commissione Gubernationis generalis ad Consilium Status directa. Placuit autem omnibus, primam ejus formam insequi, cùm jam de voluntate Regis per ejusdem literas ad Consilium Status, certiores facti essent, ac hactenus sese ea declaratione Status contentos esse ostenderint. Instructio serius ad vos mittitur, quod papyri Gubernatoris ad manum non essent, & non cognita Regis intenten-

(18) *Eorum neminem*) Ex illis nepotibus tribus, nemo Episcopatum Gandavensem consecutus est, sed fere duodecimo post anno, *Cornelio Jansenio* successit *Guilielmus Lindanus*, Damasii filius, Dordracenus Batavus, e sede Ruræmundensi, translatus ad Gandavensem.

Digitized by Google

tentione; ſuper iis, quæ ad pacificationem potiſſimum pertinent, difficile erit, aliquid adjungere aut præjudicare iis, quæ tam mature per vos iſthic deliberata concluſaque fuerunt, ſine quibus, uti recte ſcribis, reliqua nihil ſunt. Et adventum eorum, qui cum veris remediis huc venturi ſunt, expectare omnes ſatius ducunt. Itaque urgendum eorum iter eſt, ut tempeſtive adveniant, priuſquam ater aliquis canis interveniat. Scripſeram quoque ad D. T. de obitu Reverendiſſ. Dn. Epiſ. Gandavenſis, & paulo poſt hic fama fuit, Sonnium Antverpienſem quoque defunctum eſſe, ſed tamen ſacra unctione accepta vivere eum adhuc audimus.

Commiſſarii Alberti ab Loo Vidua, ex Friſia nuper reverſa ad Rattallerum Præſidem Trajectum ægrota divertit, non ſine ſuſpicione peſtis, quæ eam quoque ſuſtuliſſe fertur, relictis decem prolibus, quæ hoc calamitoſo tempore patre matreque orbatæ, ac ab avo non multum auxilii ſperantes, in magnis degunt anguſtiis. Patruus quoque earum, Caſtellanus Muydenſis, adhuc apud Gaudam ab hoſtibus detinetur. Deus afflictis conſolationem, nobiſque pacem tandem reddere dignetur. Bene vale. HOPPERE CL. Bruxellæ. XIX. Aprilis. CIↃ IↃ LXXVI.

FINIS.

IN-

Digitized by Google

INDEX

NOTARUM AD EPISTOLAS VIGLII AD HOPPERUM.

Numerus Romanus Epiſtolam, Numerus Arabicus Notam deſignat.

A.

Abbatia Bernenſis Ord. Præmonſtratenſis. CXX. 41.
Abbatia Boneffienſis. CVII. 19.
Abbatia S. Claudii. V. *S. Claudii*.
Abbatia Viconienſis Ord. Præmonſtratenſis. CXLVIII. 25.
Achelen (Igramus ab) *remiſſ.* III. 11. quomodo Præſes Friſiæ conſtitutus. LXIX. 2. Obiit Præſes parlamenti Mechlinienſis. Ejus epitaphium. CIV. 16.
Aelſum Griſearum fororum aſceterium in Friſia. CLXXXVIII. 33.
Aemſoen Van der Burch (Judocus) Senator Brabantiæ. Ejus epitaphium. CVII. 18.
Albada (Aggæus) Friſius, J. C. Cameræ Imp. Aſſeſſor. a fide Catholica defecit. VIII. 28.
Albanus, Dux, Belgii Gubernator. Electorem Saxoniæ victum captumque ad Cæſarem adduxit. *remiſſ.* IV. 14. Jacobum Van den Eynde, Hollandiæ advocatum, captivum detinet Bruxellis. XXIX. 39. Et plures iconoclaſtas Mechlinienſes. *Ibid.* 40. Indicem librorum prohibitorum evulgat. XLVII. 7. Auguſtanæ Confeſſionis originale Mſ. a Viglio archivi cuſtode ſibi tradi juſſit. LV. 26. Quis ei Confeſſarius in Belgio, quis in Hiſpania. XCVI. 4. Quomodo in decimi denarii exactione perſtiterit. CXXIV. 1.
Albernotius Secretarius Ducis Albani. CLXVII. 7.
Albinagium quid? LXXXVII. 48.
Anna Auſtriaca Philippi II. Uxor quarta. CIII. 13.
Annata. quid? CCXXII. 20.
Antverpia. Conſilium ibi juſtitiæ & camera rationum, tempore tumultuum. CXLI. 18.
Aquicinctenſe Cœnobium Ord. S. Benedicti. CCXL. 44.
Arias Montanus (Benedictus) LX. 30.
Aſſonvillius (Chriſtophorus) Senator Regius. XVIII. 3. anno dumtaxat 1577. ad Conſilium Status evocatus. XXVIII. 31.
Auguſtanæ Confeſſionis originale mſ. ubi. LV. 26.
Auxtruyes (Joannes) Senator Mechlinienſis. CXXXI. 6.

Digitized by Google

Ayala (Balthãzar) Senator Mechlinienſis. LXXV. 16.
Ayala (Gregorius) Senator Brabantinus. LXXV. 16.
Aytta (Bucho) nepos & coadjutor Viglii. CLI. 2.
Aytta (Hector) Senator in Friſia. CLI. 5.
Aytta (Wibrandus) *de Zuichem*, Viglii nepos in ſenatum Burgundiæ adlectus. CXC. 34.

B.

Backerſelius (Joannes Caſenbroot) D. de Backerzeele *remiſſ.* XXVI. 26. Qui ejus commiſſarii fuerint cùm torqueretur. *Ibid.* 27.
Bajus (Michael) S. T. D. Lovanienſ. *remiſſ.* CCLVI. 12.
Balde (Dionyſius) Senator Gandavenſis. CXXII. 47.
Barbaſanus (. . . .) Senator in Conſilio privato. LXXX. 21.
Barlemus, Candidatus ſedis Harlemenſis ignotus. LXXXVII. 35.
Batenburg (Thedorius & Gisbertus) fratres captivi. XXXIV. 47.
S. *Bavonis* Capitulum Cathedrale Gandavi, quantum annue cedat Canonicis a reſidentia abſentibus. LXV. 39.
Bellevaux Cœnobium Ord. Ciſtercienſis in Comitatu Burgundiæ. CCXII. 10.
Bemmich (Joannes) Præſes Luxemburgenſis. CXLIV. 19.
Berchem prope Antverpiam. Quod nomen paſtori occiſo, ipſo feſto Paſchæ 1570. CXXXIII. 11.
Bergenſis (Guilielmus, Comes) VII 21. Unus e quatuor primis fœderatis. LVII. 27.
Bergis (Maximilianus à) Archiepiſc. Cameracenſis. CX. 30.
Bergſzoma, Berg-op-Zoom, oppidum. CX. 27.
Bernartius (Vulmarus) quibus rebus magnis adhibitus. LXIX. 8.
Bernenſis Abbatia Ord. Præmonſtratenſis. CXX, 41.
Berlaymont (Ludovicus de) Archipiſc. Cameracenſis. CX. 30.
Bertti (Joannes Baptiſta) Secretarius Conſilii privati. XXX. 43. LXXXII. 25.
Bergumenſe Canonicorum Regularium cœnobium, ſedi Epiſcopali Leovardienſi unitum. LXIX. 5.
Bily (Gaſpar) Robles, Billii dominus. XXXI. 44.
Blyde Incomſte, quid. CCXXXV. 38.
Boetius Epo, Friſius. *remiſſ.* LXIX. 7. Quod munus ambivit. CIII. 15.
Boneffienſis Abbatia. CVII. 19.
Bonvallot (Franciſcus) Abbas commendatarius Luxovienſis. CCXLI. 46.
Boonen (Cornelius) filius *Jacobi*, pater *Jacobi* Archiepiſcopi Mechlinienſis. XXIX. 39. De Conſilio Juſtitiæ Antverpiæ, CXLI. 18.
Boonen (Jacobus) alias *Boene*. Senator Brabantiæ, & Vicarius Curiæ feudalis. Avus *Jacobi* Archiepiſcopi Mechlinienſis. XXIX. 39.
Boonen (Jacobus) Archiepiſcopus Mechlinienſis quartus. Quis illi pater, quis avus? XXIX. 39.
Boiſſchot (Joan. Bap. de) Senator. LXXXVII. 43.

Boiſ-

Digitized by Google

Balſchot (Joan. Baptiſta) filius Joan. Baptiſtæ, pater Ferdinandi. Ejus elogium. CC. 51.
Boiſotus (Carolus) Ordinum partes ſecutus. LV. 25.
Boiſotus (Ludovicus) Ordinum partes ſecutus. LV. 25.
Boiſotus (Petrus) theſaurarius generalis, quam habuit uxorem. LV. 25.
Bovincourt (Gaſpar de) Abbas Audenburgenſis. CLXXXIV. 27.
Bauſſu (Antonius *de Homin de*) præpoſitus major Ultrajecti. CLXXVI. 13. CLXXXII. 19.
Boxhornius (Guilielmus) Senator, LXXXVII. 44.
Boxhornius (Philippus) Senator. LXXXVII. 44.
Brederode (Helena de) vidua Thomæ Perenot D. de Chantonai &c. CLXVII. 5.
Brederodius (Ludovicus) D. de Haurincourt ubi obiit? XX. 7.
Briarde (Lambertus de) Præſes Mechlinienſis. Qua legatione functus? LXXXIV. 30.
Brimeu (Carolus de) Comes Meganus. CXXV. 2.
Broobem (Bernardus) Decanus ruralis & paſtor Berchemenſis prope Antverpiam, occiſus ipſo feſto Paſchæ 1570. CXXXIII. 11. Vide *Diekens*.
Bruxellius (Philibertus) Senator regius, ejus geſta & mors. VII. 25. XXVIII. 33.
Brubeſius (Joannes) Decanus majoris Ultrajecti. CVII. 17. Quomodo electus. CLXIV. 3.
Burgundia (Antonius à) V. *Watrens*.
Buſbekius (Augerius Ghiſlenus) quid. CCXLV. 4.
Butkens (Petrus) De Camera Rationum Antverpiæ. CXLI. 18.

C.

Calvenus Stella (Jo. Chriſtophorus.) LXXXVIII. 49.
Camera Rationum Antverpiæ inſtituta. CXLI. 18.
Canonici Cathedralis Gandavenſis abſentes a reſidentia, quantum accipiant e fructibus præbendarum. LXV. 39.
Capitulum S. Bavonis Gandavi, Quantum Canonicis a reſidentia abſentibus, annua concedat ex præbendarum fructibus. LXV. 39.
Cardinalitii, qui dicti, initio tumultuum Belgicorum. VIII. 27.
Carolus Archidux Auſtriæ, Ferdinandi I. Imp. filius. LI. 18.
Carolus Cardinalis Lotharingiæ. Ejus nominis tres. LXXXVII. 39.
Caſembroot (Joannes) V. *Backerſelius*.
Caſus reſervati nulli in articulo mortis. LXXXII. 29.
Cellier (Robertus du) Senator Gandavenſis. CXXXV. 13.
Chantigny (Fredericus Perenot de Granvelle) Dnus de CXXXVI. 17. Præſes Conſilii juſtitiæ Antverpiæ erecti. CXLI. 18.
Chantonetus (Thomas) Perenottus. L. 14. Regis legatus in Gallia. LXXIV. 14. Quæ ejus uxor. CLXVII. 5.
Charles (Joannes) alias *Carolus*. Procurator generalis Leovardiæ, dein Senator Mechliniæ, tandem monachus. XLII. ***. Quod opus conſcripſit. CCXXXVII. 41.

Digitized by Google

Chorauli qui? LXIX. 6.
Claudii (S.) Abbatia, seu asceterium semi-monachorum in Comitatu Burgundiæ. CCXXIV. 21.
Cobeltus (Philippus) Consiliarius Margaretæ Parmensis. Assessor Cameræ Imp. IX. 32.
Coelen (Petrus) Abbas Munsterienſis in Luxemburgo. CXCI. 37.
Coels (Petrus) dictus *Glymes* Abb. Vlierbacensis. CLII. 8.
Confessarius Ducis Albani quis. XCVI. 4.
Confessionis Augustanæ originale ms. ubi. LV. 26.
Coligny (Franciscus) D. d'Andelot. *remiss.* LXXVIII. 19.
Consiliariorum regiorum fides ab Albano sugillata. CXXIV. 1.
Consilium justitiæ Antverpiæ institutum. CXLI. 18.
Consilium provinciale Luxemburgense. CXLIV. 19.
Contreras (Alphonsus de) Ord. FF. Min. theologus, confessarius Ducis Albani. Obiit Bruxellis. XCVI. 4.
Coomans (Joannes) Senator Mechlinien. LXIV. 37.
Copus (Alanus) Londinensis. Quis liber ei male attributus. VII. 26.
Cortevillius (Judocus) *remiss.* IV. 16.
Covarruvias (Didacus) Episc. Præses Castellæ CLXXXIV. 25.
Craneveldius (Franciscus) Senator regius. XXIX. 36.
Crespin, monasterium Ord. S. Benedicti. CCXLI. 48.
Cripius (Guilelmus) cui successit in Cancellariatu Geldriæ. XXIX. 37. Varia ejus munia. LXVII. 44. Senator Mechlinienſis. CCXXXIII. 33.
Croy (Gerardus de) Harlebecensis præpositus. LXXIV. 13.
Culemburgius, Comes; Florentius de Pallant. VII. 22.
Curtius (Petrus) Episcopus Brugensis. XLIII. 3.

D.

Dalense dominium juxta Gorcomium. XXVIII. 35.
Damboudere (Judocus) J. U. D. CCLI. 8.
Daurouls (Franciscus) aliàs d'Helfaut, Abbas S. Petri Gandavi. XLV. 5.
Decanus majoris ecclesiæ Ultraj. a Rege nominabatur. *remiss.* CLXIV. 13.
Decimus denarius ab Albano inductus. An manifestè se opposuerit Viglius. CXXIV. 1.
Demeterius (Arnoldus) Secretarius regius. IV. 16. CLXVII. 8. Quare Viglio tanta de eo cura. XCI. 1.
Dennetieres (Franciscus) Canonicus Brugensis, dein Tornacensis. LXXIII. 12.
Deyn (Theodoricus) Senator Mechlinienſis. CLII. 7.
Dielkens (Bernardus Egidius) pastor Berchemensis prope Antverpiam, occisus ipso festo Paschæ 1570. CXXXIII. 11. Vide *Brochem.*
Diligbem Abbatia Ord. Præmonstratensis. CXCI. 37.
Dodieu (Claude) an qui Claudius Velinus? XXX.
Dodonæus (Rembertus) LXIV. 35. Ubi obiit. CLXXXIII. 21.

Drentia

Digitized by Google

Drentia, pars Provinciæ Transisalanæ. CCXXXII. 31.
Druitius (Remigius) Senator Ecclesiasticus Mechliniæ. LXIV. 37.
Duncanus (Martinus) *remiss.* CCIV. 1.
Dyck (Adrianus) Graphiarius Consilii Justitiæ Antverpiæ. CXLI. 18.

E

Ligius, (*S.*) quod sacellum frequentare solitus. CXLVIII. 25.
Elisabetha Austriaca, Caroli IX. Galliarum Regis uxor. CX. 29.
Elisabetha Galliæ Regis filia Philippi II. uxor tertia. CIII. 13.
Epternacum Abbatia Ord. S. Benedicti. C. 9.
Erckelens oppidum, ubi. LVII. 28
Erius Dux Brunswicensis. XXXV. 49.
Everhardi (Livinus) Senator Mechliniensis. XXII. 15. Ejus epitaphium. XLII. **

F.

Risti nobiles, profugi & citati an. 1568. XXVI. 29.
Froissard (Anatolius) Præses Senatus Arausicani. CCII. 55.
Froissard (Joannes) Præses Senatus Sequanorum. CCII. 55.
Froissard (Petrus) Præses Senatûs Dolani. CCII. 55.

G.

Erckens-kloster cœnobium Ord. Cisterciens. CLXXXVIII. 33.
Gielis (Joachim) Senator Brabantiæ & fisci advocatus. LXXXVII. 42.
Gisleni (*S.*) Abbatia Ord. S. Benedicti. CLXXXIV. 26.
Glymes (Joannes de) dictus *de Berghes*, Præses Mechlinienfis Senatus. LX. 29.
Gomez (Rodericus *a Silva*) Eboli Princeps. CCV. 5.
Granatensis (Ludovicus) Ord. FF. Præd. Confessarius Ducis Albani in Hispania. XCVI. 4.
Grittenia. Grietman, apud Frisios, quid? LXXXV. 34.
Gyara, Gyarus, una ex Cycladibus insulis. CCXIII. 5.

H.

Hachicourtius. V. *Philippus de Montmorency*.
Hæresis. Facultas absolvendi ab illa, qualis Episcopis tributa per Conc. Trid. LXXXII. 22.
Happart (Ægidius) de Camera rationum Antverpiæ. CXLI. 18.
Harpsfeldius (Nicolaus) quem ejus librum edidit Alanus Copus. VII. 26.
Hauterus (Joannes) Abbas Vlierbacensis. CLII. 8.
Heemhum cœnobium Ord. S. Bedicti in Frisia. CXX. 40.
Henrici (Augustina) apud Viglium domûs administra, & gubernatrix. XIII. **
Hertogbe (Marcus de) pater. Consiliarius Flandriæ. CCXXXIII. 32.
Hertogbe (Marcus de) filius. Præses Flandriæ, CCXXXIII. 32.
'sHertogben (Abraham) de Camera rationum Antverpiæ. CLXI. 18.

Digitized by Google

INDEX NOTARUM

Hessilius (Jacobus) Senator. *remiss.* XXXVIII. 54.
Hessels. V. *Joannes a Lovanio.*
Heuvelmans (Joannes) Senator Brabantiæ. XCVII. 6.
Heynsius (Egidius) Abbas Averbodiensis. CCXL. 43.
Hiergius (Ægidius) Comitis Berlaymontii filius. CXXXI. 7. Gubernator Geldriæ, an etiam Frisiæ CCV. 4.
Hopperus (Cajus Antonius) Præp. Lovanienſis. CCXXXI. 29.
Hopperus (Joachim) Dominus in Dalem juxta Gorcomium. Quale illud dominium, & quomodo acquisitum? XXVIII. 35. Donatur a Rege 6000. fl. CLXIX. 10. Quæ fors Commentarii ejus. CCXXXVII. 41.
Hosden (Philippus de) Abbas S. Gertrudis Lovanii. LXXII. 27.
Hunæus (Auguſtinus) S. Theol. Doctor Lovanii. XXV. 21.

I.

Jacobi (Balduinus) Senator Mechlin. LXIV. 37.
Jansenius (Cornelius) Epiſc. Gandav. *remiss.* CCLXV. 16.
Jauce (Gabriel de) Maſtaing. LXXXVII. 47.
Iconoclaſtæ Mechliniæ. XXIX. 41.
Index librorum prohibitorum a Duce Albano publicatus, qualis. XLVII. 7.
Joanna Luſitaniæ Regis filia Philippi II. uxor prima. CIII. 13.
Jucundus Introitus, quid. CCXXXV. 38.

K.

Kaerenp Abbatia Ord. Ciſtercien. CLXXXVIII. 33.
Knippenbergh (Joannes) auctor hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Ducatus Geldriæ, correctus. XXIX. 37.
Kuyffius (Joannes) Epiſc. Groningenſis. LXIII. 34.
Kortebeck (Matthias) Abbas Villarienſis. XXVII. 31.

L.

Lætus Introitus, quid. CCXXXV. 38.
Laliniüs, *Lalaing* (Antonius) Comes Hochſtratæ. LXVI. 40.
De Langhe (Joannes) Secretarius Sanctioris Conſilii. CXLIX. 26.
Lannoi, Oppidum in Tornaceſio. II. 5.
Lanſchot (Cornelius) Graphiarius Cameræ rationalis Antverpiæ. CXLI. 18.
Leerdam, Oppidum Hollandiæ. CCXXXIV. 36.
Lengaigne (Nicolaus) Decanus Atrebatenſis. CLXXXIII. 22.
Leoninus (Elbertus) vulgo *De Leeuw* J. U. D. Lovanii. Cancellarius Geldriæ pro Fœderatis Ordinibus. L. 15. Ordinum Fœderatorum partes ſecutus. CCXX. 15.
Leſpinée (Philippus) præpoſitus Namurcenſis. CI. 12.
Lindanus (Wilhelmus) Epiſcopus Ruræmundenſis. Unde Hagâ exularet. II. 8. CLXIII. 1. Et Epiſc. Gandavenſ. CCLXVII. 18.
Librorum prohibitorum index a Duce Albano publicatus, qualis. XLVII. 7.

Lac-

Digitized by Google

Locquengien (Joannes de) Amannus. Bruxellenſis. CCXXVIII. 28.
Lommius (Judocus) medicus. CXXXI. 8.
Longin (Rolandus) Præſes comparmum Brabantiæ. CXCIV. 42.
Loo (Albertus ab) Conſiliarius ſenatûi Regii. XX. 10 Ejus obitus. CLVII. 14.
Lovanio (Joannes à) ſive *Haſſels*, Vir magnus. XXV. 22. Ejus Epitaphium. *Ibidem.*
Ludovicus Granatenſis confeſſarius Ducis Albani in Hiſpania. XCVI. 4.
Luminibus obſtruere, quid? *remiſſ.* IV. 15.
Lummey (Guilielmus a Marck) Dnus. de CXXXII. 10.
Luxemburgenſe Conſilium provinciale, quomodo componitur; quando inſtitutum. Ejus Præſides. CXLIV. 19.
Luxemburgenſis Epiſcopatus erectio tentata. CXCI. 38.
Luxeuil Abbatia Ord. S. Benedicti. CCXLI. 46.

M.

M*Abieu* vel *Mabein* (Arnoldus) Abbas Dilighemenſis. CXCI. 37.
Maibuſius (Joannes) primus Epiſc. Daventrien. CXX. 42.
Manſfelt (Carolus) Petri Ernesti Comitis filius. VII. 23.
Manſfelt (Petrus Ernestus) Comes de XLVI. 6.
Marchenſis vel *Marſanenſis* præpoſitura, ubi. LXXXVII. 38.
Maria Angliæ Regina Philippi II. uxor ſecunda. CIII. 13.
Marius (Adrianus) Præſes Conſilii turbarum & Cancellarius Gelriæ XXVIII. 34.
Marnix (Jacobus) Præſes Flandriæ & de Conſilio turbarum. CXCIV. 41.
Mauricio (Jacobus à S.) Archidiaconus Tiluntinus. *remiſſ.* XIII. †.
Mauris (Jacques de S.) Senator Conſilii Privati. CXLV. 21.
Mauris (Joannes de S.) Præſes Conſilii Status. CXLV. 21.
Maſius (Carolus) Epiſc. Iprenſis, dein Gandavenſis. XCVII. 5.
Maſius (Engelbertus) Sanctioris Conſilii Præſes. XCVII. 5.
Maſius (Jacobus) Senator Brabantiæ. Ejus præclara proles. XCVII. 5.
Maſius (Jo. Baptiſta) Senator Brabantiæ. XCVII. 5.
Maſius (Philippus) Graphiarius Ordinum Brabantiæ. XCVII. 5.
Maſnuy (Joannes de) Senator Mechlinien. LXIV. 37.
Mechlinia. Quæ ibi templa expilata an. 1566. XXIX. 40.
Mechlinienſes penſionarii captivi XXIX. 41.
Megamus Comes (Carolus de Brimeu. CXXV. 2.
Memdius, Peterſemii Dominus. VI. 20.
Merzius (Laurentius) Decanus Bruxell. poſt Epiſcopus Rafodacenſis. LX. 29.
Micault (Nicolaus) D. de Indevelde. Ejus annia & geſta. CXIV. 35. Epitaphum. CC. 48.
Molinæus (Joannes) J. U. D. Lovanienſis &c. XXV. 20. *remiſſ.* CCXII. 9. Quid in ejus geſtis improbatum exſtitit. CCXIX. 12.
Mon Couſin. Honorifica appellatio qua Reges utuntur erga viros illuſtres. CCXIII. 7.

Mon-

Digitized by Google

INDEX NOTARUM

Mondragonius. remiſſ. XLVIII. 10.
Mont S. Eloy lez Arraz, monaſterium Canonicorum Regularium S. Auguſtini, CXLVIII. 25.
Monte (Ægidius de) ſecundus Epiſc. Daventrien. CXX. 42.
Montmorency (Philippus de) D. de Hachicourt: Ærarii Præſes, *Chef des Finances*, & de Conſilio Status. XXI. 13.
Montzima (Bucho à) Viglii nepos, præpoſitus S. Joannis Ultrajecti. CCXIII. 3.
Montzima (Folcardus à) Viglii nepos, Decanus S. Salvatoris Ultrajecti. CCXIII. 3.
Montzima (Tako à) Viglii nepos, & ab eo redemptus. Conſiliarius Ultrajectinus. VIII. 29.
Morillonius (Maximilianus) *remiſſ.* X. 33.
Mossman (Arnoldus) nominatus ad Abbatiam Affligenienſem. LXXXVII. 36.
Moufflin (Joannes) Capellanus Regius. CCXLII. *poſt textum.*
Moulart (Matthæus) Abb. S. Giſleni, poſt Epiſc. Atrebatenſis. CLXXXIV. 26.
Mueleneer (Antonius) Senator Mechlinienſis. CXLVI. 24.
Munſterienſis Abbatia Luxemburgi. CXCI. 37.
Myerop (Cornelius à) præpoſitus major Ultraj. quando obiit. CLXXVI. 15.

N.

Nanes (Nicolaus de) Præſes Luxemburgenſis. CXLIV. 19.
Nicolaus Landenſis, Abbas Hemelenſis. CXX. 40.
Nitzenius (Carolus) Præſes Friſiæ. LXIX. 2.
Nizelle monaſterium Ord. Ciſtercien. CXCI. 37.
Nobiles, aliique Friſii, profugi & per edictum citati. XXVI. 29.
Noircarmius (Philippus) I. 1. Ejus merita. CXVI. 36.
Noppenus (Theodoricus) Sylvæducenſis. J. C. & Senator Brabantiæ. LIII. 21.
Noyelles (Anna vel Margareta de) Abbatiſſa Nivellenſis. LIII. 22.

O.

Officialis Epiſcopi quis. CLI. 4.
d'Oignies (Guilbertus) Epiſcopus Tornacenſis. CCXXXVIII. 42.
Orſchotum in Campinia Brabantina habet Canonicorum collegium. CLXXXIII. 23.
Oudart (Nicolaus) Senator Brabantinus, & de Conſilio juſtitiæ Antverpiæ. CXLI. 18.
Oudenburgenſis Abbatia Ord. S. Benedicti. CLXXIV. 27.
d'Oyenbrugge (Engelbertus) Conſiliarius ærarii Regii. CLVII. 14.

P.

Pallant (Florentius de) Comes Culemburgius. VII. 22.
Pamelius (Guilielmus) Senator, Præſes. Ejus munia. Epitaphium. CXCVII. 46.
Parenty (Thomas de) Abbas S. Vedaſti Atrebatens. CXCIX. 47.
Paris (Franciſcus de) Senator Brabantiæ. LIII. 20.
S. Pauli Abbatia Ord. S. Bened. Ultrajecti. *remiſſ.* CCXLI. 51.
Perenot (Antonius) Cardinalis Gran-

Digitized by Google

Granvellanus, quam abbatiam poſſedit. CCXLI. 46.
Philippi II. Uxores quatuor. CIII. 13.
Pintaſlour (Petrus) Decanus, & dein Epiſcopus Tornacenſis. CCXXII. 19.
Pittancia quid? CCXXXIV. 35.
Plantinus (Chriſtophorus) typographus celeberrimus. CXXIX. 5.
Porry (Ludovicus) Senator Mechlinienſis. XLIV. 37. CXXXIII. 12.
Preces XL. horarum. CCXXXIV. 34.
Precipiano a (Humbertus Guilielmus) Archiepiſcopus Mechlinienſis, quam abbatiam poſſedit. CCXII. 10.
Prædicatorum Monaſterium Gandavenſe, quando expilatum. XV. 37. Qui ibi floruerint viri docti? *remiſſ. Ibid.* 38.

Q.

Quarebbe (Petrus à) prætor Lovanienſis. CLXXVI. 14.
Quarré (Carolus) Conſiliarius Brabantiæ. LXXVIII. 18.
Quarré (Maximilianus) ærarii Regii graphiarius. LXXVIII. 18.

R.

Radbodus Friſiæ Rex. CVIII. 21.
Raſſingbemius (Maximilianus) I. 2.
Rattaller (Georgius) Præſes Ultrajectinus. LXXXIV. 33.
Reck (Joannes) Præſes Luxemburgenſis. LXXXII. 27. CXLIV. 19.
Requeſenius (Ludovicus) Belgii Gubernator. CCXIII. 1. A. S. Carolo Borromæo excommunicatus. CCXIX. 14.
Reſidentia quid? CLI. 3.
Richardotus (. . . . .) Epiſcopus Atrebatenſis, quam concionem in aula Bruxellenſi habuit. VII. 26.
Richardotus (Joannes) Senator, Præſes. XLIX. 13. LXIV. 37. Ejus epitaphium. CCXLIX. 6.
Richardotus (Franciſcus) *remiſſ.* CCXXXV. 40.
Richebè (Joannes) præpoſitus Atrebatenſis. Orator in Urbe. CCXI. 7.
Del Rio (Ludovicus) Conſiliarius in Conſilio Turbarum, & dein in Conſilio Privato. Quam uxorem duxit. XXV. 19. LXXXIV. 29. In Conſilium Status adlectus. Quando cuſtodiæ traditus. CC. 50.
Roda (Hieronymus) Hiſpanus, in Conſilio Turbarum. LXIX. 3.
Rollema (Tzommo) Ejus varia fortuna. VIII. 30.
Rym (Carolus) Senator, legatus. CXXII. 48.
Rym (Gerardus) Senator Gandavenſis. Ejus liberi. CXXII. 48.
Rym (Franciſcus) CXXII. 48.
Rym (Livinus) CXXII. 48.
Rythovius (Martinus) Epiſc. Iprenſis. XV. 36.

S.

Sasbout (Adamus) Ord. Minor. Non frater Arnoldi Præſidis, ſed fratris filius. CCLX. 14.
Sasbout (Arnoldus) Cancellarius Geldriæ. XXIX. 36.
Sasbout (Arnoldus) Præſes Conſilii Sanctioris. Non frater Adami,

Digitized by Google

mi, sed patruus. Quando in Hollandiam se recepit. CCLX. 14.
Sasbout (Judocus) Cancellarius Geldriæ. XXIX. 36.
Scharenberger (Urbanus) Secretarius Consilii Privati. LXXXII. 25.
Schelto. Quis? XXVI. 26.
Scheyffve (Joannes) Cancellarius Brabantiæ. *remiss.* VI. 19.
Schuermans (Paulus) de Camera Rationum Antverpiæ. CXLI. 18.
Serguntinus Cardinalis quis? CI. 10.
t' Sestigh (Desiderius) Cancellarius Brabantiæ. Ejus proles. LXXXVII. 46.
Sexagius. Vide *t'Sestigh*.
Sickinga (Idzardus ab) XVIII. 5.
Sonnius (Franciscus) primus Episcopus Buscoducensis. XV. 35.
Spinosa (Didacus) Cardinalis. LI. 19.
Stalins (Jacobus) Flandriæ graphæus. Quàm fecundus parens. CCXX. 16.
Stralins (Antonius) Antverpiensium consul. LXII. 30.
Struyen (Joannis à) *Struyus*, secundus Episcopus Middelburgensis. VIII. 31.
Stina. Augustina Henrici XVII. **. Roterodamensis. XV. **.
Suys (Cornelius) Præses senatus Hollandici. CLXXVI. 12.
Systio Abbes, vel *Sixtus Abbæus*, pastor Leovardiæ, apostata. XVIII. 2.

T.

Tassius (Joannes Baptista) quæ fors Commentariorum suorum. CCXXXVII. 43.
Thabor cœnobium Can. Reg. in Frisia. CLXXXVIII. 33.
Thielde (Thomas) Abbas S. Bernardi ad Schaldim apostata. XL. 2.
Thuanus correctus. CXXIV. 1.
Tisnac (Carolus) anno 1546. Advocatus fisci Brabantini. XXIX. 38. Quam uxorem habuit. LV. 25.
Titelmannus (Franciscus) *remiss.* VII. 24.
Titelmannus (Petrus) quæ munia habuit. CLXXXIII. 24. Ejus obitus. VII. 24.
Torre (Jacobus *La*) Secretarius Regius. VI. 18. Custodiæ traditus, & suspensus ab officio. LXXIX. 9.
Treurenburgh, porta Bruxellensis, quæ? LV. 24.
Tridentina Concilii publicatio in Burgundia, quomodo peracta. XIII. 1.
Tridentini Concilii publicatio apud Ultrajectenses, an cum successu facta. 33. *remiss.* LXII.

V.

Van Berchem (Henricus) de Camera Rationum Antverpiæ. CXLI. 18.
Vasikius (Conradus) Thesaurarius Antverpiensis. CXX. 39.
Van Gestel (Cornelius) Canonicus B. M. Mechliniæ, quæ Chronica MSS. possidet. XXIX. 41.
Van den Berge (Martinus) Eratii Regii Consiliarius. CVIII. 23.
Van den Eynde (Jacobus) Advocatus Hollandiæ. Mortuus in carcere Bruxellis. XXIX. 40.
Van der Aa (Joannes) Secretarius Consilii Privati. XXX. 48. LXXXII. 25.

Van

Digitized by Google

Van der Aa (Petrus) Præses Luxemburgensis. LXXXII. 27. LXXXIV. 31. CXLIV. 10.

Van der Houf (Adrianus) Consiliarius in Haga-Comitis, ubi solus permansit, Senatu Ultrajectum migrante. CLXXVI. 12.

Van der Kammen (Joannes) Pensionarius Mechlinienſis, captivus Bruxellam ductus tempore tumultuum. XXIX. 41.

Van der Beken (Joannes) Senator Brabantiæ. XXIX. 38.

Van Meteren (Emmanuel) Historiographus. Quid ei acciderit Antverpiæ tempore tumultuum Belgicorum. CXLI. 18.

Van der Myl (Adrianus) à fide Catholica defecit. LXVII. 44. CLXXXVIII. 33. Ejus vitæ compendium quoddam. CCXLIII. 50.

Van der Myl (Arnoldus) Consul Dordracenus. XXVII. **.

Van der Myl (Cornelius) Hoppeni genor LXVII. 44. Ejus poſſeſſiones, & nomen. Tradit arcem Goudanam. CLXX. 11.

Van der Vincks (. . . .) Senator Gandavenſis. Vivit. CXXII. 47.

Van Diemen (Wilhelmus) Senator Ultrajectinus. LXXXII. 26.

Van Os (Antonius) Amannus Bruxellenſis. CCXXVIII. 23.

Van Vlierden (. . .) Secretarius Conſilii Privati. CCXLV. 1.

Van Wingbe (Joannes) Senator Brabantiæ. LXXXVII. 45.

Van Wingbe (Hermes) J. C. & Conſiliarius in Conſilio Privato. LXXXVII. 45. Ejus epitaphium. CLVII. 13.

Van Woenſele (Joannes) de Camera rationum Antverpiæ. CXLI. 18.

Van Urſele (Lancelottus) Conſul Antverpienſis, & de Conſilio Juſtitiæ. CXLI. 18.

Vaſſeur (François le) Secretaire des Conſeils d'Etat & Privé. CCXLV. 2.

Vechtius (Joannes) Decanus Majoris Ultrajecti. remiſſ. CLXII. 17.

Veloſti (S.) Abbatia Atrebati Ord. S. Benedicti, CXCIX. 47.

Venius (Claudius) an qui *Claude Dodieu, Seigneur de Vely?* XXX. *.

Veltwicker (Jacobus) nominatus Abbas Tongerloenſis, factus præpoſitus. LXXXVII. 37.

Vendeuilius (Joannes) Doctor Lovanien. poſtea Epiſcopus Tornacenſis. CXC. 36.

Verſteel (. . . . .) Penſionarius Mechlinienſis, captivus Bruxellam ductus tempore tumultuum. XXIX. 41.

Viana, Oppidum Hollandiæ. III. 12.

Viconienſis Abbatia Ord. Præmon. CXLVIII. 25.

Viglius male attribuit Alano Copo, librum Nicolai Harpsfeldii VII. 26. Takonem a Montzima nepotem redemit 2400. florenis. VIII. 29. Auguſtinæ Henrici in teſtamento ſuo benefecit. XIII. **. Confeſſionis Auguſtanæ orinale MS. Duci Albano tradidit. LV. 26. Malè arguit, caſus quosdam eſſe reſervatos, a quibus in articulo mortis, Paſtoſtes abſolvere non valeant. LXXXII. 22. Quid dixerit de Confeſſario Ducis Albani. XCVI. 4. a Thuano non rectè.

Digitized by Google

arguitur. CXXIV. 1. Deſtinabat Hopperum ſibi ſucceſſorem in præſidentia Privati Conſilii. CCV. 3.
Vilain (Maximilien de) Comes Iſeghemii, Baro Raſſegemii. LXXXVII. 47.
Villarienſis Abbas, quis anno 1569. XXVII. 31.
Villavicentius (Laurentius) Hiſpanus, Eremita Auguſtinianus, Doctor Lovanienſis. LXXXII. 24.
Vironius (Otto vel Odo) *Viron.* Fuit de Camera rationali Bruxellis. Ejus epitaphium. XVIII. 4.
Vlierden (Gabriel) ſeu *Van Vlierden.* Cantor Cathedralis Gandavenſis. XX. 8.
Vlierden (Daniel) medicus. XX. 8.
Vleyſchouwere (Franciſcus) Abbas Villarienſis. XXVII. 31.
Von Hornunck (Felix) Præſes Luxemburgenſis. CXLIV. 19.
Vrunte (De) cuſtodia civilis Bruxellis. XCIX. 8.

W.

Wackene (Antonius a Burgundia) Dñus de. Zelandiæ. Gubernator. Ubi occubuit? CCII. 55.
Waele (Guilielmus de) Senator Gandavenſis CXXII. 47.
Waelhem (Petrus à) ſive *Walem.* Senator Brabantiæ, & Advocatus fiſci. XXIX. 38.
Wameſius (Joannes) J. U. D. Lovanien. CCLIII. 11.
Waronſius (. . . .) Penſionarius Namurcenſis, ultimo ſupplicio plexus. XLV. 4.
Waſteel (Jacobus) Senator Mechlinienſis. XLIX. 13.
Watrelos, pagus in Tornaceſio. II. 5.
Weert (Chriſtianus de) Senator Mechlinienſis. LXIV. 37.
Wolfgangus Bavarus, Bipontinus Dux. LXXV. 15.
Wulframnus (S) Senonenſis Archiepiſcopus. CVIII. 22.
Wyſe (Cornelius) de Conſilio Juſtitiæ Antverpiæ. CXLI. 18.

FINIS.

Digitized by Google

ERRATA

TOM. I. PART. II.

Pag. 370. lin. antepenult. No- *l.* Non.
— 371. — 3. ſectari. *l.* ſectarii.
— 384. — ult. Nobileſque mul, *l.* Nobileſque multi.
— 386. — 34. Deuterum meum. *l.* Denneterium meum.
— 398. — 19. declinatorie. *l.* declinatoriæ.
— 423. — 18. cædere. *l.* cedere.
— 448. — 14 alli. *l.* alii.
— 452. — ult. D. *Tyletanus. l. Tyletanus.*
— ead. — 16. odtinuerint. *l.* obtinuerint.
— 461. — 21. Salamantices. *l.* Salamanticenſes.
— 502. — 18. nopote. *l.* nepote.
— 561. in *Summario.* de jure nominationis ad vacantes Sedes Epiſcopales, quod Conſilio competeret. *Lege:* de jure nominationis ad vacantia in Magno Conſilio loca, quod eidem competerat. *Obſcuritas textus eſt cauſa erroris. Ita enim pag.* 562. In Reverendiſſimi autem Brugenſis locum nemo adhuc ſurrogatus eſt. *Agitur de Remegio Druitio qui Epiſcopus Brugenſis erat, & ante fuerat Conſiliarius Eccleſiaſticus in Magno Conſilio, quod Mechliniæ; ſed non agitur de* ſurrogando *eidem Epiſcopo novo, vixit enim Brugis uſque ad an.* 1594. *Verùm ſermo eſt de* ſurrogando *eidem Conſiliario novo, in locum quem, cum Epiſcopus inauguraretur, vacuum fecerat. Porro* ſurrogatus *ei fuit Ludovicus Porry.* V. pag. 625. in Nota.
— 599. — antepenult. libras habenas. *l.* liberas habenas.
— 610. — 4. a fine. de Brimen. *l.* de Brimeu.
— 612. — 4. a fine. legis. *l.* Regis.
— 624. — 32. anno 1571. *l.* anno 1570.
— 647. — 7. a capite. *multa certitudo. l. nulla certitudo.*
— 686. — 14. Verum tale. *l.* verum non tale.
— 687. — 11. Gorcemii. *l.* Gorcomii.
— 688. — 14. iilæ. *l.* illæ.
— 734. — 22. intera. *l.* interea.
— 769. — ult. ad Epiſt. LXXX. *l.* LXXV. & adverte, notam noſtram quæ eſt pag. 513. non quadrare in GREGORIUM AYALAM protonotarium ibi Apoſtolicum & agentem in curia Romana, quia pag. 769. perhibetur obiiſſe.
— 807. — 20. diſint. *l.* deſint.
— 808. — 6. a fine. praviter. *l.* graviter.
— 864. — antep. præter moram veſtram. *l.* morem veſtrum.
— 865. — 2. rerum adminiſtratione. *Adde:* potiuntur.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google